APOSTOLICARUM PIJ QUINTI PONT. MAX. EPISTOLARUM LIBRI QUINQUE. NUNC PRIMÙM IN LUCEM...

Pius 5.>, François Goubau, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

6
40-f
17
3.
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
25 E
41
6-40-f-17
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

XII. 14. 1.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



APOSTOLICARVM PII QVINTI PONT. MAX. EPISTOLARVM LIBRI QVINQVE.

Nunc primùm in lucem editi operâ & curâ

FRANCISCI GOVBAV.

ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI. M.DC.XL.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

PRINCIPI

FERDINANDO

AVSTRIACO

HISPANIARVM

INFANTI,

BELGICÆ PROREGI.

SERIÒ mihi cum animo meo conſideranti, PRINCEPS SERENISSIME, quod potiſſimùm ab homine priuato, in hac temporum iniquitate, quibus Eccleſia Chriſtianum

ſanguinem fœdis inter ſe diſſidentium odiis cædibusque dolet permiſceri, graſſantibus malis ſcutum obijci poſſet; quo vel malignantium infringi impetus, vel gentium, quæ bella volunt, tela retundi, vel denique Chriſtianorum Principum arma procul aduerſus communem Religionis noſtræ hoſtem in Orientis oras deportari conuertique queant; opportunè ſe mihi obtulerunt Epiſtolæ PII Quinti Pontificis, verè pij vereque Maximi, quas ille dum viueret (vixit autem ſanctiſſimè) eo diuini nominis pacisque publicæ promouendæ ſtudio ad complures exteros domeſticosque Reges ac Dynaſtas perſcripſit, vt, ſperato fœderum victoriarumque ampliſſimarum ſucceſſu, conatus ſui vtriusque fructus retulerit, non vberes modò, verùm etiam glorioſos. Quam ego occaſionem procurandi

curandi boni publici hoc animoſiùs complexus ſum, quò recentior hac tempeſtate ſe metus exſerebat Turcicæ contra Venetam Rempublicam, imò Eccleſiam, perfidiæ; & in his ipſis litteris perſpiciebam manifeſtiùs, paternam optimi Pontificis curam tam Catholico contra barbarum hunc immanemque hoſtem niti præſidio, quàm eorum, qui pridem cum eo fœdus, PIO iudice non pium ſatis neque Chriſtiano nomini laudabile, icerant, auxilio diffidere. Atque hæc me ratio inter ceteras vna quoque impulit, vt non aliis, quàm TVÆ CATHOLICÆ CELSITVDINIS auſpiciis lucem viderent; quia videlicet, Te vſu exemploque poſteritatis Belgicam noſtram feliciſſimè gubernante, alij nemini ab homine Belgâ Opus offerri decebat, quod aut cum Maiorum tuorum laudibus coniunctum,

aut cum tuis eſſet virtutibus com-
mune. Siquidem in iis perſæpè repe-
ries parentum tuorum erga Sedem A-
poſtolicam fidem, quam vir ille ſan-
ctiſſimus citra omnem aſſentationem,
nedum alienæ gloriæ obtrectationem,
orbi quà patet vniuerſo, ſtylo ſcri-
ptioneque ſuâ conſpicuam reddidit,
cùm impendente fatali illâ temporum
difficultate, quam ad Echinadas inſu-
las metuebamus, lentiora videbat ab
iis auxilia præſtari, quorum nominis
vel maximè intererat Chriſtianos hoc
prælio minimè vinci. Reperies & bel-
licam parentum gloriam, quâ, ſupera-
tis terrâ marique hoſtibus, Catholi-
cum imperium ſempiternâ nominis ſui
famâ longè lateque protulere. Quam
quidem Tu ita æmularis ſtudioſè, vt,
ſi, quod non optamus tantùm, ſed
etiam ex manifeſtis indiciis ſperamus,
adeoque nobis pollicemur, feliciſſi-
mis

mis initiis pares progreſſus exitusq́ue reſponderint, vnum Te pacis belliq́ue arbitrum, totâ Europâ habituri ſimus omnes: ſed in primis Belgæ tui, quorum dum vitas fortunasq́ue, atque acceptam retrò à maioribus Religionem, obiectu capitis tui, inter vibratas vndique armorum faces, geminiq́ue hoſtis florentiſſimos exercitus, non fortiter minùs quàm feliciter dimicando ſæpiùs defendiſti; in tuâ ſalute ſuam eſſe ſitam eò gaudent expreſſiùs, veriusq́ue gloriantur, quò ſe virtute ac fortunâ tuâ, quam Superis ob inſignem pietatem tuam curæ eſſe cernunt, ſecuriores fore certiùs confidunt, atque etiam experiuntur. Quam ego noſtrûm omnium collocatam in Te ſpem, cùm egregiè ſuſtentari augeriq́ue etiam poſſe exiſtimarem ex his Pontificiis Epiſtolis, quas CATHOLICÆ TVÆ CEL-

SITV-

SITVDINI inſcribendas iudicaui, nolui diutiùs, vt ne publici iuris non eſſent, committere. Nam profectò eo zelo atque ad debellandos Eccleſiæ hoſtes deſiderio atque animo ſunt exaratæ, vt quicumque eas Princeps attentè perlegerit, optimi Patris exemplo, neque theſauris ampliſſimarum opum, quas ille benigniſſimâ manu in ſuppetias bellorum aduerſus hæreticos & Turcas profudit, neque laboribus vllis pro Dei gloriâ ſubditorumq́ue ſibi fidelium tuendâ incolumitate exantlandis ſit parciturus. Habuere ſanè diuinum quoddam ad permouendas inflammandasq́ue Principum, qui ætate iſtâ vixerunt, mentes pondus ac momentum, quæ à piiſſimo hoc Pontifice profectæ fuere cohortationes atque conſilia: vt non temerè in ſpem mihi venire videar, FERDINANDE PRINCEPS CA-

THOLI-

THOLICE, eodem abs te legendas euentu, qui earumdem virtutum ſanguiniſque Auſtriaci heres, iiſdem nimirum veſtigiis, cùm ad famæ nominiſque Tui immortalitatem, tum ad Eccleſiæ Catholicæ (cuius Tu ſemper cum Maioribus tuis propugnator ac vindex extitiſti) incrementum, & pacem orbi Chriſtiano ſtabiliendam, per heroica facinora conſtantiſſimè niteris. Hoc certè conſilio, cùm eò curas à Te publicas priuataſque conuerti omnes cernerem, Epiſtolæ illæ ſuperioribus annis à me Romæ collectæ ſunt, vbi tum fortè Legato Fratris tui Regis noſtri Clementiſſimi, Marchioni Caſtelli Rodricij, operam dabam; ratus non modò nihil me ab inſtituti mei ratione alienum, ſi quod ad epiſtolicum munus attineret, ipſe Legationi ab epiſtolis exiſtens, hauriendæ rerum cognitioni conquire-

rem, ſed operæ quoque pretium non leue facturum, ſi virtutum tuarum præclariſſimorumque facinorum, quæ in Te admiramur, conſilia præceptionesque, olim à Pio Pontifice promiſcuè cunctis Principibus propoſitas, & primis ſui velut lineamentis adumbratas, Tu ipſe perfectas à Te perpolitasque iam eſſe, conſilia cum factis ipſis conferendo, liquidò perſpiceres. Quo in genere laudis ſicut exploratum bonis omnibus eſt, quòd alienum nihil Tibi poſſis aſſerere, qui cuncta ſic geſſeris hactenus, vt Tuo vnius exemplo Pontificiarum litterarum admonitiones queant confirmari; ita Deum ter Optimum Maximum precantur rogantque ſedulò, vt felicitatem hanc quàm maximè diuturnam eſſe velit: quâ Te victoriis triumphisque celebrem Eccleſiæ Auſtriacique nominis hoſtes timeant, ſocij ament,

ment,

ment, exteri laudent Principes, domeſtici imitentur, orbis verò Chriſtianus ſuſpiciat atque admiretur vniuerſus. Ita voueo

CATHOLICÆ TVÆ CELSITVDINI

æternùm deuotus

Franciſcus Goubau.

LECTORI.

EN tibi *Paſtoralis hoc curæ pignus, à Ioanne Antonio Gabutio, in fine Vitæ verè Pij Pontificis, non piè minùs quàm eleganter ab ipſo conſcriptæ, promiſſum, ac tantoperè bonorum omnium votis expetitum. Quas ille Epiſtolas, tamquam rerum à ſe memoratarum teſtes, ſi vita ei ſuperfuiſſet, edendas promiſerat; has ego, veteribus Romæ ruinis oppreſſas, in lucem edere decreui: quæ lux ipſa, ad propulſandam tam denſæ noctis caliginem, in quâ verſamur, appellari merentur. Vale, & fruere.*

APOSTO-

APOSTOLICARVM PII QVINTI PONT. MAX. EPISTOLARVM

LIBER PRIMVS,

Continens Epiſtolas annorum primi & ſecundi eius PONTIFICATVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM.

SACRI *Concilij Tridentini Decreta in vſum induci, Clericorum diſciplinam reſtitui, eorumq́ue ritè educandorum ſeminarium inſtitui, ab hæreticis caueri; proborum virorum, quibus Eccleſiaſtica munera mandari poſſint, cenſu habito, certum ad ſe indicem mitti procurat. Eodem ferè exem-*

plo litteras PIVS *ad alios quoque Antiſtites per orbem dedit, vt in eius Vitâ legitur lib.* I. *cap.* XI.

Ven. Fratri Chriſtophoro Epiſcopo Palentino PIVS Papa V.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſteaquàm, ita prouidente Deo, Apoſtolicæ ſeruitutis officium indignis humeris noſtris impoſitum eſt, non ſine acerbiſſimo animi dolore gemituque, miſerabilem ac flebilem Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum attentè conſiderantes, eos omnes excitare, commouere & exſtimulare cogimur, quos Deus in partem ſolicitudinis ſub noſtrâ vigiliâ ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ regimen conuocauit; vt nobiſcum omnes in hanc curam incumbant, & ad tam graue hoc magnumque onus ſuſtinendum adiuuent, atque corroborent infirmitatem noſtram: vt, dum caput membrorum, & membra capitis mutuis fulciuntur auxiliis, Eccleſia Dei, quæ tam afflicta ac deformata reperitur, recreata tandem erigatur, & erecta ritè conformetur; atque in tot tantiſque calamitatibus non ſolùm à domeſticis, ſed ab externis etiam inimicis defendere ſe tutarique poſſit. Non ignorat Fraternitas tua, quàm longè lateque ſeſe pernicioſæ diffuderint hæreſes: neque te fugit, quàm certam & efficacem huiuſmodi malo ad perdendas Dominicas

oues occaſionem dederit Paſtorum negligentia, & quàm magnam vim ad hunc morbum augendum habeant corrupti ac deprauati Eccleſiaſticorum hominum mores. Iam verò perſpicere potuiſti, quàm imminutus inter laicos ſit cultus pietatis, quàm aucta licentia ſimul & impudentia. At planè intelligis, Frater, quantoperè ſint nobis pertimeſcenda iræ diuinæ flagella, ob noſtra populique Chriſtiani peccata nobis intenta. Ad has igitur, quibus afflicta laborat Eccleſia, tot tantaſque plagas vtcumque ſanandas, & ad iram Dei aliquo modo auertendam, atque placandam; vnicum nobis remedium ſupereſt, diligens videlicet ſacroſancti Oecumenici Concilij Tridentini Decretorum cuſtodia, ac fidelis obſeruatio. Itaque pro eo quanti facis Omnipotentis Dei cultum, Fraternitatem tuam admonemus ac rogamus, vt eius quam ſuſtines perſonæ memor, & officij, omnia quæ in ipsâ Synodo tam pio, prudenti ac maturo iudicio, Deo fauente, conſtituta ac ſancita ſunt, deinde ſacroſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis auctoritate & decreto comprobata, &, vt per vniuerſum Chriſtianum orbem conſeruarentur, in vſumque inducerentur, promulgata ac mandata fuerunt, plenè præſtare & exequi omnino procures. Et verò quoniam ſacri Præſules ſubditis ſuis ad rectè viuendum exemplar eſſe debent, ſæculareſque homines mores ſuos ad Sacerdotum vitam & exemplum inſtituere & conformare conſueuerunt; da

operam, Frater, atque effice diligenter, vt Eccleſiæ tuæ Clerum, populumque vniuerſum, cùm ſalutaribus monitis ac præceptis, tum etiam virtutum exemplis, & charitatis conſiliis & officiis, ad colenda pietatis ſtudia excites & impellas; cauens in primis, ne in te quidquam offendatur, quod animabus tibi commiſſis peccandi occaſionem præbere poſſit, aut malum exemplum: curabiſque diligenter, opportunè & importunè, vt Clerici, qui minùs honeſtè viuunt, admoniti corrigantur: eos argue, obſecra, increpa, vt probè vitam inſtituant; ac, ſi opus fuerit, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeueritatem in eos exerce. Clericorum verò collegium, quod proborum Sacerdotum ſeminarium ac fundamentum eſſe debet, ex ſalutari eiuſdem Concilij Decreto, vt quamprimùm erigatur, enitere, erectumque omni ope & officio proſequere. Denique Chriſti oues, curæ tuæ commiſſas, ab hæreticorum fraudibus, tamquam à lupis, aut à carnificibus ac latronibus, ſegregandas & arcendas ſummo ſtudio contende: dabiſq; operam quàm accuratiſſimè, vt, ſi fortè quiſpiam in iſto grege hac execrandâ peſte reperiatur infectus, ne is pernicioſo contagio alios commaculet. Conſidera, Frater mi, diligenter, ac perpetuò recogita, poſt breuem fragilis huius & mortalis vitæ curſum, de grege tibi commiſſo, ſummo & æterno Paſtori, eidemque tremendo ac terribili Iudici, rationem te reddere oportere. Da igitur operam, vt, cùm in eius diui-

diuino conſpectu fueris conſtitutus, fidelis ſerui mercedem, non autem pigri & negligentis mercenarij pœnam, conſequi merearis. Ac ſcito, quemadmodum ad Paſtorale munus noſtrum rectè præſtandum auxilium tuum imploramus, ita planè ad officium tuum ſtrenuè obeundum operam ac ſtudium noſtrum tibi non defuturum. Illud verò te monitum volumus, vt omni officio ac diligentiâ de ciuitatis iſtius diœceſiſque tuæ Clericis indagando probè cognoſcas, qui Catholicæ pietatis laude, morum integritate, probitate vitæ, ac doctrinâ præſtent, idoneique ſint vt huic ſanctæ & Apoſtolicæ Sedi fideliter atque vtiliter inſeruire poſſint. Ac de iis omnibus cenſu habito, indicem probâ fide conſcriptum, & manu ſigilloque tuo obſignatum, cum vniuſcuiuſque nomine, ac loco vbi degat, ſingillatim adnotato, ad nos cures perferendum. Nos enim, qui omnium fidelium Patris perſonam licet indigni ſuſtinemus, eiuſmodi virorum operâ & induſtriâ, prout occaſio tulerit, ad eas res, quibus ad honorem Dei, & ad ſanctæ huius Sedis Apoſtolicæ obſequia fuerit opus, vti, eoſque honeſtis laboribus ad communem ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem applicare conſtituimus. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, Kalend. Februarij, M. D. LXVI. Pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA II.

Sacri Concilij Tridentini Decreta ſeruari, Clericorum ſeminarium iubet inſtitui.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Strigonienſi, Regni Hungariæ Primati, & Suffraganeis eius.

VEnerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad exequendum Apoſtolicæ ſeruitutis officium, quod non ſine timore ac tremore, in ſpiritus humilitate, diuinæ vocationi obedientes, ſuſcepimus, oportet nos omnium, qui in ſolicitudinis noſtræ partem vocati ſunt, auxilio tantò ſtudioſiùs ſubleuari, quantò infirmiores vires noſtræ, & Eccleſiæ grauiora ac turbulentiora ſunt tempora. Nullum enim occurrit nobis, mentem noſtram huc & illuc verſantibus, aliud remedium, ad Eccleſiam ipſam in commodiorem & tranquilliorem ſtatum redigendam, quàm vt ſacrum generale Concilium Tridentinum, quod ſub fel. recor. Pio Papâ quarto, prædeceſſore noſtro, Deo auctore, tandem feliciter peractum fuit, vtique ſeruetur. Nullum certè eſt aliud remedium, quod tot tantiſque malis Eccleſiæ adhiberi poſſit: nullum reſtat auxilium, quo poſſit Religioni Catholicæ & ſaluti gregis Dominici ſubueniri. Hoc bonorum omnium

nium votis optatum, hoc precibus à Deo ſemper expetitum fuit. Proinde vos in Domino ſalutantes obteſtamur, vt officij veſtri memores, cùm alia, quæ tam piè, tam maturè, tam prouidè in ipſo Concilio ſtatuta fuerunt, debitâ obedientiâ obſeruare curetis; tum illud de Clericorum ſeminario in vnaquâque Eccleſiâ inſtituendo: quo nihil vtilius, nihil his temporibus Eccleſiis opportunius neque accommodatius ſtatui potuit. Actum de eâ re fuiſſe vobiſcum audimus, dum idem prædeceſſor noſter viueret, à dilecto Filio noſtro Zachariâ Cardinale Delfino, & à duobus aliis Sedis Apoſtolicæ Nuntiis; & vos reſponſum, dignum veſtrâ erga hanc Sedem deuotione & reuerentiâ, dignum veſtrâ pietate, dediſſe; & ſperamus, vos id, quod promiſiſtis, præſtituros. Sed quia vehementer optamus, Decretum, quod tantopere Eccleſiæ vtile eſſe conſtat, atque adeò neceſſarium, ſine longiore morâ ad effectum vbique, quacumque ratione fieri poterit, adduci; mandauimus dilecto Filio Antonio de Groſupto, Ordinis Prædicatorum Profeſſori, viro nobis probatiſſimo, vt vos ad id, quod tum polliciti fuiſtis, ſine longiore morâ præſtandum noſtro nomine moneat & hortetur. Cuius orationi fidem vt habeatis, & vt præclarum teſtimonium, quod de vobis ab eodem Cardinale habuimus, re comprobetis, petimus. Si quid autem ipſi à nobis requiritis, quod vobis ac veſtris Eccleſiis opportunum

ſit,

ſit, deſideriis veſtris, quatenus cum Deo poterimus, ſatisfacere, & vos, vt eximios Fratres, iuuare atque honorare curabimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. Februarij, M.D.LXVI. Pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA III.

Magiſtrum Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, quòd nouam vrbem in inſulâ Melitâ contra Turcas præſidio futuram ſeriùs inchoaſſet, clementer excuſat, eúmque à conſilio inde diſcedendi reuocat.

Dilecto Filio Ioanni de Valetta, Magiſtro Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lectis litteris tuis die XXIIII. Februarij datis, & iis, quæ mandato tuo nobis Cambianus Orator tuus expoſuit, auditis; cognouimus, te certiorem factum fuiſſe, conceptam à nobis eſſe quamdam minùs commodam de te opinionem, quòd non eâ quâ opus fuerit diligentiâ, illa quæ ad iſtius inſulæ defenſionem neceſſaria ſunt, paraueris. Moleſtè ferimus, hoc de nobis te ſuſpicari, qui de te non poſſumus non honorificentiſſimè & ſentire ſemper, & loqui, & tua merita in Chriſtianam Rempublicam prædicare, qui viderimus, quantâ virtute, quantâque conſtantiâ ſuperiore anno à potentiſſimorum

morum hoſtium aſſiduis tot menſium oppugnationibus inſulam iſtam defenderis; & quantâ cum laude & gloriâ tuâ eos ad extremum, multis & maximis acceptis detrimentis, recedere coëgeris; ac Siciliam & Italiam tuis laboribus & periculis, ac plurimo tuorum ſanguine, ex tanti belli periculo eripueris. Illud tamen fatemur, non defuiſſe, qui diligentiam tuam nonnullis in rebus, & in eâ maximè, deſiderauerint, quòd non ſtatim poſt diſceſſum hoſtium, nouum oppidum condere aggreſſus ſis, ſicuti Prædeceſſori noſtro promiſſum fuerat: qui eo promiſſo inductus, illam pecuniæ ſummam ad vrbem nouam condendam pollicitus fuit, cuius etiam partem ſoluit, vt ea vrbs quamprimùm inchoaretur. Nos tamen, quo minùs inchoata fuerit, culpâ tuâ factum non eſſe putamus, ſed rerum neceſſariarum inopiâ, quam in tuis litteris excuſas. Neque enim adduci poſſumus, vt credamus, te, cùm tantam gloriam tibi illo obſidionis atrociſſimæ tempore compararis, indiligentiâ poſteà quadam eam imminui paſſurum fuiſſe, & in re tam neceſſariâ officio tuo defuiſſe. Non poſſemus tamen non improbare & reprehendere conſilium tuum, ſi id faceres, quod tibi in animo eſſe ſcripſiſti, vt, relictâ inſulâ Melitâ, te cum tuo Ordine in Siciliam recipere, præſidio illis duabus arcibus tantùm impoſito, quòd hac ratione putes Ordinem tuum faciliùs à claſſe Turcicâ defenſum iri. Etenim pro tuâ pru-

dentiâ cogitare debes, ſi tu inde diſcederes, hoſtes facilè cùm reliquas inſulæ partes ſtatim, tum illas duas arces breuî in poteſtatem ſuam redacturos fore: atque ita illâ Inſulâ, quæ Siciliæ imminet, quod Deus auertat, amiſsâ, Siciliam & Italiam deinceps, & totam Chriſtianam Rempublicam in maximum periculum adductum iri: atque ita futurum, vt laus & gloria tibi & Ordini tuo ſuperiore anno parta non modò euaneſcat, ſed in maximum dedecus conuertatur. Neque verò exiſtimatio veſtra tantùm agitur, ſed ipſius Ordinis veſtri ſalus. Neque enim Principem vllum reperturi eſſetis, qui vos vllo ſuæ ditionis loco reciperet, cùm attenderet, vobis recipiendis, & aliquo vobis oppido attribuendo, futurum, vt bellum Turcarum ad ſe attraheret. Quòd ſi diſiecti & ſegregati, ſibi quiſque veſtrûm conſilium caperet, & præceptoriis ſuis frui ſe poſſe ſperaret; cogitare debet, non defuturos, quibus occaſio hæc minimè prætermittenda videretur, ipſas præceptorias veſtras occupandi, & de iis quidquid ſibi libitum fuiſſet faciendi. Hæc pro tuâ prudentiâ cogitans, ſtatuere & deliberare debes, deſiſtendum tibi eſſe conſilio tuo Inſulæ relinquendæ: ſed in eâ permanendum, vnà cum ipſo tuo Ordine. Vrgebit maiorem in modum præſentia tua; & cùm animos Chriſtianorum militum accendet, tum hoſtes ipſos deterrebit, à quo ſe ſuperiore anno victos fuiſſe meminerint: maiorisque momenti tua vnius erit præ-
ſentia,

ſentia, quàm, ſi tu abeſſes, magna militum manus. Quòd ſi ſuperiore anno tam paruâ manu potuiſti, Deo iuuante, hoſtes repellere; quantò magis confidere debes, Hiſpaniarum Regis Catholici auxiliis, & noſtris, adiutum, præter illa quæ ipſe conducturus es, te illos repulſurum, cum quibus etiam acie ipsâ, ſi neceſſe fuerit, poteris dimicare, nedum pauca aduerſus eos præſidia tueri? Quid verò animi futurum ipſis hoſtibus, dimicaturis cum tantò maiore Chriſtianorum militum numero, quàm is fuit, à quo ſuperiore anno deuicti fuerunt; & ipſorum copiis futuris, vt veriſimile eſt, minoribus, propterea quòd Turcarum tyrannum bellum aliâ ex parte Chriſtianis terrâ illaturum eſſe pro certo habetur? Mane igitur, dilecte Fili, in præſidio tuo, mane in poſſeſſione laudis & gloriæ, quam tibi apud omnes gentes immortalem peperiſti. Non defutura tibi auxilia ſunt Regis Catholici, cuius ipſius gloria, & Regnorum ſalus agitur. Non deerunt noſtra, qui ſanguinem ipſum parati ſumus pro Dei Redemptoris noſtri honore, & pro Chriſtianæ Reipublicæ ſalute profundere. Aderit verò in primis tibi Deus ipſe, qui priore anno tam manifeſtò etiam iuuit. Non deerit ſupernum eius auxilium militibus ſuis. Quod quò certiùs adſit, nos omnes pias & religioſas perſonas, & vniuerſos Chriſti fideles ad id inuocandum apertis Eccleſiæ theſauris nuper inuitauimus. Regem autem, etſi non dubitamus, parari

iam iuſſiſſe auxilia, & reliquas res quas pollicitus fuit; tamen ad eum nos hoc tempore ſcribimus, ad mittenda vobis primo quoque tempore auxilia promiſſa noſtris litteris vehementer vrgentes: ſcribimus etiam ad Proreges Neapolis atque Siciliæ, eos exſtimulantes, vt eas res, de quibus mandatum à Rege acceperunt, ſine morâ vobis ſubminiſtrent. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Martij, M. D. LXVI. Pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA IV.

Concubinatus labem ex Clero omnino tolli, & Eccleſiaſticorum mores corrigi iubet. Eodem exemplo litteras dedit Archiepiſcopo Moguntino & Treuirenſi. Vide lib. II. *cap.*I. *Vitæ* PII V.

Io. Iacobo Archiepiſcopo Saliſburgenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Relatum eſt nobis à viris rerum Germaniæ peritis, & Dei zelo præditis, pleroſque eorum qui beneficia & dignitates Eccleſiaſticas obtinent, quos oporteret officij ſui memores laicis exempla præbere rectè honeſteque viuendi, abiecto Dei timore, & ſine vllâ hominum verecundiâ, concubinas palàm habere, easque perinde ac ſi legitimæ eorum vxores eſſent, in Eccleſiis & alijs

locis

locis publicis conſpici, vulgò iiſdem, quibus illi vocantur, officiorum & dignitatum nominibus appellatas; eoque hæreſes tantopere creuiſſe ac multiplicatas fuiſſe, quòd Eccleſiaſtici tam turpiter & nequiter viuendo omnem planè exiſtimationem amiſerint, & in ſummam non apud hæreticos modò, ſed etiam Catholicos, contemptionem venerint: quo tam graui ſcandalo commoti, ad illud tollendum non mediocriter pro noſtri officij ſolicitudine exarſimus. Niſi enim tam nefandum concubinatus vitium extirpetur, nullam ſpem reliquam eſſe videmus, reprimi poſſe hæreſes. Sed timemus (quod Deus auertat) ne breui tempore iſtæ, quæ ſuperſunt, Catholicorum reliquiæ amittantur, & omnis prorſus Catholicæ Religionis cultus apud nos extinguatur. Etſi autem te hortatione noſtrâ non egere confidimus; tamen pium animum tuum Apoſtolicis monitis & hortationibus incitandum duximus. Proinde Fraternitatem tuam etiam atque etiam hortamur & monemus, vt, cùm ſcias, ruinam populi eſſe improbos ſacerdotes, & pro tuâ prudentiâ intelligas, ſi Eccleſiaſtici corrigantur, ſperari poſſe, futurum vt laici quoque emendentur, atque ita hæreticis propagandarum hæreſum materia ſubtrahatur; Clerum tam diœceſis tuæ quàm ciuitatis, primo quoque tempore viſites, & vitâ omnium & moribus inquiſitis, quæcumque in eis corrigenda repereris, Deum tantùm reſpiciens, corrigas; & cùm alia

vitia, tum in primis tam deteſtandum concubinatus vitium extirpes: ſubiectos tibi ordinariâ tuâ, exemptos autem noſtrâ, quam tibi, quatenus opus ſit, tenore præſentium delegamus, auctoritate, iuxta canonicas ſanctiones coërceas ac punias. Quia verò Suffraganeos quoque tuos ad idem hortandos duximus, petimus, vt noſtras ad ſingulos eorum litteras, quas cum his coniungendas eſſe iuſſimus, diligenter cures perferendas. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Iunij, M.D.LXVI. Pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA V.

Vt ad ſedandos tumultus, in Flandriam traijciat, Hiſpaniarum Regem hortatur. Vide lib. II. *cap.* X. *Vitæ* PII.V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cogit nos & commiſſum nobis à Deo officium, & paternus erga te amor, eâ de re cum Maieſtate tuâ agere, de quâ ſæpiùs iam egimus; &, quò peiore in dies loco res Flandriæ eſſe audimus, eò impenſiùs hortari, monere & inſtare, vt ſine longiore cunctatione ad eos ſedandos tumultus ſeſe conferat. Poteſt etiam nunc Maieſtas tua, ſi illuc ierit, aut ſaltem in Italiam

liam primo quoque tempore venerit, & eò firmum exercitum præmiſerit, ſaluti eius prouinciæ prouidere: ſed ſi ſegniùs egerit, tum cupiet illis rebus ſuccurrere, cùm minimè poterit. Creſcit in dies ſtudioſis nouarum rerum hominibus animus, quòd nondum Maieſtatem tuam te iſtinc commouere audiunt: è contrario autem debilitantur & franguntur Catholicorum animi, quòd nondum certum vllum nuntium acceperunt te ex Hiſpaniâ diſceſſurum. Proinde hortamur te, & rogamus, ac per Redemptorem noſtrum obteſtamur, chariſſime Fili, vt, cùm primùm veniendi facultatem nactus fueris, omni morâ omiſsâ in Italiam venias. Quò cùm veneris, de eundo in Flandriam commodiùs deliberare poteris. Fama ipſa interim tui in Italiam aduentùs, ſi modò maturè, & cum magnis copiis veneris, non parum eorum, qui in fide & deuotione manent, animos confirmabit; & rebelles ac ſeditioſos deterrebit. Plurimùm autem Maieſtati tuæ expedire cenſemus, fauorem tibi in hoc bello adiungere Chriſtianiſſimi Francorum Regis, affinis tui: quem tibi propensè affuturum eſſe confidere debes; ſicut nos quoque intelligere cœpimus: propterea quòd ipſi quoque non parum expedit, cùm Regnum plenum hæreticis & ſeditioſis hominibus habeat, qui eſſent cum hæreticis Flandriæ ſocietatem inituri, incendium illud abs te extingui, ne latiùs ſerpat, & ad ipſum quoque traijciat. Vtinam perſpicere

planè

planè poſſet Maieſtas tua curam & angorem noſtrum, cùm tamquam ea quæ oculis aſpiciuntur, cernamus ruinam quæ imminet, niſi tanto periculo per te obuiàm eatur. Itaque non contenti his litteris, hac eâdem de re cum Maieſtate tuâ quàm diligentiſſimè agere voluimus venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Roſſanenſem, Nuntium noſtrum; auidiſſimè aliquem certum nuntium de te in Italiam venturo expectantes. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuarij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA VI.

Eccleſiarum in Regno Neapolitano viſitationem impediri non debere, vt habetur lib. III. *cap.* I. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio Gaſpari Quirogæ Conſiliario Regio.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia probitatem & integritatem tuam cognitam habemus, & te ſcimus, eâ quâ decet deuotione, ſanctam hanc Sedem proſequi; idcircò gauiſi ſumus, te aſſumptum fuiſſe in concilium Regium, & chariſſimi Filij noſtri Regis iudicium magnopere probauimus. Nullum autem tam pio Regi præſtari à te officium, vel te dignius, vel quod

ei

ei gratius eſſe debeat, poteſt, quàm ſi de iis rebus certiorem eum facere curaueris, quæ ad Dei obſequium, & ipſius honorem atque exiſtimationem pertinent. Cùm pro commiſſo nobis officio miſiſſemus quemdam nobis valdè probatum Epiſcopum, qui in Cleris ciuitatum quarumdam Regni Neapolitani, ea quæ eſſent exploranda, cognoſceret, noſque edoceret, vt quæ corrigenda eſſent corrigere poſſemus; tam pium ac neceſſarium mandatum Apoſtolicum exequi minimè potuit, niſi Regium diploma, quod vocant Exequatur, quod hoc illi permitteret, acciperet. Sanè commoti fuimus, vbi hoc audiuimus. Nimis enim indignum nobis viſum eſt imminui tantopere hac in re ius atque auctoritatem noſtram, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem, in eo præſertim Regno, quod iuris ipſius eſt, nec poſſe nos Eccleſiaſticas perſonas per eos, quos miſerimus, viſitare, niſi hoc à miniſtris Regiis permittatur. quod aliud non eſt, quàm ſuperbè velle ei Sedi præſcribere, cuius præceptis & monitis, ſi Chriſtiani & Catholici ſunt, reuerenter & humiliter parere debent. Cùm igitur tantam huius ſacroſanctæ Sedis contumeliam & iniuriam nec velimus, nec debeamus animo æquo ferre, nec diſſimulare; chariſſimum Filium noſtrum Regem, quo ignorante tale committi perſuaſum habemus, de hac re edocendum curauimus, & hortandum, vt conſulat famæ atque exiſtimationi ſuæ, & huius ſanctæ Sedis

dignitati, cuius auctoritatem & ius cenſuris Eccleſiaſticis tueri ac defendere cogeremus, ſi eius iniurias, quod credere non poſſumus, Rex negligeret. De eâdem autem re ſcripſimus ad dilectum Filium Didacum Spinoſam, Regij Concilij Præſidem, cum quo loqui poteris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuarij, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA VII.

Præſtitum per Oratorem obedientiæ officium ſe grato animo accepiſſe ſcribit; Regem Poloniæ, vt, hæreticis amotis, probis adminiſtris Catholicis vti velit, hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Sigiſmundo Regi Poloniæ illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex obedientiâ, quam per dilectum Filium, nobilem virum, Petrum Barzæum, Oratorem tuum, nobis & Apoſtolicæ Sedi, more inſtitutoque omnium Catholicorum Regum, reuerenter admodum præſtitiſti, libentiſſimè agnouimus deuotionem ac pietatem, quâ maiorum tuorum piæ memoriæ Regum exemplo, ſanctam hanc Sedem proſequeris, ac tale officium grato, perinde ac debuimus, animo accepimus. De

dilecto

dilecto Filio Petro Miſcouio, Coadiutore Placenſi, Regni tui Vice-cancellario, Maieſtatis tuæ deſiderio, & tuæ commendationis cauſsâ, & propter eius virtutes ac merita, libenter ſatisfecimus. Indulſimus enim, vt Decanatum Cracouienſem retinere poſſit, ſicut rogaſti; ad Sedis tamen Apoſtolicæ beneplacitum, quam confidere debes non reuocaturam gratiam ſuam, iiſdem manentibus cauſſis. Libenter ex tuis litteris intelligimus, quàm grata tibi & opportuna ſit eius opera in illo munere obeundo. Talium miniſtrorum vehementer cuperemus habere te copiam magnam; multò enim meliore loco res iſtius Regni eſſent: eſt autem prudentiæ tuæ, viros tali fide & probitate præditos, & cùm honoris tui tum Catholicæ Religionis ſtudioſos, diligenter conquirere atque prouehere, eiſque potiſſimùm Officia, Præfecturas & Magiſtratus committere atque mandare. Id ad continendos in Religione Catholicâ, & fide & deuotione erga Maieſtatem tuam populos, remedium omnium vtiliſſimum experieris: ſicut econtrà nihil poteſt inutilius eſſe, nec perniciosius, quàm eorum operâ in Magiſtratibus vti, qui hæreticæ prauitatis labe polluti ſint. tales enim miniſtri poteſtate ſibi commiſsâ, ad deprauandos populos & diſſeminanda hæreticæ prauitatis zizania, abutuntur; non honorem, non famam Regiam diligunt; ſui ſimilibus, hoc eſt hæreticis, fauent; bonos & Catholicos inſectantur & opprimunt;

 Eccle-

Eccleſiaſticis verò perſonis in primis inimici atque infeſti ſunt. Quocircà hortamur, vt in hac re, quàm maximam potes, ſemper diligentiam ac circumſpectionem adhibeas; & ſi quos minùs tibi, quales eſſent, cognitos, vllis officiis nimiâ quadam facilitate præpoſuiſti, eos quamprimùm poteris remoueas, aliis in eorum locum, qui Catholici ſint, ſuffectis: & omnibus aliis remediis, quibuſcumque potes, ſicuti ceteros quoſque Reges & Principes hortari non deſiſtimus, enitere, vt hæreticæ prauitatis peſtem in Regno tuo reprimas. Illud enim, chariſſime Fili, ſemper cogitare debes, quod admonere quoque alios Reges conſueuimus, ita poteſtatem Regiam tibi, & ceteris Regibus, ab illo Rege Regum datam fuiſſe, vt actionum & operum veſtrorum rationem ei reddituri ſitis. Hæc breuî Maieſtatem tuam admonendam duximus, quia nos quoque de officio noſtro, & de te ac ceteris Principibus rationem reddendam fore meminimus. Quæ paterno animo à nobis dicta, Maieſtatem tuam non dubitamus ipſam quoque pio eſſe animo acceptutam. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Ianuarij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTO-

EPISTOLA VIII.

Scotiæ Reginæ virtutem ac pietatem commendat, eique de filio nato gratulatur, atque illum Catholico ritu baptizari mandat. Vide lib. III. *cap.* VIII. *Vitæ* PII V.

Chariſſimæ in CHRISTO Filiæ noſtræ Mariæ Scotiæ Reginæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex litteris tuis & à nuntio tuo de tuâ incolumitate optatiſſimum & iucundiſſimum nuntium accepimus. Grata, lectis tuis, fuiſſe officia nonnulla erga te noſtra gaudemus. Non tam ex illis tamen quàm ex meritis tuis metiri animum noſtrum debes: illa enim minora voluntate noſtrâ fuerunt. Tibi verò pro virtute tuâ, pro conſtantiâ, pro pietate & deuotione erga hanc ſanctam Sedem eximiâ ac ſingulari, multò maiora debentur. Quod Nuntij noſtri opportuno iam tempore è Galliâ ad te accerſiti aduentum tibi gratum fore ſignificas, & ſtudium atque auxilium tuum ei non defuturum eſſe polliceris, ad ea quæ ad Dei honorem & Regni tui tranquillitatem conſtituendam pertinebunt; libenter admodum id cognouimus, optamuſque, vt quàm opportuniſſima tibi Regnoque tuo ſit eius præſentia. De filio tibi nato ingentem lætitiam capimus; & cùm Serenitati tuæ de tanto Dei munere denuò gratula-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mur, tum ex hoc initio reliqua quæ ad ſalutem iſtius Regni pertinent, nobis expectare poſſe videmur. Quòd cum baptizandum publicè curatura eras, laudamus in Domino pium ſtudium tuum reducendi in vſum & conſuetudinem ſanctos Eccleſiæ Catholicæ ritus in tanto Sacramento adminiſtrando. Faxit miſericors Dominus, vt iſto exemplo, ij qui decepti miſerandum in modum ab hæreticis fuerunt, in vero ac ſalutari huius & aliorum Sacramentorum vſu, ad ea rectè riteque & ſalubriter ſuſcipienda, commoueantur, &, eiectis errorum tenebris, Catholicæ veritatis lucem recipiant. Filio verò iſti tuo Deus gratiam in ſacro Fonte ſuſcipiendam perpetuò conſeruet, tibique lætitiam ex eo conceptam in dies magis augeat, atque aliis multis donis & gratiis munus ſuum cumulet. Reliqua cognoſces ex nuntio tuo: quem deſideria tua nobis exponentem, eâ quâ decuit benignitate audiuimus, & ad te cum noſtrâ benedictione remiſimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Ianuarij, M.D.LXVII. anno Pontificatus noſtri ſecundo.

EPISTO-

EPISTOLA IX.

Concilij Tridentini Decreta exequi, deprauatosque mores corrigi, vt pro ſuo munere procuret, Archiepiſc. Cameracenſem hortatur: vt habes lib. 1. cap. 11. de Vitâ PII V.

Venerabili Fratri Maximiliano Archiepiſcopo Cameracenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex pluribus Fraternitatis tuæ litteris perſpectum deſiderium exequendi ſacri Concilij Tridentini Decreta, magnis, vt debemus, in Domino laudibus proſequimur. Id ipſum nos pro commiſsâ nobis Eccleſiarum omnium ſolicitudine quantopere cupiamus, re ipsâ ab omnibus iam cognitum fuiſſe putamus. Fruſtrà certè tot & tam ſalubria Decreta facta fuiſſent, niſi ea in vſum & conſuetudinem per nos, & te, atque alios Fratres noſtros adducerentur. Sed poſtulatione tuâ à nobis, vnà cum venerabilibus Fratribus noſtris Cardinalibus Congregationis ſacri Concilij, maturè conſideratâ atque perpensâ, exiſtimauimus, Fraternitatem tuam eo contentam eſſe in præſentiâ debere, ſi, non obſtante indulto exemptionis dilectorum Filiorum Capituli Cameracenſis, & concordiâ cum prædeceſſoribus tuis initâ, & abs te iuratâ, vices noſtras tibi, in iis quæ ad correctionem morum pertinent, delegaremus. Non paruam ſanè, ſi diligenter attendas,

das, facultatem tibi impertitam eſſe cognoſces expromendi pium zelum tuum: latè patet correctio morum; ad eos corrigendos Fraternitas tua ſedulò & diligenter vnà cum ſuis Suffraganeis incumbat. Cleri corrupti & deprauati mores ſicut hæreſum initium attulerunt; ita, ſi correcti fuerint, primum id & præcipuum remedium erit extirpandarum hæreſum. Hac in re vbi cum grege tibi commiſſo officium tuum præſtiteris, ad ea quæ reſtabunt perficienda viam tibi munies ac patefacies. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Ianuarij, M.D.LXVII. anno ſecundo Pontificatus noſtri.

EPISTOLA X.

Cancellarij in tuendâ Catholicâ Religione ſtudium commendat, vt Clericorum ſeminarium in Eccleſiâ Friſingenſi inſtitui, aliaque pietatis officia præſtari curet, hortatur. Vide lib. II. *cap.* I. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio Simoni Thadæo Echio, dilecti Filij, nobilis viri, Alberti Bauariæ Ducis Cancellario.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter ceteros iſtius inclytæ nationis, quos in tantâ hæreſum multitudine permanere adhuc in Catholicæ Eccleſiæ vnitate, & fidei orthodoxæ

doxæ conſtantes eſſe defenſores ac propugnatores accepimus, luculentum tibi teſtimonium à viris grauibus apud nos datum fuit. Sic enim relatum nobis fuit, nullo te loco Catholicæ Religioni deeſſe; ſed quocumque ſtudij & officij genere poſſis, eam aduerſus hæreticos tueri atque defendere. Lætamur admodum, & Deo gratias agimus, quòd ſuperſunt adhuc viri vetere Germaniâ digni, quos nulla Eccleſiæ procella, nullæ hæreticorum fraudes potuerunt ab Eccleſiæ corpore abducere ac ſegregare. Dilecti verò Filij nobilis viri Alberti Bauariæ Ducis ex hac re quoque ſingularem prudentiam,& pietatem eximiam, libenter agnouimus, qui talium virorum operâ & conſilio vtatur, eosque præcipuè honoret. Quia verò, Catholicorum reliquias in iſtâ nobili natione, quantâ maximâ poſſumus diligentiâ, pro commiſſo nobis officio tueri & conſeruare cupientes, plurimùm expedire duximus, in Eccleſiâ Friſingenſi, cuius, vt ſcis, adminiſtrationem in temporalibus commiſimus dilecto Filio Erneſto, ipſius Ducis filio, Seminarium iuxta ſacri Concilij Tridentini ſaluberrimum Decretum erigere, deuotionem tuam hortandam in Domino duximus, vt ad eam rem perficiendam, & ad omnia quæ in illâ Eccleſiâ atque diœceſi reformanda fuerint, quidquid poteris ſtudij & auxilij, propensè impertias. Quod etſi te, pro tuo diuini honoris ſtudio, etiam ſine hortatione noſtrâ facturum eſſe confidebamus; ta-

men te ex his litteris intelligere voluimus, talia tua officia nobis quoque grata eſſe futura; ſicut ex dilecti Filij Magiſtri Ioannis Phiſteri Canonici Friſingenſis, & Sedis Apoſtolicæ Protonotarij, relatione cognoſces: quem officio ſibi commiſſo prudenter & diligenter admodum functum, ad ipſum Ducem cum noſtrâ benedictione remiſimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Februarij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XI.

Anglos Catholicos Religionis cauſſâ patriâ pulſos, & in Belgium receptos, vt omnibus charitatis officiis benignè fouendos curet, Regi commendat: vt lib. III. *cap.* IX. *Vitæ* PII V. *legitur.*

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi omnium, qui calamitatibus affecti ſunt, miſereri, Chriſtianæ charitatis officium eſt; tamen ij præcipuè miſericordiâ & primùm omnium auxilio digni ſunt, qui exilium pati, & domos ac facultates ſuas amittere, & grauiſſimas calamitates atque ærumnas ſubire præoptarunt, quàm à Catholicâ Religione deficere,

deficere, rebus omnibus humanis diuini honoris gloriam, & orthodoxæ fidei cultum præferentes. Quò pauciores autem reperiuntur vbique his turbulentiſſimis Eccleſiæ temporibus, qui tali virtute, grauitate, conſtantiâ præditi, non chariſſimarum & iucundiſſimarum rerum amiſſione permoueantur, neque aut propoſitorum præmiorum ſpe, aut periculorum metu à CHRISTO & eius corpore Eccleſiâ ſeparari ſeſe patiantur, eò ſtudioſiùs iuuari & ſubleuari illos conuenit. Cùm igitur complures Anglos Catholicos ex illâ Angliæ miſerabili tempeſtate, ne vllâ hæreticæ prauitatis contagione polluerentur, in Flandriam profugiſſe, & Louanium & in alias ditionis tuæ ciuitates ſeſe recepiſſe cognouerimus, quos neceſſariarum rerum inopiâ premi, ac vehementer laborare non ſine dolore audimus; noſtrum officium eſſe exiſtimauimus, non modò eorum egeſtatem aliquo ſubſidio ſubleuare, ſicuti fecimus, & facere in animo habemus; ſed Maieſtati etiam tuæ tantam occaſionem æternæ mercedis, & ſuperni præſidij, tibi ac rebus tuis promerendi, indicare. Quocircà tua apud Deum merita creſcere cupientes, pietati eos tuæ maiorem in modum commendamus, hortantes, vt tales Dei ſeruos illius amore, cuius cauſsâ exulant, & cuius tu beneficio regnas, commendatos habeas, & liberalitate tuâ complectaris ac foueas. Ad quod non eſſe te longiori oratione à nobis incitandum nouimus, cùm ſciamus,

D 2 quàm

quàm ſis ad huiuſmodi opera, ſicut Rege verè Catholico dignum eſt, propenſus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXI. Februarij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XII.

Deprauatis ſacrorum hominum moribus hæreſes potiſſimùm excitari oſtendit: quod vt caueatur, eos ad vitam moreſque ſuos piè componendos, & ad Chriſtianam diſciplinam religioſè conformandos, Clericorumq; Seminarium ritè inſtituendum, hortatur. Vide lib. II. *cap.* I. *Vitæ* PII V.

Dilectis Filiis, Abbatibus quorumcumque Ordinum, & Præpoſitis in Friſingenſi diœceſi conſtitutis.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm nobiſcum ipſi cogitamus, quæ res materiam præbuerit tot tantiſque peſtiferis hæreſibus, quæ in Germaniâ ortæ per vniuerſas poſteà ferè Chriſtiani nominis prouincias propagatæ fuerunt; tanti mali cauſſam præcipuè fuiſſe iudicamus, corruptos Prælatorum mores, qui officij ſui immemores, ac ſalutis obliti, Eccleſiaſticorum bonorum fructus & reditus non in pios & honeſtos, vt debuerant, vſus conuertentes, ſed ad voluptates ſuas,

ſuas, ad luxum, ad pompas & vanitates ſæculi abutentes, eamdemque viuendi licentiam, iis quibus præerant, permittentes, & exemplo eos ſuo corrumpentes, maximum apud laicos odium, contemptionem & inuidiam non immeritò contraxerunt. Ita enim factum eſt, vt populos illorum vitæ nequitiâ vehementer offenſos hæretici facilè hæreſum ſuarum venenis infecerint, eiſque quidquid voluerint, quamuis impium, & Catholicæ veritati apertè repugnans, perſuaſerint. Quod cùm ita ſit, huic malo nullum conſtat aptius nec magis neceſſarium adhiberi poſſe remedium, quàm, vt ij qui licenter & inhoneſtè ad hoc tempus vixerunt, de ſalute ſuâ & de commiſſo ſibi officio diligentiùs cogitantes reſipiſcant, & ſeſe ac vitam ſuam corrigant, recordantes, ſe actionum ſuarum in tremendo Iudicij die rationem eſſe æterno illi Iudici reddituros. Itaque de veſtrâ, & eorum ſimul quibus præeſtis, ſalute ſoliciti, in Domino vos hortamur, & paternè admonemus, vt vnuſquiſque veſtrûm in vitam & mores ſuos diligenter inquirens, in ſeipſo corrigat, quidquid corrigendum eſſe ſua eum conſcientia monuerit; & dum poteſt, dum tempus habet, præteritas culpas & negligentias pœnitentiâ ac morum mutatione redimere properet; & cùm vitæ honeſtioris exemplo, tum etiam hortando, monendo, arguendo, & increpando, eos quibus præeſt corrigere, & ad bonam, vt dicitur, frugem reducere ſtudeat,

quidquid in eis emendandum & reformandum nouerit, ſecũndùm ſacros Canones & Ordinis ſui regularia inſtituta emendans atque reformans. Etſi autem communiter aliis litteris omnes, qui diœceſanæ Friſingenſi Synodo interfuturi ſunt, hortati ſumus, vt ad Seminarium in ciuitate Friſingenſi ex Decreto ſacri Tridentini Concilij inſtituendum de reditibus beneficiorum Eccleſiaſticorum conferant; tamen his quoque litteris vos propriè hortamur, vt prompto animo in opus tam pium, quantum æquum fuerit, pro modo redituum veſtrorum conferatis, cùm nullam in rem vel Deo gratiorem, vel Eccleſiæ ac toti diœceſi ſalubriorem, eam pecuniam erogare poſſitis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vltimâ Februarij, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XIII.

Diœceſanam Synodum ritè haberi, & Clericorum Seminarium inſtitui, recteque curari hortatur: vt lib. II. *cap.* I. *Vitæ* PII. V. *habetur.*

Dilectis Filiis Abbatibus, Capitulis, Præpoſitis, Canonicis, & Clero vniuerſo in Friſingenſi diœceſanâ Synodo congregandis.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Præter alia, quæ in ſacro Oecumenico

menico Tridentino Concilio ad tollendos abuſus, & reformandam Eccleſiaſticam diſciplinam, vtiliter admodum & prouidè ſtatuta ac ſancita fuerunt, nemo eſt qui non intelligat, quantopere Decretum eius de diœceſanis Synodis habendis ſalubre, & hoc tam calamitoſo Eccleſiæ tempore neceſſarium fuerit. Itaque vos omnes & ſingulos in Domino hortandos duximus, vt ipſius Eccleſiæ neceſſitatem vobiſcum reputantes, in veſtrâ Synodo celebrandâ fideliter & diligenter officium veſtrum Deo, ipſique Eccleſiæ præſtetis; & quæ iuxta ſacros Canones, ipſiusque Tridentini Concilij Decretum, in tali Synodo agenda, conſtituenda corrigendáve fuerint, ita agatis, conſtituatis & corrigatis, vt ipſa Eccleſia fructum, quem optamus, ex huiuſmodi Synodi celebratione percipiat, noſque religioſum & pium ſtudium veſtrum collaudare in Domino debeamus. Quia verò Seminarium, ſicut idem Concilium decreuit, in eâdem Eccleſiâ inſtituere in primis expedit, atque adeò neceſſarium eſt, in quo pro diœceſis Friſingenſis magnitudine certus puerorum & adoleſcentium numerus bonâ ad virtutem & pietatem indole præditorum, qui ſpem afferunt, ſe Eccleſiæ ipſique diœceſi eſſe vtiles euaſuros, ſub virorum fidei vitæque probatiſſimæ curâ atque regimine alatur, & bonis moribus ac diſciplinis Eccleſiaſticis inſtruatur: ad eos autem alendos, quia non paruis ſumptibus opus eſt; veſtrum officium eſt, vt pro

ratâ

ratâ veſtrorum Eccleſiaſticorum redituum portione ſubſidium aliquod annuum in tam pium & vtile opus propensè conferatis. Quod vt faciatis, vobis in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus. Quâ eâdem de re vobiſcum mandato noſtro coràm aget dilectus Filius, Magiſter Ioannes Phiſterus, Canonicus Friſingenſis, qui has vobis litteras reddet: eius orationi fidem habeatis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vltimâ Februarij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XIV.

Puerum Epiſcopum non eligendum, in eâque re non temporalia, ſed ſpiritualia bona ſpectari oportere, atque Halberſtadenſi Eccleſiæ virum tanto muneri idoneum Epiſcopum dandum eſſe demonſtrat. Vide lib. VI. *cap.* IX. *de Vitâ* PII V.

Dilectis Filiis, Præpoſito, Decano, & reliquo Capitulo Eccleſiæ Halberſtadenſis.

Dilecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſtquam lectis litteris veſtris, & poſtulatione veſtrâ cognitâ, nobiſcum de eâ re cogitare cœpimus, non potuimus non admirari, his tam calamitoſis temporibus, ad eiuſmodi vos conſilium deſcendiſſe. Attendimus quidem, quæ vos ratio-

rationes impulerint: ſed eâ in re videmus, vos plus neceſſitatem Eccleſiæ, quoad temporalia attinet, quàm quoad ſpiritualia, reſpexiſſe. Brunſwicenſem Ducem amamus nos, vt Principem Catholicæ Religionis ſtudio, & erga ſanctam Sedem Apoſtolicam obſeruantiâ excellentem, omni à nobis eum honore dignum eſſe ſcimus; fauemus eius nepoti, eumque tali auo dignum euadere cupimus. Sed ita eos diligimus, vt conſcientiam noſtram, & exiſtimationem huius ſanctæ Sedis, minimè lædendam eſſe putemus. Nimis abſurdum, nimis alienum ab inſtituto Pontificatus noſtri foret, nimis non Catholicos modò, ſed etiam Eccleſiæ aduerſarios, & huius ſanctæ Sedis inimicos offenſurum, ſi puero illâ ætate Eccleſia iſta nobis approbantibus committeretur. Quam Deo rationem in tremendo Iudicij die facti noſtri reddere poſſemus? Quid non modò Catholici, ſed ij etiam qui ab Eccleſiâ receſſerunt, dicturi eſſent, ſi poteſtate nobis ad ædificationem datâ à Deo abuteremur? Requiſiuimus hac in re ſanè prudentiam veſtram. Illud tamen probauimus, quòd veſtri officij memores, poſtulationem veſtram, poſtquam eius rationem reddidiſtis, arbitrio noſtro permiſiſtis; ſed vellemus, vos oculos potiùs ad ſpiritualia, quàm ad temporalia intendiſſe: cùm dilectus Filius nobilis puer Henricus Iulius, Deo dante, adoleuerit, tum quos illi honores Apoſtolica Sedes pro dignitate illius familiæ, & pro aui

ſui meritis habere poterit, habebit. Numquam hæc Sedes benignitatem ſuam & gratam voluntatem erga benemeritos Principes deſiderari paſſa eſt: hoc autem tempore conſulendum eſt ſummæ iſtius Eccleſiæ neceſſitati. Proinde hortamur vos, & pro noſtro officio auctoritate Apoſtolicâ monemus, vt nihil, niſi Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem reſpicientes, maturo iudicio eligatis in demortui Epiſcopi locum talem virum, qualem tam calamitoſa tempora efflagitant; qui Catholicus ſit, qui & vitæ honeſtate, & litterarum ſcientiâ tanto muneri aptus ſit atque idoneus. Agitur conſcientia veſtra, agitur ipſius Eccleſiæ ſalus. Quid prodeſt conſulere temporalibus, ſi ſpiritualia negligantur? At verò ſi Eccleſiæ in ſpiritualibus præcipuè prouiſum fuerit, ſi vir ad ea tuenda idoneus deligetur, Deo fauente, is temporalia quoque conſeruabit, atque tuebitur. Sed eum à vobis deligi oportet, qui morum, vt diximus, honeſtate commendetur: cuius vita ſit ad imitandum omnibus, quibus præſit, propoſita: cuius ad mores, tamquam ad normam quamdam, Clerus mores ſuos corrigat ac reformet. Quam nos certiſſimam rationem eſſe reprimendarum hæreſum iudicamus; ſicut eis excitandis & augendis, & bonis Eccleſiarum temporalibus amittendis, Prælatorum & aliorum Eccleſiaſticorum prauos mores præcipuam cauſſam dediſſe conſtat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo

Piſcato-

Piſcatoris, die XXI. Martij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XV.

Puerum in Epiſcopum electum approbare ſe non poſſe oſtendit: vt lib. VI. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio nobili viro Henrico Iuniori Duci Brunſvvicenſi.

DIlecte Fili, nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Acceptis litteris tuis ſuper negotio Halberſtadenſis Eccleſiæ, recordati continuò ſumus, quanta & quàm inſignis & quàm multis rebus teſtata fuerit tua in Catholicâ fide conſtantia, & erga Apoſtolicam Sedem pietas atque obſeruantia. Quo nomine te & ante Pontificatum ſingulari ſtudio proſecuti fuimus, &, poſtquam huius ſeruitutis onus, Deo ita diſponente, ſuſcepimus, omnigeno honore, quatenus noſtra, & huius ſanctæ Sedis dignitas pateretur, dignum iudicamus. Ceterùm quò pluris te facimus, & quò propenſiore erga te voluntate ſumus, eò moleſtiùs ferimus, non eſſe hanc rem huiuſmodi, in quâ deſiderio tuo ac noſtro erga te ſtudio ſatisfacere poſſimus. Quâ in re Nobilitatem tuam rogamus, vt ſecum diligentiùs conſideret, quid officium noſtrum requirat, quid hæc tempora poſtulent, quid Halberſtadenſis Eccleſiæ

neceſſitas poſcat, quanto & quàm graui ſcandalo non Catholicos modò, ſed etiam Eccleſiæ inimicos offenſuri eſſemus, ſi puero illius ætatis, auctoritate noſtrâ, Eccleſia committeretur. Certè non ſine pudore & rubore poſſemus de hac re verba cum Fratribus noſtris facere. Cogitemus, dilecte Fili, vtrumque noſtrûm Deo rationem reddere debere, quamquam es tu multò ſenior, etiam quàm nos. Quam, quæſumus, in tremendo illo iudicio rationem reddere poſſemus promotionis adeò immaturæ, adeò contra ſacros omnes Canones factæ? cùm in nepote tuo præter generis nobilitatem nulla prorſus earum rerum ineſſe per ætatem poſſit, quæ ab ipſis Canonibus requiruntur. Speramus quidem de eo illa, quæ ſunt ſperanda de puero tali genere nato; ſed expectanda eſt maturitas ætatis, aut, ſi diſpenſatione aliquâ ſuper ætate opus fuerit, expectandum ſaltem eſt tempus, dum adoleſcat, vt certiùs ſuſcipiendi oneris magnitudinem, & quid profeſſurus, quibuſque ſe legibus obſtricturus ſit, intelligere poſſit, cùm ad talem ætatem, Deo dante, peruenerit. Tum ſi apparebit, eum maiorum ſuorum, tuique in primis, aui ſui, tam Catholici Principis, imitatorem fore; confidere potes, ſanctam hanc Sedem quoſcumque poterit honores pro veſtræ familiæ dignitate, ac pro tuis erga religionem Catholicam meritis, illi habituram eſſe. Quocircà hortamur, & petimus, vt hæc tecum diligenter perpendens, deſiſtas id à nobis pe-

tere,

tere, quod nec nos ſine grauiſſimâ Dei & hominum offenſione concedere, nec tu ſine animæ tuæ periculo impetrare poſſes; quodque non modò Eccleſiæ illi, ſed ne ipſi quidem nepoti tuo expedit. Illud multò magis pietate erga Deum tuâ dignum eſt, vt dilectis Filiis Capitulo Halberſtadenſis Eccleſiæ gratijs actis pro ſtudio, quod erga te & nepotem tuum declararunt, eos horteris, vt Eccleſiæ ſuæ neceſſitati conſulant, aliquo Catholico viro, & vitæ honeſtate ac litterarum ſcientiâ prædito, quæ à ſacris Canonibus requiritur, ad Eccleſiæ ſuæ regimen in demortui Epiſcopi locum ſufficiendo. Ad quod nos quoque pro officio noſtro diligenter eos hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXI. Martij, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XVI.

Eccleſiæ Mediolanenſis iura defendit : vt lib. III. *cap.* XIII. *Vitæ* PII V. *habes.*

Dilecto Filio nobili viro, Gabrieli à Cueua, Duci de Albuquerque, Status Mediolanenſis Gubernatori.

DIlecte Fili, nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex litteris tuis die XXI. Septembris datis perſpeximus, quantopere Nobilitas

tua laboret, ne quod præiudicium inferatur chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Regi Catholico, in controuerſiâ, quæ eſt inter dilectos Filios, Cardinalem Borromæum & Senatum Mediolanenſem. Ceterùm ſicut Nobilitati tuæ curæ eſſe videmus, vt ius temporale ipſius Regis defendas; ita nos pro loco, quem licet immeriti obtinemus, curare conuenit & oportet, vt Regis Regum honorem præ oculis habentes, iura Eccleſiaſtica tueamur. In quo ipſis Principibus conſulere non immeritò nos putamus, cùm, ſuo Eccleſiarum Præſulibus iure reſeruato, etiam ius temporale Principum ſtabiliatur. Atque eam cauſſam quidem, quod ad petitorium attinet, cognoſcendam, æquis iudicibus mandauimus, qui quæcumque Procurator fiſci Mediolanenſis ſuper eâ re proponenda duxerit, diligenter audient, eamque rem, prout iuſtum fuerit, iudicabunt. Ipſum Cardinalem interim in poſſeſſione, à quâ deturbatus fuit, redintegrari, & quoad cauſſa ipſa deciſa ſit, in eâ permanere æquum eſſe cenſemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Octobris, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTO-

EPISTOLA XVII.

Io. Paulum ab Eccleſiâ, Senatorem Mediolanenſem, quem ipſe deinde elegit Cardinalem, quòd Ducis nomine certum negotium Romæ diligenter procuraſſet, commendat; hortaturque Ducem ipſum, vt Eccleſiæ Mediolanenſis dignitatem & iura tueatur.

Dilecto Filio, nobili viro, Gabrieli à Cueua, Duci Albuquerque, ditionis Mediolanenſis Gubernatori.

DIlecte Fili, nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fidelis ac diligentis operæ Ioannis Pauli ab Eccleſiâ Senatoris, in agendo negotio, de quo eum ad nos miſiſti, probè conſcij, faciendum nobis duximus, vt eius ad te reditum debito hoc laudis teſtimonio proſequamur. Non potuit igitur is eam rem accuratiùs gerere, nec meliùs: quæ quò minùs confecta ſit, cùm ipſius rei vis ſuam præ ſe ferat difficultatem, nihil attinet cauſſas exponere: quam tamen controuerſiam, vbi primùm poterit, perſpectis & explicatis omnibus quæ vtramque in partem neceſſariò allata fuerint, & cauſſæ veritate, dirimendam curabimus. Excellentiam quidem tuam, non quia neceſſe ſit, in cuius animo & actionibus cum prudentis Principis officio pium curæ ſacerdotalis affectum libenter agnoſcimus & collau-

collaudamus, paternæ in te charitatis abundantiâ commoti, vehementiùs hortamur in Domino, vt Paſtores reſque Eccleſiaſticas iſtius vrbis ac prouinciæ ſingulari ſtudio ac defenſione complectaris. Nam præter illam neceſſitatem, quam Principes à Deo impoſitam ſuſtinent, vt iis honorem habeant, qui ad curam piorum gregum delecti ſunt ab eo cuius patrocinio & munere dominantur, eâ prætereà pietate confirmant Regna, populos in officio obedientiæ continent. Hanc auctoritatem, quæ debetur Eccleſiaſticæ iuriſdictioni, ſi multi, quorum pro communi Paſtoris ac Parentis officio & temporarias calamitates & æterna ſupplicia ſæpiſſimè lugemus, non ademiſſent, cùm præſenti rerum proſperitate, tum cæleſtis beatitudinis expectatione florerent. Quorum enim dexteræ Principum promptæ ſunt ad tuenda & amplificanda iura Eccleſiarum, eorum imperia ac ſtatus perpetuâ Dei dexterâ defenduntur; ac liberè illi & quietè ſuâ ditione perfrui ſolent, qui libertatem & quietem Eccleſiaſticam ſaluam & tectam conſeruare ſtudent. Quorum præſidio freti etiam Epiſcopi, ſui officij munus vigilantiùs exequentes; in gregis curam, quem Deus ſuo Sanguine acquiſiuit, vehementiùs incumbunt. Protexit orationem noſtram longiùs perſpecta nobis religio ac pietas tua; cui ſalutem precantes, ſacrum Apoſtolicæ benedictionis munus impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub

annulo

annulo Piſcatoris, die III. Octobris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XVIII.

De ſacri Concilij Tridentini Decretis abs ſe in Indiam tranſmiſſis: de iniuncto ſibi Summi Pontificis officio; vicem ſuam dolendam potiùs quàm gratulandam oſtendit: Eccleſiam Dei in Indiâ creſcere & propagari lætatur: Cardinalis Portugalliæ pietatis ſtudium commendat: Antiſtitem, paſtorali curâ ſe eximi poſtulantem, confirmat in officio, & exemplo ſuo conſolatur: diſpenſandi ritè in cauſſis coniugalibus, & certis diebus ſacras Indulgentias elargiendi, tribuit facultatem. *Vide lib.* III. *cap.* V. *Vitæ* PII V. *& lib.* VI. *cap.* XI.

Venerabili Fratri noſtro Gaſpari, Archiepiſcopo Goano.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Perueniſſe ad te litteras noſtras vnà cum volumine Decretorum ſacri Concilij Tridentini, libenter ex tuis litteris cognouimus. De iniuncto nobis officio, quòd nobis aliorum more gratularis, Fraternitas tua vicem noſtram potiùs dolere debet: ſuſtinemus enim onus, & meritis & viribus noſtris longè impar: ſed non deficimus animo in tot tantiſque laboribus, de Domini miſericordiâ confiſi, qui eos qui laborant & onerati ſunt,

confugientes ad ſe, non deſerit. Gratum nobis fuit, quòd de ſtatu iſtius Prouinciæ nos breuiter certiores feciſti. Non ſine maximâ conſolatione intelleximus, auctam eſſe Eccleſiam Catholicam, tot gentilium millibus ad Chriſti fidem conuerſis, & quotannis nouorum filiorum acceſſione creſcere. Benedictus Deus, qui tot & tantas, ac tam diſiunctas nationes, in tenebris ambulantes, reſpicere & illuminare dignatus eſt. Sicut lugemus & aſſiduè deploramus Eccleſiæ damna, quæ in Europâ propter Lutheranam & alias hæreſum peſtes fecit, tantum eiuſdem incrementis in iſtis orbis terrarum partibus gaudemus atque lætamur. Illud optandum eſſet, pro magnitudine meſſis operariorum copiam ſuppetere. Quòd dilectum Filium noſtrum Henricum Portugalliæ Cardinalem laudas, cuius diligentiâ ſcribis officium inquiſitionis hæreticæ prauitatis apud vos vigere, eiuſque vigilantiâ multùm & ſæpè profectum fuiſſe; libenter agnouimus eius inſignem ac præſtantem Catholicæ fidei ac Religionis zelum: nec dubium habemus, quin is, pro ſuâ pietate, tibi & reliquis iſtarum partium Epiſcopis, quidquid potuit opis & auxilij ad colendam & augendam iſtam vineæ Dominicæ partem, ſtudioſè & anteà tulerit, & ſemper laturus ſit. Ad quod eum, quamquam currentem, vt dicitur, noſtrâ ipſi quoque hortatione incitabimus. Ceterùm, quòd commemoratis laboribus & moleſtiis tuis liberari

te

te ab onere Archiepiſcopatus ſuppliciter admodum poſtulas, deſiderio tuo ſatisfieri minimè expedire putamus: pro fraternâ quidem charitate dolemus, te iſtâ ætate tot laboribus fatigari, tot periculis obnoxium eſſe; ſed memento, Frater, per multas tribulationes neceſſe eſſe in cæleſtem nos patriam peruenire. Non eſt deſerenda ſtatio, in quâ Domino nos conſtituere placuit. An non putas, in tot tantiſque occupationibus, curis & moleſtiis, quibus pro ſuſcepto hoc munere indeſinenter fatigamur, nos quoque interdum tædere vitæ, & optabiliorem nobis videri illum priſtinum ſtatum noſtrum? Sed iugum, quod Dominus ferre nos voluit, non excutiendum nobis, ſed ferendum forti animo eſſe ſtatuimus, quoad ei placuerit his nos vinculis corporis exſoluere ac liberare. Depone tu quoque cogitationem iſtam: & ad quod officium inuitus, vt ſcribis, vocatus fuiſti; in eo obſequium & fidem tuam Domino probare perſeuera, pro iſtis breuibus laboribus æternum tibi præmium reddituro. Quòd nos hortatus es, ad concedendum iſtarum partium Epiſcopis facultatem diſpenſandi cum his qui matrimonia inter ſe in gradibus à iure prohibitis contraxerunt, vel in poſterum contrahere contigerit; Nos ſaluti animarum conſulere volentes, & conſiderantes quàm difficile ſit ac longum, ex tam remotis orbis terrarum partibus ab Apoſtolicâ Sede huiuſmodi abſolutiones & diſpenſationes petere,

facultatem eam duximus eſſe concedendam, ſicut ex aliis noſtris litteris intelliges. Poteſtatem etiam tibi, & Epiſcopis tuis, ac ſucceſſoribus veſtris, elargiendi Chriſti fidelibus quotannis, feſtis diebus quibuſdam maximè ſolemnibus, Indulgentias quaſdam dedimus. Cuius conceſſionis quoque litteras ad te, vnà cum his litteris, mitti iuſſimus. Antidotum illud, quod ad nos te miſiſſe ſcribis, nondum acceperamus. Id gratum futurum eſt nobis, non quia opus eo nobis futurum eſſe putemus, ſed quia tale tuæ erga nos charitatis indicium non poteſt nobis non eſſe vehementer gratum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Octobris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XIX.

De litteris ſuis & Concilij Tridentini Decretis ad Archiepiſcopum Mexicanum miſſis: de ſtatu Indicæ illius Prouinciæ, certiorem ſe fieri cupit: ad illarum Eccleſiarum regimen officium ſuum non defuturum pollicetur: Gentiles ad Chriſtianam fidem conuerſos à militum iniuriis defendi curat; vt l. III. *c.* V. *Vitæ* PII V. *habetur.*

Venerabili Fratri noſtro Alphonſo, Archiepiſcopo Mexicano.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Credimus allatas eſſe ad te litte-

litteras noſtras, quibus te, ſicut reliquos quoque iſtarum partium Fratres, anno proximo præterito, de noſtrâ ad Apoſtolicæ Sedis regimen aſſumptione fecimus certiores, & ad te, & illos officio fungentes, quod fraternæ charitati, & ſuſcepto muneri, tali tempore conueniebat, miſimus ſingulis ſingula ſacri Oecumenici Concilij Tridentini, feliciter ſub noſtro prædeceſſore fel. record. Pio quarto peracti, volumina. Nuper autem litteras abs te accepimus, XII. Martij datas, gratulationes nobis de officio ad quod vocati ſumus: cuius nos oneris magnitudinem ſentientes, conſolationem pariter & auxilium piarum precum à Fratribus noſtris expoſcimus potiùs, quàm gratulationem expectamus. Illud cuperemus, nobis de ſtatu Prouinciæ, & an Sedis auxilio & auctoritate opus tibi & Suffraganeis tuis eſſet, ſignificaſſes. Nos enim & tibi, & illis in iis quæ ad bonum veſtrarum Eccleſiarum regimen, & ad propagationem diuini cultus ac Chriſtianæ fidei pertinebunt, deeſſe nolumus, nec debemus. Illud Fraternitatem tuam, coram Deo & Domino noſtro IESV CHRISTO obteſtamur, vt Gentiles ad fidem Chriſtianam conuerſos à militum iniuriis quàm diligentiſſimè defendas ac protegas; & Suffraganeos tuos, noſtro etiam nomine, vt idem faciant, ſedulò admoneas & horteris. Verendum eſt enim, ne propter talia ſcandala nomen Dei in Gentibus blaſphemetur, & minùs multi Chriſtianam fidem

ſuſcipiant, Chriſtianorum peccatis offenſi, iniuriiſque deterriti. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Octobris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XX.

Felicem Marchionis in Nouam Hiſpaniam aduentum gratulans, inibi Catholicæ fidei propagationem à Deo benè precatus, ſedulam rei Chriſtianæ procurationem commendat, ſpiritualiaq; munera tranſmittit. Vide lib. III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Marchioni de Falces, Nouæ Hiſpaniæ Proregi.

DIlecte Fili, nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Te vnà cum dilectâ in Chriſto Filiâ, nobili muliere, Marchioniſsâ, coniuge tuâ, proſperâ admodum nauigatione in commiſſam tibi prouinciam Nouam Hiſpaniam perueniſſe, libenter admodum ex tuis litteris cognouimus. Deum autem precamur, vt qui te iſtuc adeò feliciter perduxit ad iſtos populos regendos, Nobilitati tuæ ſemper adſit, detque & concedat, vt ſancta Eccleſia in iſtis partibus, ſub tuo felici regimine, ad diuini ſui nominis gloriam, & animarum ſalutem, propagetur & creſcat. Cui rei non dubitamus Nobili-

bilitatem tuam toto animo intentam fore. Nullum certè tam Catholico Regi obſequium gratius præſtare, nihil ſeipsâ dignius facere, nullâ re diuinæ gratiæ auxilium certiùs promereri poterit. Nihil autem æquè neceſſarium eſſe pro ſuâ prudentiâ intelligit, ac Chriſtianos nouos diligenter à militum & aliorum Chriſtianorum iniuriis tueri atque defendere, & Gentiles ita tractare, vt ne à ſuſcipiendâ Chriſti fide deterreantur; ſed potiùs modis omnibus alliciantur. Quia verò, quàm grata tibi & aliis fuerint ſuperiora ſpiritualia munera, ſignificaſti; mittenda ad te duximus alia, inter eos quos tibi viſum fuerit, diſpertienda; quibus debitâ deuotione geſtatis aduerſus pericula muniamini. Omnipotens Deus te, & nobilem mulierem vxorem Marchioniſſam, incolumes cuſtodiat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Octobris, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXI.

Eccleſiæ ſanctæ filios ex infidelium conuerſione in Indiâ creſcere lætatur: inde Luſitaniæ Regum pietatem commendans, eorum adminiſtros, vt ad Gentilium conuerſionem, & conuerſos benignè curandos incumbant, adhortatur.

Dile-

Dilectis Filiis, nobili viro, Vice-regi, & Conſiliariis Portugalliæ & Algarbiorum Regis in partibus Indiæ Orientalis.

Dilecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Miſericordiarum Patri & Deo totius conſolationis gratias agere non deſiſtimus, qui in maximis & multiplicibus curis, quas pro ſuſcepto officio aſſiduè ſuſtinemus, reficere nos & conſolari dignatur iucundiſſimis nuntiis, qui ex iſtis Indiæ partibus afferuntur. Audimus enim, quantopere iſtic iam Eccleſia Catholica creuerit, quantuſque Gentilium numerus quotannis ab idolorum cultu ad Chriſti fidem conuerti ſoleat. Ex quibus Eccleſiæ incrementis, & tot animarum ſalute, tantâ cor noſtrum lætitiâ exultat, vt eam non facilè explicare poſſimus. Quanta verò hoc nomine laus Sereniſſimis Portugalliæ Regibus debeatur, cuncti Chriſtiani populi nationeſque nouerunt: eorum enim curâ, ſtudio & admirabili animi magnitudine perfectum eſt (Deo pios illorum conatus & cœpta iuuante) vt vſque in vltimos orbis terræ fines ſacrum Euangelium peruenerit, & ij qui in tenebris ambulabant, lucem veræ Religionis aſpicere, ac Creatorem & Saluatorem ſuum agnoſcere cœperint. Quia verò, tam iis qui longè, quàm iis qui propè ſunt, debitores ſumus; ardentiſſimè cupientes

tes negotium conuerſionis Gentilium quàm maximè vrgeri, & tot animas, quæ perituræ eſſent, augendâ diligentiâ ſeruari, deuotioni veſtræ tam ſanctum & pium opus duximus eſſe commendandum. Si ſola Domini noſtri IESV CHRISTI gloria ageretur, deceret, tam Catholicos viros pro eius honore etiam ſanguinem ſine vllâ dubitatione profundere, qui ſuum ipſe pro noſtrâ ſalute in arâ Crucis effudit; ſicuti veſtræ nationis plurimi ſummâ ſuâ cum gloriâ profuderunt, qui nunc meritorum ſuorum fructum percipiunt. Sed præter Dei honorem, præter animarum ſalutem, agitur quoque Chriſtianiſſimi Filij noſtri Regis veſtri gloria, agitur veſtrum & veſtræ inclytæ nationis decus. Quò plures enim Gentiles Chriſti fidem ſuſceperint, eò Regis nomen glorioſum glorioſius reddetur, imperium eius in iſtis partibus firmiùs ſtabilietur, maiores acquirentur vires, ad barbaras nationes diuino auxilio ſubigendas, & Regno Portugalliæ adiungendas; veſtra porrò & veſtræ nationis laus, & in Religionem Chriſtianam merita creſcent. Quæ vos diligenter attendentes, oportet quidquid poteſtis auxilij, quidquid poteſtis ſtudij ac fauoris, operariis in vineâ Dominicâ laborantibus, Prælatis nimirum, & reliquis quorumcumque Ordinum Religioſis viris, promptiſſimo animo præſtare. Illud verò in primis neceſſarium eſſe pro veſtrâ prudentiâ intelligitis, ipſos Gentiles à militum iniuriis di-

ligenter defendi ac protegi, impedimentaque & ſcandala omnia remoueri ac tolli, quibus eorum conuerſio quocumque modo impediri aut retardari poſſit. Quæ etſi vos facere, & facturos eſſe confidimus; tamen, vt id acriùs & diligentiùs faciatis, vos coram Deo Saluatore noſtro obteſtamur, atque in remiſſionem peccatorum veſtrorum vobis iniungimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. Octobris, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXII.

Vt Galliæ Regi contra hæreticos & rebelles opem ferat, Regem Hiſpaniarum hortatur. *Vide lib.* II. *cap.* VI. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad Maieſtatem tuam allatum fuiſſe minimè dubitamus de tumultu, qui in Regno Franciæ nuper excitatus fuit Religionis Catholicæ cauſſâ, ac ſeditione potiùs rebellium Chriſtianiſſimi Francorum Regis affinis tui. Non dubitamus autem, quin etiam ſine hortatione noſtrâ omni ſtudio Maieſtas tua illi Regi ſubuentura ſit, vel propter commune periculum, vel Religio-

Religionis, & veſtræ neceſſitudinis cauſſâ. Quare nos magnâ cum fiduciâ Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & ceteris omnibus, id eam facturam eſſe confirmauimus; ſicuti nos quoque, etiam ſupra vires noſtras, ei opitulari decreuimus. Vt tamen, quod de Maieſtatis tuæ voluntate & nos expectamus, & aliis polliciti fuimus, cumulatè & ſine morâ vllâ præſtare velit, eam quanto maximo poſſumus animi ſtudio hortandam, rogandam & obteſtandam duximus. Quâ de re cum Maieſtate tuâ pluribus verbis aget dilectus hic Filius Annibal Auricellarius, qui Chriſtianiſſimi Regis mandato, & noſtro quoque, ad te venit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Octobris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXIII.

Carolum Galliæ Regem ex hæreticorum manibus euaſiſſe gratulatur, eique ſe pecuniarum vel militum auxilia præbiturum pollicetur. Vide lib. II. *cap.* VI. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro Ludouico Gonzagæ, Duci Niuernenſi.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Euaſiſſe Chriſtianiſſimum

Regem impias hæreticorum manus maximoperè lætamur, & Deo, qui in tanto eum periculo protexit, gratias agimus. Te verò, quòd ad ferendum ei auxilium adiungaris, maximâ laude proſequimur, &, vt quantam maximam potes celeritatem adhibeas, hortamur. Quòd hortatus es nos ad eum tam neceſſario tempore pecuniâ iuuandum; ſcito veniſſe ad nos ab ipſo Rege nuntium, cui eâdem de re nobiſcum agenti polliciti ſumus, nos Regi minimè defuturos, dummodò Religionis cauſſa ſeriò agatur, non vt ante hoc tempus acta fuit. Sed cùm pecuniæ facultatem in præſentiâ non habeamus, quia quidquid habuimus, abſumpſimus iuuando Imperatorem electum illo grauiſſimo bello Turcarum, & Scotiæ Reginam, & ſancti Ioannis milites ad inſulam Melitam muniendam, multiſque aliis præterea neceſſariis ſumptibus; cogimur aliquod onus populis noſtræ & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionis imponere, omnino contra voluntatem & inſtitutum noſtrum: ſed quod ob noſtras ipſorum & domus noſtræ neceſſitates vt faceremus in animum inducere non potuiſſemus, ſtatuimus id Maieſtatis ſuæ cauſsâ facere. Sed vt noſtra pecunia hac viâ non ita citò expediri poteſt; tamen rationem inibimus, eius quàm celerrimè fieri poterit exigendæ: & neceſſitati Regis, vel pecuniæ vel militum auxilio, prout magis expedire viſum fuerit, etiam ſupra vires noſtras ſubueniemus. Superiores litteræ tuæ,

quas

quas dilectus Filius Adrianus Ballionus nobis reddiderat, ſignificationem magnam habuerunt tuæ erga nos & hanc ſanctam Sedem obſeruantiæ: libenter ea quoque, quæ tuo ipſe nomine expoſuit, audiuimus. Gratum nobis tale officium tuum fuit, perinde ac debuit. Planè oſtendis te in hac ſanctâ Sede colendâ imitatorem eſſe maiorum tuorum, ſicut ſemper de te ſenſimus. Nos quoque eâ erga te voluntate ſumus, quâ vt ſimus, & virtus, & pietas, & nobilitas tua meretur: ipſum quoque Adrianum tuâ cauſsâ libentiùs vidimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Octobris, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXIV.

Galliarum Regno contra hæreticos auxilium poſtulat.
Vide lib. II. *cap.* VI. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Hieronymo Priulo, Duci Venetiarum.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſtquam cognouimus, quanto in diſcrimine verſetur ſalus chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri Caroli Francorum Regis Chriſtianiſſimi, & illius inclyti Regni; ſtatuimus pro officio noſtro ei ferre auxilium, quàm celerrimè poterimus, etiam ſupra vires noſtras, aduerſus

eius rebelles, diuinæ ſimul & Regiæ Maieſtatis hoſtes ſceleratiſſimos. Quia verò cum eius periculo coniunctum quoque eſt Italiæ periculum (etenim ſi, quod Deus auertat, hoſtes eius ſuperiores eſſent, incendium illud in Italiam quoque traiecturum eſſet;) Nobilitatem tuam hortandam duximus, vt depellendi communis periculi cauſsâ, Regem illum tam neceſſario tempore enixè iuuet. Non latet nos quidem, quantoperè de rebus ſuis ipſa ſollicita ſit in hoc tempore: ſed adeò præſens, & ante oculos poſitum eſt hoc periculum, vt omnes qui Religionem Catholicam ſaluam volunt, & communi vtilitati conſultum cupiunt, communi auxilio communibus hoſtibus ſine morâ vllâ obſiſtere debeant. Id cùm Deo gratiſſimum erit, tum iſti inclytæ Reipublicæ, quæ veræ gloriæ ſemper appetens fuit, amplum & glorioſum, tanto Regi, & Religioni Catholicæ ſimul, tali tempore ſubueniſſe. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Octobris, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXV.

Vt Galliarum Regi, Regnoque, contra hæreticos rebelles ſuccurrat, Ducem Sabaudiæ hortatur. Vide lib. II. *cap.* VI. *Vitæ* PII. V.

Dilecto

Dilecto Filio, nobili viro Emanueli Philiberto, Duci Sabaudiæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quanto in diſcrimine verſetur chariſſimus Francorum Rex, affinis tuus, & cum eo ſimul Catholica Religio, propter ſcelus & audaciam impiorum hominum, Dei & Regis ſui rebellium, Nobilitas tua eò certiùs nouit, quò propior eſt tanto incendio. Omnino te hortatione cuiuſquam non egere ſcimus, cùm tot & tam graues cauſſas habeas, quæ te ad eum tam neceſſario tempore enixè iuuandum excitent, vel affinitatis veſtræ, vel Religionis Catholicæ, vel tui, & rerum tuarum periculi. Quia tamen, quod tuâ ſpontè facturus eſſes, certum habemus, pro tuâ in nos pietate & erga Sedem Apoſtolicam reuerentiâ, hortatu noſtro te facturum eſſe; etiam ſtudioſiùs & libentiùs Nobilitatem tuam hortâmur & rogamus, vt in tantis illius Regni tenebris lumen oſtendas animi, virtutis ac pietatis tuæ: quâ ex re maximam à Deo gratiam, & ſummam ab hominibus laudem conſequêris. Nobis verò, qui ipſi quoque Regem iuuare etiam ſupra vires noſtras ſtatuimus, adeò gratum facies, vt non minùs nos tibi, quàm Regem ipſum tali officio obligaturus ſis. Hac autem de re dilectus hic Filius, Annibal Auricellarius, pluribus verbis noſtro nomine tecum aget. Datum Romæ apud ſanctum Petrum

trum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Octobris, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXVI.

Decem aureorum millia Galliæ Regno contra hæreticos ſubſidio mittit; aliaque ad id ſe auxilia contuliſſe, & ab aliis Principibus tum procuraſſe, tum procuraturum ſe, oſtendit. *Vide lib.* II. *cap.* VI. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Emanueli Philiberto, Duci Sabaudiæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Placuerunt nobis ea quæ Secretarius tuus mandato tuo nobis diligenter expoſuit. Cardinali Lotharingo aliquantam pecuniam, ſicut hortatus es, miſimus. Ad tuam quoque Nobilitatem decem millia aureorum in præſentiâ mittimus, vt eâ adiutus pecuniâ commodiùs ferre auxilium poſſis Regi Chriſtianiſſimo, tam graui eius & Catholicæ Religionis tempore. Ad Lotharingiæ Ducem miſimus litteras nuper & Nuntium, hortantes eum, vt ſeſe opponat, ſi quæ è Germaniâ hæreticorum auxilia in Galliam tranſire conabuntur: Italiæ verò Principes per litteras & Nuntios hortari & excitare ſtatuimus, ad mittenda Regi, quàm maxima quiſque eorum poterit, equitum auxilia. Nullum planè officium tam neceſſario tempore

pore Chriſtianiſſimo Regi à nobis deerit, multò plura præſtituris, ſi maiores opes & facultates haberemus, cùm pro paternâ erga eum charitate noſtrâ, tum diuini obſequij cauſsâ. Te quoque hortatione non egere videmus, vt & Deo, & Regi affini & conſanguineo officium præſtes. Tantùm hortamur, vt celeritatem, quantam maximam potes, adhibeas. Quod attinet ad oppida & loca quæ à Bernenſibus tibi nuper reddita fuerunt, ex Secretario tuo cognoſces ea quæ Nobilitati tuæ referenda mandauimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Nouembris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXVII.

Vt optatum Archiepiſcopum eligant, Decanum & Capitulum Eccleſiæ Colonienſis hortatur.

Dilectis Filiis, Decano & Capitulo Eccleſiæ Colonienſis.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non paruâ animi moleſtiâ ac ſolicitudine liberati fuimus, poſtquam ex litteris Nuntij noſtri apud Maieſtatem Cæſaream reſidentis cognouimus, eum, qui à vobis electus Archiepiſcopus fuerat, ſuo tandem iure ceſſiſſe. Gaudemus admodum, & Deo gratias agimus, quòd iam

de integro poteſtas ad vos delata ſit, nouum Archiepiſcopum eligendi. Hortamur autem in Domino, & omni animi ſtudio vos admonemus, vt officij veſtri memores, maturâ deliberatione adhibitâ, & eo, quo decet, conſenſu, eiuſmodi perſonam eligatis, vt electionis veſtræ & Deo & hominibus rationem reddere poſſitis. Agitur, vt videtis, honor Dei, agitur animarum ſalus, agitur officium & exiſtimatio veſtra. Cogitate, quàm hæc turbulenta ſint tempora: mementote, quanto in periculo aliàs iſta Eccleſia verſata ſit; quanta damna & detrimenta acceperit quorumdam Præſulum culpâ. Si vnquam Capitulum iſtud in eligendo Archiepiſcopo curam & diligentiam adhibuit, nunc multò maiorem, quàm anteà, adhibeat neceſſe eſt. Proinde Dei tantùm obſequium, & animarum ſalutem, atque vtilitatem Eccleſiæ propoſitam ante oculos habete, & eligite ſeu poſtulate virum, cuius exploratum & planè compertum habeatis Catholicæ fidei zelum; qui præthereà vitâ, & moribus, & rerum vſu, atque prudentiâ, ad tantæ Eccleſiæ regimen, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus maximè aptus atque idoneus ſit. Talem ſi, vt ſperamus, veſtrâ fide, probitate prudentiâque confiſi, elegeritis; electio veſtra Deo grata, Eccleſiæ ſalutaris erit. Vos autem iudicij veſtri non ſolùm à nobis, & ab omnibus aliis magnam laudem, ſed à Deo etiam præmium conſequemini. Datum Ro-

mæ

mæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Nouembris, M. D. LXVII. anno ſecundo Pontificatus noſtri.

EPISTOLA XXVIII.

Melitæ inſulæ contra Turcam auxilium implorat.
Vide lib. II. *cap.* II. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Satis exploratum atque compertum eſt, potentiſſimum hoſtem noſtrum Turcarum Tyrannum ingentem claſſem, quantam nemo vmquam maiorum ſuorum habuit, & naualem exercitum maximum, ac ceteras res neceſſarias intentiſſimâ curâ comparare, eo conſilio, vt proximo vere traijciat in inſulam Melitam, ad Ordinem militum ſancti Ioannis delendum, ſibi maximè inuiſum, & ad inſulam illam ſubigendam: cuius potiundæ cupidiſſimus eſſe dicitur, tum propter maximam eius opportunitatem, tum propter ignominiam ſuperiore bello acceptam. Cuius viribus cùm Ordo ipſe nequaquam reſiſtere poſſit, cogitur dilectus Filius, Ioannes de Valetta, eius Ordinis Magiſter, Chriſtianorum Principum aduerſus communem Chriſtiani nomi-

nis hoſtem auxilium implorare. Cuius rei cauſsâ ad nos Oratorem miſit, itemque alterum propriè ad Maieſtatem tuam mittit, dilectum hunc Filium ſtrenuum virum Petrum de Mendoza, eius Ordinis militem, & præceptorem de Geuennes. Quia verò & Ordo is, propter ſingularem virtutem ſuam, veteraque & recentia in Chriſtianam rempublicam merita digniſſimus eſt, quem opibus ſuis omnes Chriſtiani Principes tanto imminente bello tueantur,& cum eius periculo totius Chriſtiani populi periculum coniunctum futurum eſt; propensè nos quidem & pecuniam illi ad muniendam inſulam ſuppeditauimus, quantam potuimus, & aliquantum etiam præſidium peditum mittere in animo habemus. Sed nequaquam eæ noſtræ facultates ſunt, vt tantæ eius neceſſitati ſoli ſubuenire poſſimus. Proinde æquum eſt, cùm alios Principes, tum in primis Maieſtatem tuam, cui Deus tot Regna & tantas opes conceſſit, vt ipſa potiſſimùm populum ſuum ac Religionem Chriſtianam ab impio & immaniſſimo hoſte defendat, enixè eum Ordinem, tam neceſſario tempore, iuuare. Quod quidem etiam ſine proprio rerum ſuarum periculo eam ſtudioſè facturam eſſe, pro ſuâ virtute ac pietate, confidimus. Eò autem propenſiùs ei auxilium miſſuram eſſe non dubitamus,quia ipſius maximè intereſt, inſulam adeò Siciliæ Italiæque finitimam in poteſtatem hoſtium non venire. Quod

verò

verò Maieſtatem tuam ſuâ ſponte facturam eſſe certum habemus; vt pro Sedis Apoſtolicæ reuerentiâ etiam promptiùs, prolixiùs, liberaliùs faciat, ipſum Ordinem, quanto poſſumus animi ſtudio, Maieſtati tuæ commendamus: confiſi planè in Domino, ſi abs te, prout opus eſt, adiutus fuerit, fore, vt pari ac ſuperiore bello fecit, virtute & gloriâ barbarorum impetum ſuſtineat ac repellat. Cuius laudis & meriti magna pars ad Maieſtatem tuam perueniet. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Decembris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXIX.

*Vt Melitæ inſulæ contra Turcas opem ferat, Francorum Regem hortatur. Vide lib.*II.*cap.*II. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectus Filius Ioannes de Valetta militum Ordinis ſancti Ioannis Ieroſolymitani Magiſter, cùm ſatis compertum atque exploratum habeat, nouum Turcarum Tyrannum ingentem claſſem, quantam nemo maiorum ſuorum ad hoc tempus habuit, & copias maximas ſummâ diligentiâ comparare, vt vere pro-

ximo Melitam inſulam, priore bello fruſtrà tentatam, maiore vi aggrediatur: & quia afflictis ſuperiore bello eius Ordinis rebus, eas ipſe non habet vires, vt tam potenti hoſti poſſit reſiſtere; idcircò aduerſus communem Chriſtiani nominis hoſtem implorandum ſibi eſſe iure ac meritò duxit auxilium Chriſtianorum Principum. Quod ad nos attinet, ei deeſſe nolumus, ſicuti ad condendam quoque nouam vrbem eum iuuimus. ſed eas ipſi facultates nequaquam habemus, vt ſoli ſubuenire poſſimus. Cùm igitur, ſicuti miſit ad nos & ad alios, ita miſerit ad tuam quoque Maieſtatem auxilij petendi cauſsâ ſtrenuum virum, Petrum de Giou, eius Ordinis Mareſchallum; præterire non potuimus, quin Ordinem ita de Chriſtianâ republicâ omni tempore meritum, ac merentem, qui tantum pro Chriſtianâ religione ſanguinis fudit, ac fundere paratus eſt, niſi à Chriſtianis Principibus deſtituatur, tam neceſſario tempore Maieſtati tuæ & aliis Principibus commendaremus. Etſi enim vnius, plus quàm alterius, intereſſe videtur, illam inſulam defendi; tamen res haud dubiè agitur omnium Principum Chriſtianorum, & totius Chriſtiani populi ſalus. Nimis iamdiu nimis auctæ fuerunt hoſtium noſtrorum vires, ſuperiorum Principum negligentiâ: non eſt committendum, vt magis etiam augeantur. Si (quod Deus auertat) inſula tam opportuna in hoſtium poteſtatem veniret, maximum Chriſtianæ reipubli-

reipublicæ præſidium amitteretur: ſerò poſteà ſentiremus, quantum detrimentum acceptum eſſet. Sed damnum non modò reſtitui ac reparari non poſſet, ſed alia ex aliis deinceps damna, & grauiores in poſterum calamitates populo Chriſtiano eſſent inferendæ. Nouimus etiam, Chriſtianiſſime Fili, tuas quoque ipſius neceſſitates; ſed quibus rebus iuuari abs te is Ordo poſſit, hoc ſuo tempore ipſe Orator Maieſtati tuæ exponet. Ex quo vbi deſideria Magiſtri & Conuentus Melitenſis cognoueris, vt præclariſſimi cognominis tui memor eis ſatisfacere velis, ſicuti pro tuâ virtute ac pietate te facturum eſſe confidunt, Maieſtatem tuam in Domino hortamur & rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Decembris, M.D.LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA XXX.

Melitenſibus à Duce Venetorum contra Turcas ſubſidia poſtulat. Vide lib. II. *cap.* II. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Petro Lauredano, Duci Venetiarum.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantoperè res militum Ordinis ſancti Ioannis Ieroſolymitani afflictæ fuerint, illo tempore quo Turcæ in inſulâ Melitâ terrâ

terrâ mariq́ue eos per multos menſes pertinaciſſimè ſummis viribus oppugnarunt, omnes nouiſſe certum habemus. Ad eos vere proximo iterùm & acriùs oppugnandos, atque illam inſulam inuadendam, multò maior quàm anteà nauium omnis generis multitudo, multóque maiores terreſtres naualesq́ue copiæ ſummâ diligentiâ à nouo Turcarum Tyranno comparari dicuntur. Itaque tam neceſſario tempore ad opem & auxilium omnium Chriſtianorum Principum confugere coguntur, cùm animis magis quàm facultatibus parati ſint ad tam potentis & infeſti hoſtis impetus excipiendos ac ſuſtinendos. Nemo eſt autem, qui non intelligat ac cernat, commune hoc eſſe omnium Chriſtianorum periculum, cùm illa inſula adeò Siciliæ imminens, Italiæq́ue finitima, & ad occupandas Inferi maris inſulas opportuna, tamquam arx quædam ſit habenda totius populi Chriſtiani: quæ ſi (quod Deus auertat) in hoſtium poteſtatem, Chriſtianis Principibus torpentibus, veniret; ſerò poſteà, nullo pœnitentiæ loco relicto, omnes ſenſuri eſſent, quantum Chriſtiani nominis præſidium ac propugnaculum amiſſum fuiſſet. Quia igitur omnium intereſt, Ordinem adeò de Chriſtianâ republicâ benemeritum defendi, &, ne illa inſula in poteſtatem hoſtium redigatur, prouideri; æquum eſt ac neceſſarium, vt nos, & omnes alij, quo quiſque noſtrûm poteſt, eum Ordinem auxilio iuuemus. Ei ſanè nos deeſſe

deeſſe nolumus, licet multos alios ſumptus facere cogamur: ſed eius neceſſitates ſoli ſubleuare non poſſumus; omnes oportet, qui has Chriſtianæ reipublicæ reliquias ſaluas volunt, communis ſalutis ac Religionis periculum communi auxilio propulſare. Ad quod inter ceteros Principes Nobilitatem quoque tuam hortandam duximus, vt Principem valdè Catholicum,&vt eius Reipublicæ Principem, quæ pro Religione Chriſtianâ multa præclariſſima geſſit, ac de eâ benè mereri conſueuit. Nouimus ſanè te, & Senatum iſtum, veſtris rebus non iniuriâ timere, ac maximas neceſſariò impenſas facere: ſed quid abs te hic Ordo deſideret, ex dilecto Filio Petro Iuſtiniano Priore Prioratus Meſſanæ, ciue tuo, & ipſius Ordinis fortiſſimo milite, cognoſces. Nos ne longiores ſimus, res eius Ordinis, cùm pro noſtrâ erga eum beneuolentiâ, tum reipublicæ Chriſtianæ cauſsâ, Nobilitati tuæ tanto ſtudio commendamus, quantum, etiam tacentibus nobis, & virtus ac merita eorum militum poſtulant, & magnitudo periculi Chriſtiano populo impendentis efflagitat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Decembris, M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

APOSTOLICARVM PII QVINTI PONT. MAX. EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS,

Continens Epiſtolas anni tertij eius PONTIFICATVS.

EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM.

Horrendum ſcelus in ſacroſanctam Euchariſtiam admiſſum, grauiſſimè puniendum eſſe admonet.

Dilecto Filio, nobili viro, Carolo Auſtriæ Archiduci, PIVS Papa V.

DILECTE Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non ſine ſummo animi dolore atque horrore audiuimus, nec abſque gemitu referre Nobilitati tuæ poſſumus facinus impium, horrendum

ac infandum, quod nuper in loco ditionis tuæ perpetratum fuiſſe audiuimus. Certiores facti fuimus ab hominibus, quibus fidem meritò habuimus, mortuo Plebano quodam loci qui Taruiſa dicitur, in prouinciâ Carinthiæ, eum, qui à populo in eius locum electus fuit, Andream nomine, quo primùm die Eccleſiam ingreſſus eſt, cùm in ſacrario reperiſſet ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, id ſacrilegâ manu correptum abieciſſe in terram, & pedibus conculcaſſe; conuerſumque ad eos qui aderant, in verba impia ac nefaria prorupiſſe. Quis tantam Dei & Saluatoris noſtri iniuriam ſatis dignè conqueri ac deplorare poſſit? Superat ſcandali magnitudo, ac facti impietas, cùm dicendi vim, tum puniendi etiam facultatem: nullum enim par tanto ſceleri ſupplicium inueniri poteſt. Ac nos quidem, ſi is nefandus homo ditioni noſtræ temporali ſubiectus eſſet, quàm grauiſſimum poſſemus, de eo ſupplicium ſumeremus: ſed cùm ſub ditione tuâ ſit, ad auertenda Dei flagella, qui in eos ſæuiturus eſſet, quorum negligentiâ tantum nefas impunitum relinqueretur, indicandum id Nobilitati tuæ duximus; hortantes, & ſub diuini iudicij obteſtatione monentes, vt Phinees zelo accenſus exurgas, ſicut Catholico & religioſo Principe dignum eſt, ad tantam Domini & Redemptoris noſtri iniuriam vlciſcendam, & hominem tam ſacrilegum comprehendi ſine morâ iubeas, ac veritate compertâ tali ſup-

plicio affici, per quod Dei ira, tum in habitatores loci, in quo tantum facinus admiſſum eſt, tum in omnes qui illud punire neglexerint, imminens, expietur. Eius autem, perinde ac ſi laicus eſſet, puniendi tibi & Magiſtratibus tuis tenore præſentium plenam concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXI. Ianuarij, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA II.

Vltimum ſupplicium ſubituris, pridie quàm illo afficiantur, poſt confeſſionem Sacerdoti ritè factam, Dominici Corporis viaticum adminiſtrari iubet. Vide lib. II. *cap.* III. *Vitæ* PII V.

Venerabili Fratri Ioanni Baptiſtæ, Archiepiſcopo Roſſanenſi, noſtro & Sedis Apoſtolicæ in Hiſpaniarum Regnis apud Regem Catholicum Nuntio.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Relatum eſt nobis, non permitti in iſtis Hiſpaniæ partibus, vt à Iudicibus temporalibus propter delictorum grauitatem capitis damnati, poſt confeſſionem Sacerdoti factam, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum accipiant. Id nos eis minimè denegandum eſſe cenſemus; cùm Chri-

ſtianæ

ſtianæ charitati magis conueniat, eos ad reſiſtendum tali tempore fortiùs diabolicis tentationibus ſacrâ Communione muniri; vt, perituro corpore, ſaluti animæ, quantum fieri poteſt, ſubueniatur. Itaque hunc abuſum, qui ſacris etiam Canonibus repugnat, tolli cupientes, Fraternitatem tuam de hac re cum chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Rege Catholico agere volumus, eique ſignificare, placere nobis, vt ſupplicium vltimum ſubituris, pridie quàm illo afficiantur, poſt confeſſionem Sacerdoti factam, Dominici Corporis viaticum concedatur. quod per totam Hiſpaniam, & alias Prouincias & loca ditionis ſuæ, hortaberis eum, vt, ſicuti eius pietate dignum eſt, poſthac iubeat obſeruari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Ianuarij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA III.

Puerum in Epiſcopum eligentium poſtulationem reijcit, legitimam idonei viri electionem diutiùs non differri iubet; aliàs id ſuâ auctoritate faciendum denuntiat. Vide harum Epiſt. lib. I. Epiſt. XIV. *&* XV.

Dilectis Filiis, Decano & Capitulo Eccleſiæ Halberſtadenſis.

DIlecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſt acceptas litteras veſtras, &

auditum benignè nuntium, qui eas attulerat, etſi conſiderauimus diligenter nobiſcum ea quæ propoſuiſtis; nullo tamen pacto inducere animum potuimus, puero quinque vel ſex annorum adminiſtrationem iſtius Eccleſiæ committere, nimis repugnante conſcientiâ noſtrâ: nimiſque graui ſcandalo totam Germaniam offenſuri, neque eos modò qui nunc ſunt, ſed etiam poſteros, ſi memoriæ proderetur, puerum, in quo nulla per ætatem eſſe poteſt earum rerum quæ à ſacris Canonibus requiruntur, deſignatum, nobis poſtulationem veſtram admittentibus, eſſe Paſtorem & Epiſcopum Eccleſiæ, contra omnes Canones, contra Decreta Conciliorum; quam poſſemus rationem huius rei reddere æterno illi Iudici in tremendo iudicij die? Scimus quidem auum pueri Principem eſſe Catholicum; ſcimus, quoad viueret, non defuturum ei Eccleſiæ, ad defendendum eius bona, illius auxilium ac patrocinium: ſed quâ iam ætate ſit, noſtis. Is præterea puer, vnicus illi nepos eſt. Ne illius quidem domui expedit, nepotem ſuum vnicum temporalium Eccleſiæ illius bonorum cauſsâ (cùm nec ipſe intelligat quid agat, nec quiſquam hominum diuinare poſſit quid acturus ſit, ſi, Deo dante, ad annos adoleſcentiæ peruenerit) rebus Eccleſiaſticis immiſceri, non ſine Dei Omnipotentis, vt verendum eſt, indignatione. Cùm autem iamdiu ipſa Eccleſia vacet, nec ſine magno eius detrimento

differri

differri poſſit diutiùs electio noui Epiſcopi in locum demortui: etſi pro noſtro iure, poſtquam vos prioribus noſtris litteris moniti, tamdiu ceſſaſtis eligere ſeu poſtulare perſonam idoneam, poſſemus quem nobis placeret Epiſcopum & Paſtorem illi præficere; tamen benigniùs vobiſcum agere volentes, vos iterùm hortandos duximus ac monendos, vt, diligenter attendentes periculum in quo Eccleſia verſatur, officij veſtri memores, omni excuſatione omiſsâ, eâ quâ debetis concordiâ, Deum tantùm præ oculis habentes, eligatis vel poſtuletis aliquem ſecundùm ſacros Canones ætatis legitimæ, vitâ & fide atque vſu rerum idoneum ad ipſius Eccleſiæ regimen. Ad quem eligendum vel poſtulandum vobis, poſtquam has litteras acceperitis, præfigimus ſpatium trium menſium, pro termino peremptorio. Intra quod tempus ſi eligere vel poſtulare neglexeritis, nos iure noſtro vtemur, ac, ſicut Deus nobis inſpirauerit, ipſi Eccleſiæ prouidebimus; & conſcientiam noſtram, quæ longiorem moram ferre non poteſt, exonerare curabimus. Proinde dum etiam nunc vobis permittitur, officio veſtro fungimini; & de diuino cultu atque animarum ſalute præcipuè ſoliciti, de temporalibus verò bonis ſolicitudinem in Deum proijcientes, ſperate etiam ad ipſa bona temporalia tuenda, non modò diuinam opem adfuturam, ſed ne humanum quidem auxilium vobis defuturum. Datum Romæ apud S. Pe-

trum ſub annulo Piſcatoris, die III. Februarij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA IV.

Vt Epiſcopum hæreticum, qui indignè occupabat Eccleſiam, dimitti curet, Regem Poloniæ hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ Illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Maieſtatis tuæ laudi gloriæque pro paternâ noſtrâ beneuolentiâ fauentes exſpectauimus, & futurum etiam ſperauimus, vt ipſa tantum illud ſcandalum de Chiouenſis Eccleſiæ Epiſcopo tolleret, &, ne tam infamis hæreticus Eccleſiam illã diutiùs detineret, & tamquam Epiſcopus & Regni Senator publicis conuentibus intereſſet, prouideret. Etſi autem intelleximus ex proximis litteris Maieſtatis tuæ, quantoperè periculoſum putet, & hoc & alia Regni ſui ſanare mala, quæ quorumdam negligentiâ nimis creuiſſe, & corroborata fuiſſe queritur: tamen, ne obijci vnquam nobis poſſit, quod tua Maieſtas nunc aliis forſan immerentibus obijcit, quòd negligenter officio noſtro functi ſimus; deſiſtere nolumus, quin ad tantum ſcandalum tollendum Maieſtatem tuam iterùm horte-

hortemur & excitemus. Fallitur enim, ſi huiuſmodi ſcandala tolerando ac diſſimulando, Regni ſui quieti & tranquillitati ſeſe conſulere putat. Non poſſe hæreſes ſimul cum Catholicæ Religionis cultu in eodem Regno tolerari, illud ipſum exemplum Regni Franciæ, quod Maieſtas tua affert ſui excuſandi cauſsâ, documento eſt. Si ſuperiores Reges Franciæ, diſſimulando & tolerando, id malum creſcere paſſi non fuiſſent; facilè extirpare hæreſes, & Regni ſui paci & quieti conſulere potuiſſent: neglectis prædeceſſorum noſtrorum paternis hortationibus, dum iſtiuſmodi carnis prudentiâ nituntur, ſublatâ pace, quæ ſine vnico rectæ veræque Religionis cultu manere non poteſt, Regnum illud olim adeò florens & tranquillum, miſerandum in modum perturbarunt, & in extremum periculum adduxerunt.

Nam quòd Maieſtas tua de zizaniis non euellendis, propter periculum euellendi ſimul tritici, Domini & Saluatoris noſtri dictum, non ita, vt intelligit ipſe, intelligendum affert; mallemus eius meminiſſet, quod idem Saluator noſter de Regnorum in ſe diuiſorum futurâ deſolatione adeò apertè & perſpicuè dixit. Quæ verò diuiſio deteſtabilior, quæ pernicioſior Regnis ac populis exiſtere poteſt, quàm de Religione diſſenſiones atque diſſidia? Si ſcandala adeò creuerunt, vt ſcribis, vt ſpes non ſit, adeò facilè omnia ſimul tolli poſſe; at aliqua eo-

rum, quæ tolli poſſunt, tollenda ſunt: cuiuſmodi hoc appellati Chiouenſis Epiſcopi. Quo ab Eccleſiâ illâ auulſo, nequaquam timendum eſt, ne conuellatur ſtatus Regni. Facilè Maieſtas tua illum, vt eam Eccleſiam dimittat, auctoritate ſuâ regiâ adducere poterit. Quod vt faciat, eam iterùm paternè hortamur; & vehementer rogamus, conſulat famæ ſuæ, conſulat Dei Omnipotentis honori, & illius Eccleſiæ atque animarum ſaluti. Sed ſi facere diutiùs recuſauerit, cogemur ipſi aduerſus illum pſeudo-Epiſcopum ſecundùm ſacros Canones agere, ex neceſſitate cum Maieſtate tuâ; ne noſtro ipſi quoque deſimus officio, quod ſine graui Dei & hominum offenſione prætermittere non poſſumus. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Martij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA V.

Læſam in Poloniâ Eccleſiaſticam libertatem defendi curat. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ Illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm audiamus in Regno tuo Eccleſiaſticam libertatem multis

tis modis lædi atque imminui, certum quidem habemus, id contra voluntatem tuæ Maieſtatis admitti: ſed, ſi diutiùs talia diſſimulentur, hominum improborum licentiam indies longiùs progreſſuram eſſe videmus. Itaque Maieſtatem tuam, pro commiſſo nobis officio, & paterno erga ipſam amore, hortandam in Domino, & excitandam ac rogandam duximus, ne patiatur talem temeritatem creſcere; ſed cùm animæ, tum exiſtimationi ſuæ diligentiùs conſulat. Omnibus quidem ſua iura ſeruanda ſunt; ſed ab Eccleſiis præcipuè, Eccleſiaſticiſque perſonis, prohibendæ ſunt iniuriæ ac propulſandæ, cùm eæ vel maximè ad Dei & Saluatoris noſtri iniuriam contumeliamque redundent, ac furorem eius prouocent. Semper Catholici ac ſapientes Reges ac Principes Clericis, propter diuini nominis gloriam, patrocinium ſuum præſtare conſueuerunt, & pro Eccleſiaſticâ libertate ſe tamquam murum opponere. Qui verò eam opprimi patiuntur, ſerò, poſteaquam id ſibi & ſuis rebus pernicioſum fuerit, ſentiunt. Si non hæreſum peſtilentia per Regnum tuum diffuſa eſſet, hæc hæreſum origo, hoc violandæ Religionis initium futurum fuit. Potes etiam nunc, chariſſime Fili, potes reprimere tales audacias, & huiuſmodi licentiam improbis eripere. Nondum adeò ſectæ hæreticorum creuerunt, quin multò maior pars populorum Regni tui in officio maneat. Vtere modò poteſtate tibi à

Deo datâ, & Cleri ac Sponſæ eius Eccleſiæ cauſſam audaciter ſuſcipe ac tuere. Minus, quàm forſitan metuas, audebunt, vbi Regem pro Clero & Eccleſiis ſtare videbunt. Magna eſt Regis auctoritas, magna celſitudinis Regiæ obſeruantia. Non contemnetur Rex, niſi mirâ patientiâ ſuâ ſe contemni ac deſpici ſinat. Nec eſt ferè quiſquam tam malus, qui non Regis gratiam malit cum ſecuritate, quàm iram & offenſionem eius cum periculo. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Maij, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA VI.

Eccleſiaſticam libertatem defendit. Vide lib. VI. *cap.* VIII. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Emanueli Philiberto, Sabaudiæ Duci.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cogit nos munus, nobis à Deo licet indignis iniunctum, id diligenter agere & curare, vt locis & hominibus Eccleſiaſticæ libertatis ius & priuilegium habentibus ſua immunitas inuiolata ſeruetur. Quod quidem tam debitum & neceſſarium officium ſi prætermitteremus, nec apud Deum nec apud homines nos excuſare poſſe-

poſſemus. Solemus ſanè, cùm quidpiam contra eam alicubi fieri audimus, non minùs eorum cauſsâ qui culpam talem admittunt, aut admitti patiuntur, quàm eorum qui læduntur dolere. Qui enim in hoc genere alios lædunt, ſuam quoque ipſorum ſalutem (quod multò maius detrimentum eſt) lædunt, & in periculum adducunt. Ad aures noſtras peruênit, incolas loci Verra vocati, & aliorum quorumdam locorum iuris Aſtenſis Eccleſiæ, à miniſtris & officialibus Nobilitatis tuæ grauibus & variis oneribus iniungendis compelli ad ſoluendam partem pecuniæ, quæ donatiui nomine à ſubditis tuis aliquot abhinc annis exigitur; cogi eos prætereà milites fieri, & pecuniâ ſuâ emere quædam armorum genera, multiſque aliis rebus libertatem eorum imminui. Moleſtè quidem tulimus, ſi res ita ſe habet, eos huiuſmodi incommodis affici; ſed pro paterno amore, quo ſalutem & famam Nobilitatis tuæ diligimus, non minùs hæc nobis tuâ ipſius cauſsâ diſplicuerunt, quem Deo per omnia placere, & cuius nomen vbique glorioſum eſſe cupimus. Cùm enim libertas Eccleſiaſtica violatur, non tam homines, quàm Deus ipſe, qui Eccleſiæ ſuæ parci, & iura ſua ſeruari vult, violatur & grauiter offenditur. Non paruâ labe eorum fama, qui talia admittunt, vel admiſſa diſſimulant, maculatur. Quia igitur, cùm talia non facilè credere poſſemus, niſi veritate priùs inquiſitâ, loca illa ad Eccleſiam Aſten-

ſem pertinere comperimus, eamque ob cauſſam non debere locorum illorum incolis huiuſmodi onera imponi; Nobilitatem tuam paternè admonendam duximus, vt cùm diuini honoris cauſâ, cuius zelum & curam te habere ſemper cognouimus, tum pro perpetuâ tuâ erga ſanctam hanc Sedem reuerentiâ, prohibeas ac vetes, ne in poſterum illorum locorum incolæ huiuſmodi onera ſubire cogantur; & quidquid contra libertatem eorum ad hoc tempus geſtum eſt, reuoces, ſuamque illis locis immunitatem, ſicut æquum eſt, incolumem conſerues. Quòd ſi Nobilitas tua ius aliquod in illis locis ſe habere exiſtimat, cauſſam ſuam docendos nos curare poterit; ab eiuſmodi interim oneribus abſtinendo. Quod vt primo quoque tempore faciat, eam hortamur; vt auditis, quæ pro eius cauſâ dicta fuerint, ſtatuere poſſimus, an illi homines iuſtam querendi cauſſam habuerint. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Maij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA VII.

Abbati Claræ-vallis Cardinalatum ſuſcipere pro ſuâ modeſtiâ recuſanti, vt electioni acquieſcat, iterùm præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ. Vide lib. VI. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Dilecto

Dilecto Filio Hieronymo, Abbati Claræ-vallis, electo S. R. E. Cardinali.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lectis litteris tuis, & cognitis rationibus, quas attuliſti, cur tibi commodius eſſe exiſtimes manere in Ordine tuo, quàm ſuſcipere munus, ad quod te ſuperioribus diebus de conſenſu Fratrum noſtrorum promouimus; modeſtiam quidem & probitatem tuam amauimus, ſed excuſationem non eſſe accipiendam duximus. Nam quòd exiſtimas promotionem hanc impedimento tibi fore, ad agendam curam Monachorum tuo regimini commiſſorum, & Monaſteria, quæ abs te viſitari, vt à Claræ-vallis Abbate, debent, viſitanda; ea res ſeſe aliter habitura eſt, quàm cenſes. Cardinalatus enim dignitas adiumento potiùs erit ad officium illis tuum maiore cum auctoritate præſtandum, & ea, quæ Monaſteriorum neceſſitas expoſcet, agenda. De iis verò, quæ in eo eſſe debeant qui ad hoc munus aſſumatur, quæ tibi deeſſe ſcribis, laudamus quidem iſtam humilitatem tuam, ſed non eſt tuum de te, quàm ſis ei muneri idoneus, iudicare. Noſtro acquieſcere iudicio debes, & ita cogitare, per miniſterium noſtrum te à Deo vocatum eſſe; quandoquidem te nec opinantem in curarum & ſolicitudinis noſtræ partem non ſine diligenti delibe-

deliberatione aſſumpſimus, ad ſeruiendum nobiſcum Dei honori, & ſanctam eius Eccleſiam tam graui & turbulento tempore regendam, qui potens eſt & ea quæ dedit tibi dona augere, & quæ in te requiri forſitan poſſint, addere: pro cuius obſequio & honore nullos debes vel animæ vel corporis labores ſubterfugere; ſed eius vocationi, confiſus ipſius gratiæ & auxilio, humiliter obedire. Debes verò etiam, ſicut charitatis officium poſtulat, vicem noſtram dolere, qui hac ætate onus multò grauius ſuſtinemus: ad quod ferendum tuâ, & tui ſimilium ope indigemus. Accepto igitur, quod ad te miſimus, huius honoris inſigni, omni excuſatione omiſsâ, conſtitutis priùs quàm breuiſſimo tempore poteris Monaſterij tui rebus, ad pileum rubrum, ſummum eiuſdem dignitatis inſigne, à nobis ipſis accipiendum, fac te ad nos primo quoque tempore conferas. Quod vt facias, in virtute ſanctæ obedientiæ tibi mandamus. Ad nos autem cùm, Deo iuuante, perueneris, tum non modò in vniuerſum de Religione conſtituendâ tecum communicabimus, ſed de eâ propriè in Ciſtertienſi Ordine, in quo penitus propè collapſa videtur, reſtituendâ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Maij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTO-

EPISTOLA VIII.

Cæſarem, vt Eccleſiæ Tridentinæ iura defendat, hortatur. Vide lib. III. *cap.* VII. *Vitæ* PII V. *& infrà huius libri Epiſt.* XXIV. *&* XXV.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Maximiliano II. Romanorum Imperatori.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis curauit venerabilis Frater, Epiſcopus Tridentinus, Cardinalis Madrutius appellatus, magnâ ſanè cum modeſtiâ, quantoperè cupiat dilecti Filij nobilis viri Ferdinandi, Archiducis Auſtriæ, germani tui, gratiam & beneuolentiam obtinere, ac nullam cum eo controuerſiam habere. Queritur autem, factum eſſe nonnullorum prauorum ſuaſorum impulſu, vt quædam tentari cœperint contra centum & ampliùs annorum conſuetudinem, vt dicit, per quæ Eccleſiæ ſuæ iura maximâ ex parte minuantur. Sanè quò magis pium & Catholicum Principem, & maiorum veſtrorum inclytæ memoriæ Principum ſimilem, ipſum Archiducem nouimus; eò magis mirati ſumus, ab eo talia tentari. Illud quoque cogitamus, rem hanc nimis mali exempli eſſe. Si enim tam Catholicus Princeps manus Eccleſiarum bonis admouebit; quid alios facturos

eſſe ſperandum eſt? Sed cùm probitatem eius cognitam habeamus, hoc factum culpâ aliquorum eſſe perſuaſum habemus; qui gratiam eius aucupantes, Deum offendere non verentur, dum Principi ſuo placeant. Illud planè credimus, Maieſtati tuæ non placere, iſto modo agi, nec iure peti, quod legibus & iudicio obtineri poſſit. Si Archidux aliquod ſe ius habere exiſtimat, leges habet, quibus agere poteſt: habet Maieſtatem tuam, cuius arbitrio ea controuerſia componi poterit. Quocircà Maieſtatem tuam hortamur in Domino & rogamus, vt auctoritatem ſuam interponat, & fratrem ſuum ab vllâ vi adhibendâ, & pro Cæſareâ & pro fraternâ auctoritate, deducat; cùm nihil tam contrarium iuri ſit, quàm vis: quâ qui vtuntur, non intelligunt, ſe ius ſuum in iniuriam conuertere. Conſulat pro ſuâ pietate & ſapientiâ, fratris ſui exiſtimationi, nec bonum eius nomen hac labe pollui patiatur. Det hoc etiam Maieſtas tua ſanctæ Sedis Apoſtolicæ reuerentiæ, vt ab huiuſmodi factis eum dehortetur, quæ neceſſariam dignitatem ipſius Sedis eſſent violatura. Curæ quidem eſt nobis, ſicut eſſe debet, vt Eccleſia illa in poſſeſſione bonorum ſuorum permaneat; ſed pro paterno amore noſtro erga ipſum Archiducem, exiſtimationi quoque & famæ eius conſultum cupimus. Hac autem eâdem de re Nuntio noſtro mandauimus, vt quàm diligentiſſimè tecum agat. Non minore nos moleſtiâ, quàm ipſum Epiſcopum,

ſcopum, tuæ Maieſtatis maximum cultorem, liberabis, ſi auctoritate tuâ hæc controuerſia ſedata fuerit. Ad quam componendam vt incumbas, Maieſtatem tuam, quanto poſſumus ſtudio, iterùm hortamur ac rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xv. Maij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA IX.

De ſacroſanctâ Communione ſub vtrâque ſpecie laicis nullo modo concedendâ. Vide lib. VI. *cap.* VIII. *Vitæ* PII V.

Vener. Fratri Vrbano, Epiſcopo Patauienſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores nos fecit Nuntius noſter, qui apud Sereniſſimum Imperatorem electum reſidet, ſe abs te conſultum fuiſſe ſuper Communione ſub vtrâque ſpecie, vtrùm eam Diœceſanis tuis efflagitantibus concedere deberes: miſit etiam ſcriptum, in quo, quæ in concedendâ aut denegandâ eâ re commoda & incommoda eſſent, diligenter complexus es. Placuit nobis zelus, quem in hac re ſignificaſti: laudamus etiam prudentiam tuam, quòd de re tam graui nihil temerè agendum putaſti: ſed Apoſtolicæ Sedis Nuntium, hoc eſt, per eum Sedem ipſam Apoſtolicam conſuluiſti. Sed

nos, conſideratis nobiſcum attentiùs iis quæ abs te propoſita fuerunt, in eâdem ſententiâ manſimus, in quâ etiam tum, cùm à Prædeceſſore noſtro ea licentia efflagitata atque expreſſa fuit, fueramus; non eſſe hac in re recedendum à tam vetere, & à tot ſanctis Patribus approbato & ſanctiſſimè retento Eccleſiæ Catholicæ inſtituto: nec debere te, vel quemquam alium, moueri leuium quorumdam poſtulationibus inconſultis: qui, ſi verè Catholici eſſent, ſanctam Matrem Eccleſiam magis reuererentur, neque eius diſciplinam & ritus tam temerè abijcerent; & verè Catholicos potiùs, quàm hæreticos horum temporum, in vſu tam diuini ac venerabilis Sacramenti ſibi imitandos eſſe ſtatuerent. Si ſub vnâ ſpecie perinde Chriſtum integrum ac ſub vtrâque ſumi credunt, ſicuti credere debent, cur vnâ ſpecie contenti non ſunt? cur immutari ritum Eccleſiæ adeò antiquum, & ab omnibus Catholicis nationibus per tot ſæcula obſeruatum, volunt? Si non credunt, hoc ipſo Catholicos ſe nomine tantùm eſſe, re ipsâ autem cum hæreticis ſentire oſtendunt. Nam ſi verè Catholici eſſent, nullo pacto ſibi cum hæreticis, ne de cærimoniis quidem, conueniendum eſſe putarent. Itaque metus ille, ne, denegato eis vſu ſacri Calicis, ad hæreticos tranſeant, te mouere non debet. Si enim id facturi ſunt, iam eos, certum habeas, non eſſe purâ nec ſincerâ fide, nec pro veris Catholicis habendos. Quamobrem

debes, Frater, primùm illud eniti, vt populus tibi commiſſus retinendum ſibi eſſe ſtatuat potiùs Eccleſiæ Catholicæ antiquiſſimum & ſanctiſſimum ritum, quàm eum, quo hæretici vtuntur. Si hortando & monendo nihil profeceris; tu tuo te officio ſatisfeciſſe intelligere debebis. Quiſquis receſſerit, non tuâ, ſed ſuâ culpâ receſſerit. Atque in hac ſententiâ adeò conſtanter & fortiter manere debes, vt nullius iacturæ aut periculi metu ex eâ te dimoueri patiare; etiamſi temporalia bona amittenda eſſent, etiamſi ſubeundum eſſet martyrium. Pluris talis conſtantiæ præmium æſtimare debes, quàm quantaſuis opes & temporalia bona: martyrium verò adeò non eſt ſubterfugiendum homini verè Chriſtiano & Catholico, vt ſit etiam expetendum, & in ſingularis beneficij loco à Deo accipiendum; & felix habendus ſit, quicumque dignus habitus fuerit, qui pro Chriſto, & pro eius ſanctiſſimis Sacramentis ſanguinem effundat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Maij, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA X.

Ne laici, quauis dignitate ſint, in Eccleſiarum Sacellis maioribus, vel in Choris, aut Presbyteriis, dum diuina celebrantur Officia, ſedere ſeu ſtare permittantur. Neque mulieres, cuiuſuis gradus ſint, virorum aut feminarum Monaſteria ingredi audeant.

Dilecto Filio noſtro Henrico, Tituli ſanctorum quatuor Coronatorum Preſbytero Card. Portugalliæ Infanti, Apoſtolicæ Sedis Legato.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inualuiſſe hunc in Eccleſiis Regni Portugalliæ, tam cathedralibus quàm aliis, ſæcularibus & regularibus, abuſum audiuimus, vt homines nobiles & alij laici, dum diuina Officia celebrantur, in ipſis Capellis maioribus & Choris ſedere & ſtare minimè vereantur, non parum impedientes Miniſtros ipſarum Eccleſiarum in Officiis celebrandis. Quod quidem licet vetitum fuerit decretis Prouincialium Synodorum; tamen multi, ſicut accepimus, id ſibi licere putantes propter licentias per importunitatem, aut forſan falſi ſuggeſtionem, à Sede Apoſtolicâ impetratas, talia decreta negligunt. Cùm igitur talis abuſus, qui diuinum cultum non parum turbat, tollendus, & debitus in Eccleſiis decor, præſertim tempore diuinorum Officiorum, ſeruandus ſit; Circumſpectioni tuæ præſentium tenore mandamus, vt, non obſtantibus quibuſcumque huiuſmodi licentiis, ſub grauibus pœnis auctoritate Apoſtolicâ prohibeas & interdicas, ne vlla ſæcularis perſona, quacumque dignitate præfulgeat, dum diuina celebrantur Officia, in Capellis maioribus & Choris dictarum Eccleſiarum ſedere

aut

aut ſtare audeat: & quod de hac re ſtatueris, diligenter cures & facias obſeruari, etiam implorato, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Illud non parum mirati ſumus, quod relatum fuit nobis, multas mulieres poſt confirmationem Decretorum ſacri Concilij Tridentini, à Generalibus Ordinum ſancti Dominici, ſancti Auguſtini, ſancti Franciſci, Ciſtercienſis, beatæ Mariæ in monte Carmelo, & forſan aliorum, expreſſiſſe licentias & facultates ingrediendi Monaſteria Monialium eorumdem Ordinum: alias verò conceſſis ab Apoſtolicâ Sede, ante confirmationem ipſius Concilij Tridentini, contra eius Decreta vti. Quæ res cùm magnoperè impediat obſeruantiam regularem, & quietem ipſarum Monialium turbet; tolli hanc quoque nimiam licentiam volentes, & ea quæ Concilium Tridentinum ſalubriter ſtatuit atque decreuit, ne mulieribus virorum, mulierúmve viris ingredi Monaſteria liceat, inuiolabiliter obſeruari mandamus; & præcipimus, vt omnes huiuſmodi licentias, etiam ab Apoſtolicâ Sede ante confirmationem Tridentini Concilij conceſſas, ſub cenſuris & pœnis, quibus tibi viſum fuerit, eâdem auctoritate reuoces; & quod Tridentinum Concilium ſuper hac re ſtatuit, diligenter facias, ſicut de pio zelo tuo confidimus, obſeruari. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Maij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTO-

EPISTOLA XI.

Regem Portugalliæ poſt annum ætatis ſuæ XIV. *Regni gubernacula ſuſcepiſſe gratulatur, atque vt in adminiſtratione optimis ſuorum conſiliis acquieſcens probè ſe gerat, in primiſque pietatem in Deum, & augendæ propagandæque Chriſtianæ Religionis ſtudium propoſitum habeat, hortatur.*

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sebaſtiano, Portugalliæ & Algarbiorum Regi.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lætum admodum nuntium attulerunt nobis litteræ tuæ die tertiâ Martij datæ: ex quibus cognoſcimus, Maieſtatem tuam, cùm iam ad annum XIV. ætatis ſuæ perueniſſet, accepiſſe die feſto ſancti Sebaſtiani, & eodem natali ſuo, adminiſtrationem Regni ac Dominiorum ſuorum, à dilecto Filio noſtro Henrico, Cardinali, patruo ſuo magno: cuius ſummâ fide, virtute, prudentiâ ac diligentiâ ad id tempus feliciter adminiſtrata fuerunt. Egimus gratias Deo, qui te optimâ diſciplinâ, & verè paternâ curâ ipſius Cardinalis imbutum & inſtitutum ad eam ætatem perduxit, vt iam per te ſubiectos tibi populos & nationes regere poſſis. In quo munere te vſurum, ſicut ſemper facere debebis, Sereniſſimæ Reginæ auiæ,

auiæ, & eiuſdem patrui prudentiſſimis fidiſſimiſque conſiliis, planè confidimus; & auguramur, reſponſurum eſſe laudibus maiorum tuorum, inclytæ memoriæ Regum. Quorum cùm alias præſtantiſſimas virtutes, & glorioſa tibi ad imitandum propoſita habere debebis exempla, tum præcipuè pietatem erga Deum, & ſtudium augendæ & propagandæ Chriſtianæ Religionis. Ad quam propagandam quantò vehementiùs incumbes, tantò magis diuinum tibi ſemper aderit auxilium; & res omnes, quas ages aut aggredieris, feliciùs ſuccedent. De deuotione & obſequio, quæ nobis & huic ſanctæ Sedi, maiorum tuorum exemplo, præſtiturum omni tempore profiteris, Maieſtatem tuam in Domino plurimùm laudantes: expectare teipſum quoque à nobis, & ab ipsâ ſanctâ Sede, volumus eximiam quamdam charitatem; &, quantum ipſius Sedis dignitas patietur, in tuis exaudiendis precibus benignitatem. In communi illâ reuocatione iurispatronatuum à fel. record. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro conceſſorum, non ſine grauibus & iuſtis cauſſis à nobis factâ, quòd te æquo animo tuliſſe ſcribis, gratiam tibi quoque à Deo factam fuiſſe; deuotionis erga Sedem Apoſtolicam tuæ magnum ſignum das, cùm eius iudicio, ſicut filio ac moderato Rege dignum eſt, humiliter acquieſcis. De Monaſteriis autem Regni tui, quorum regimen anteà perpetuum eſſe ſolebat, ad triennale regimen rectioris

adminiſtrationis cauſsâ reductis, gratum nos feciſſe Maieſtati tuæ, gaudemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Maij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XII.

Adoleſcentem Regem optimis magni patrui Cardinalis, & Reginæ Catharinæ eius auiæ, conſiliis in Regni adminiſtratione adiutum iri confidens, id ſedulò fieri commendat.

Dilecto Filio noſtro in CHRISTO, Henrico Cardinali Portugalliæ.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Regem ad eam ætatem perueniſſe, vt iam Regni, quod ſummâ fide, curâ & diligentiâ tuâ ad hoc tempus adminiſtratum fuit, abs te adminiſtrationem acceperit, libenter admodum cognouimus, & Deo gratias agimus; quòd is ſpem afferat, cùm reliquis virtutibus, tum pietate erga Deum, & obſeruantiâ erga ſanctam Sedem, ſimilem ſe fore maiorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum. Quod eò magis de eo ſperare poſſumus, quia non ſolùm quo genere ortus ſit, ſed etiam quali curâ & diligentiâ educatus & inſtitutus fuerit, nouimus. In his autem Regni ſui initiis, quòd ei vnà cum chariſſimâ

in CHRISTO Filiâ noſtrâ Reginâ auiâ ſuâ tu adfuturus ſis, id magnopere laudamus, & expedire putamus. Quibus enim melioribus conſiliis tenera adhuc eius ætas niti poteſt, quàm veſtris, quorum vtrique genere quidem nepos eſt, charitate autem filius? Ille verò plurimum Deo debet, quòd vos ambo eâ, quâ decet, concordiâ inter vos, communique conſilio, actus eius ſitis, donec ætas eius ita poſtulauerit, directuri. Quòd actiones quaſdam noſtras laudibus effers, eas quidem tibi probatas eſſe, gaudemus: ſed ſi quid agimus quod laudandum ſit, totam Deo laudem tribui cupimus, à quo bona cuncta procedunt. Cuius auxilium, infirmitatis noſtræ nobis conſcij, & tuis & aliorum piis orationibus nobis implorare vehementer cupimus, vt tantum onus, quod vires noſtras longè ſuperat, ſuſtinere poſſimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Maij, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XIII.

Simoniacam prauitatem omnino cauendam eſſe præcipit. Eodem exemplo ſcripſit ad Archiepiſcopos Mechlinienſem, Cameracenſem & Traiectenſem; & ad Epiſcopos Buſcoducenſem, Iprenſem, Middelburgenſem, Harlemenſem, Tornacenſem, Atrebatenſem, Audomarenſem & Namurcenſem.

Epiſcopis per Flandriam conſtitutis.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quàm graue, quàm deteſtandum ſit Simoniacæ labis crimen, quæ prima contra Eccleſiam hæreſis prodiit; cùm Apoſtolorum Principis in eum, à quo & initium & nomen ſumpſit, prolata ſententia declarauit, tum illa Redemptoris noſtri, qui menſas vendentium in templo columbas euertit, eoſque reiecit, ſeueritas indicauit. In eo genere multa in iſtis partibus admitti, ad dignitates præcipuè & beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, multis referentibus, non ſine graui dolore audiuimus. Quod ſi ita eſt, neceſſe eſt operam dare, vt tantum ſcandalum tollatur. Itaque pro commiſſi nobis officij ſolicitudine Fraternitatem tuam hortamur, vt, quod ad eos qui ſibi ſubiecti ſunt attinet, diligenter ac ſedulò huius rei inquirere ſtudeat veritatem; & quos comperit quacumque huius criminis labe pollutos, Dei tantùm honorem ante oculos propoſitum habens, in eos animaduertat, ſecundùm canonicas ſanctiones, & Decreta ſacri Concilij Tridentini. Ad quod vitium reſecandum, ſi, quantum ſperamus, zelus tuæ Fraternitatis exarſerit, & Deo munus gratiſſimum offeres, & ad aliorum ædificationem, quantoperè domus Domini decorem diligas, apparebit. Datum Romæ apud S. Petrum

ſub

ſub annulo Piſcatoris, die v. Iulij, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XIV.

Catholicos in officio Religionis continendos, lapſos ad fidem reuocandos, exequenda Decreta Concilij Tridentini, prouinciales & diœceſanas Synodos habendas, Clericorum Seminarium inſtituendum, bonos tantùm & idoneos ſacris Ordinibus initiandos, Huſſitas, niſi reſipiſcant, non promouendos, interdictos libros cauendos, quæ per ſe agere non poſſit, per adiutorem confici curet, Archiepiſcopum Pragenſem hortatur. Vide lib. II. *cap.*I. *Vitæ* PII V.

Venerabili Fratri N. Archiepiſcopo Pragenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Commiſſi nobis officij curâ compellimur, & ipſius Domini præcepto iubemur, Fratres in ſolicitudinis noſtræ partem vocatos confirmare, & excitare ad ea, quæ ad Catholicam Religionem tuendam, & Dominicas oues conſeruandas, opportuna ac potiùs valdè neceſſaria eſſe noſcuntur. Quantis laboribus ſacrum Tridentinum Concilium incubuerit ad ea remouenda, quæ grauia populis ſcandala pariebant, ac propterea nouarum rerum cupidis hominibus anſam diſſeminandi noua & ab orthodoxâ fide aliena dogmata præ-

bebant; quamque ſalubribus Decretis idem multa ſtatuerit, per quæ bono Eccleſiarum regimini, & ſaluti animarum conſuleretur; ipſius Concilij acta declarant. Verùm inanes tot labores euaderent, & nullum populo Chriſtiano fructum afferrent, niſi quæ tam prouidè conſtituta fuerunt, in vſum & conſuetudinem eorum operâ, quorum id officium eſt, adducerentur. Proinde, licet Fraternitatem tuam officio ſuo, quantum poterit, minimè defuturam eſſe putemus; tamen, ne ipſi noſtro deſimus, cohortandum te in Domino duximus, vt ad Catholicorum reliquias in vrbe Pragâ & aliis Bohemiæ locis conſeruandas, & eos qui à rectâ fide ſeducti fuerunt, ad orthodoxæ Religionis cultum reuocandos, quanto maximè potes ſtudio, curâ & diligentiâ enitaris atque elabores. Ad hæc verò efficienda, neceſſe eſt exequi te primùm id, quod ipſum Concilium decreuit, de Synodis celebrandis; ſicuti in aliis locis & prouinciis, ad Dei laudem, non ſine euidenti Eccleſiarum vtilitate iam celebratæ fuerunt. Et quoniam in Bohemiâ maximam bonorum & idoneorum Sacerdotum penuriam eſſe conſtat, & Cleri inſcitiam moreſque corruptos plebem non immeritò offendiſſe; neceſſarium eſt, abs te Seminarium in ciuitate Pragenſi inſtitui, ad alendam bonorum Sacerdotum, atque aliorum Eccleſiæ miniſtrorum ſobolem: ſicut venerabilis Frater Epiſcopus Olomucenſis, celebratâ diœceſanâ ſuâ Synodo,

odo, iam in Eccleſiâ ſuâ inſtituit, cuius in tam ſancto opere meritò eſt laudanda induſtria. Sed & in aliis locis quàm plurimis huiuſmodi Seminaria inſtituta fuerunt, & quotidie inſtituuntur. & res ipſa declarat nihil à Concilio Tridentino prouidentiùs & vtiliùs ſtatutum fuiſſe. Oportet igitur, te & ipſam Synodum primo quoque tempore celebrare, & Seminarium inſtituere, nec vllam aliam temporis opportunitatem expectare: talia Dei opera non poſſunt ſine Dei offenſione negligenter fieri. Probabit tuam in hac re piam ſedulitatem maximè ipſe pro ſuâ pietate Cæſar; ſi, priuſquam Pragam veniat, hæc abs te perfecta fuiſſe cognouerit. Nec verò difficile factu erit, inire rationem aliquam, quâ reditus Seminario attribuantur, quanti ad vſus eius neceſſarios ſufficiant.

Illud quoque vel maximè prouidendum eſt, vt ad ſacros Ordines promoueantur homines, quos non modò conſtet eſſe Catholicos; ſed qui diligenti examine adhibito, ſicuti Concilium Tridentinum decreuit, probentur idonei: ſiqui autem minùs apti propter litterarum inſcitiam fuerint, admonendi erunt, vt litteris operam dent, quoad tantum proficiant, vt promoueri poſſint. Quòd ſi in Catholicis tantam diligentiam adhibendam eſſe Concilium ſtatuit; intelligis profectò quàm mali ac potiùs pernicioſi exempli res ſit, homines Huſſitas, quamuis fore ſe Catholicos affirment atque promittant, in cuiuſ-

cuiuſquam gratiam ad ſacros Ordines promoueri. Quis enim confidere poſſit, id quod promiſerint, præſtituros? Si qui tamen eorum fidem fecerint, ſincerè ſe agere, & errores reſpuere velle, atque ex animo ad Eccleſiam redire; ij non priùs ad vllum erunt Ordinem admittendi, quàm Huſſitarum & alias omnes hæreſes ſolemni more abiurauerint ac deteſtati fuerint; & per tantum tempus, quantum ſatis eſſe viſum fuerit, Catholicè viuendo, omnem hæreticæ labis ſuſpicionem à ſe depulerint.

Præterea curare te oportet, vt in vrbe Pragâ aliiſque Bohemiæ locis habeantur indices ſiue catalogi eorum librorum, quorum lectio prohibita fuit, vt Catholici noſcant, à quibus libris abſtinere debeant. Danda quoque opera erit, vt Decretorum Concilij exemplaria habeant, ex quibus ſalutarem Catholicæ fidei doctrinam haurire poſſint.

Quia verò, ſicut accepimus, tenui admodum valetudine vteris, & crebrò ægrotare ſoles, admonemus, vt aliquem ſpectatæ fidei, probitatis & induſtriæ virum deligas, qui vicem tuam agat in eis rebus, quæ ad talium miniſtrorum munus pertinent; cuique ea quæ ipſe vel morbo præpeditus, vel aliis occupationibus diſtrictus, obire non poteris, fidenter poſſis committere: per quem vel per aliam Eccleſiaſticam perſonam debebis Parochos ciuitatis diœceſiſque Pragenſis, & reliquum Clerum tuum diligenter viſitare, & quæ in eis corrigenda ac refor-

manda

manda fuerint, Dei tantùm honorem, & aliorum ſalutem, ac tuam ipſius ante oculos propoſitam habendo, corrigere ac reformare. Cogitans igitur, chariſſime Frater, de animabus pretioſiſſimo CHRISTI Sanguine redemptis, ſi culpâ vel negligentiâ noſtrâ perierint, rationem à nobis acriter exacturum Redemptorem ipſum, æternumq́ue Paſtorem, tali ſedulitate commiſſum tibi officium implere ſtude. Hæc, de quibus te admonuimus, & alia quæ ſaluti animarum vtilia cognoueris, exequendo, & à Parochis tuis ac aliis in Bohemiâ curæ animarum præpoſitis, hortando, monendo, obſecrando, arguendo etiam & increpando, ſi opus ſit, ſuum cuiuſque miniſterium ita implendum cura; vt pro lucro animarum, quæ acquiſitæ fuerint, laudem potiùs & præmium tu & illi conſequi, quàm pro iacturâ earum, quæ incuriâ veſtrâ, quod abſit, perditæ fuerint, grauiorem ſententiam metuere debeatis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Iulij, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XV.

Reportatam in Belgio de hæreticis victoriam Duci Albæ gratulatur; ipſumq́ue ad eos bello profligandos, Catholicamq́ue Religionem tuendam, hortatur. Vide lib. II. *cap.* II. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Ferdinando Toleto, Duci Albæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex litteris tuis die XXV. Iulij datis, & ex dilecto Filio viro Ioanne à Zuniga cognouimus, quàm proſperè rem iterùm aduerſus hæreticos, & eoſdem Sereniſſimi Regis rebelles, geſſeris. Benedictus Dominus, qui in tot curis & angoribus noſtris, tam lætis nuntiis nos conſolari dignatur. Gaudemus Religionis Catholicæ cauſsâ, tam luculentam tibi victoriam à Deo donatam fuiſſe: gaudemus chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri Regis Catholici cauſsâ. Tibi verò non ſolùm gratulamur, cui prælia Domini prælianti tam manifeſtò ſupernum adeſt auxilium; ſed etiam totius Eccleſiæ nomine gratias agimus, quòd nullis defatigatus laboribus, nullis deterritus periculis, de eâ benè mereri non deſiſtis. Perge, dilecte Fili, his tamquam gradibus tibi viam ad ſempiternam gloriam munire; &, ſicuti cœpiſti, enitere, vt in prouinciis iſtis Religionem Catholicam in priſtinum ſtatum redigas: cuius rei gloria omnium Ducum & Imperatorum victorias ſuperabit. Saluum te & incolumem diuina Maieſtas conſeruet. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Auguſti, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTO-

EPISTOLA XVI.

Vt rem Chriſtianam in Indiá propagare recteque habere curet, Regem Hiſpaniarum hortatur. Vide lib. III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm oporteat nos pro officio paſtorali, quod nobis licet indignis commiſſum fuit, curam habere, non ſolùm eorum qui fidem Chriſtianam ſuſceperunt, ſed eorum etiam qui ad eam ſuſcipiendam facilè adduci poſſunt, veluti populorum Indiæ, qui ad Hiſpaniæ Regnum noſtris temporibus adiuncti fuerunt; magnoperè in Domino lætamur, te, vti Regem verè Catholicum, ſicuti à felic. record. prædeceſſoribus noſtris optatum fuit, qui eam orbis terrarum partem maioribus tuis ſubigendam attribuerunt, eoſque populos illorum fidei commiſerunt, curaſſe, vt ſacrum Euangelium in illis prouinciis prædicaretur, ac fides Catholica propagaretur. Quod etſi eo ſtudio, atque eâ ſedulitate actum fuit, vt Maieſtas tua eo nomine magnoperè in Domino collaudari potiùs debeat, quàm hortationibus excitari; conuenire tamen officio noſtro duximus (poſtquam certiores facti fuimus de rectoribus admodum idoneis earum prouinciarum regi-

 mini

mini nuper deſtinatis) Maieſtatem tuam rogare, vt populos illos ditionis ſuæ, hac occaſione oblatâ, eis quàm diligentiſſimè commendare velit, ac præcipuè mandare, vt propagationi ſanctæ fidei, & animarum ſaluti intenti ſint. quarum rerum cauſsâ ea orbis terrarum pars ab initio ipſis maioribus tuis conceſſa fuit; vt, cùm ex laudabili eorum regimine qui illis præerunt, tum bonis exemplis eorum qui Chriſtianam illis doctrinam tradent, iugum CHRISTI ſuaue & leue eſſe ſentiant, neque ab illis ipſis opprimantur, qui eos tamquam teneras in vineâ Domini plantas alere ac fouere, & amorem in eis Chriſtianæ Religionis accendere atque augere debent; & ea omnia caueantur, quibus ipſi offendi, & Chriſtiana Religio detrimentum capere poſſet: qui autem nondum Chriſti fidem ſuſceperunt, ad eam ſuſcipiendam, charitate & dexteritate adhibitâ, alliciantur. Certum enim habeat Maieſtas tua, ex propagatione Religionis ſuum quoque in illis partibus Regnum Deo propitio ac fauente firmatum & auctum iri, & ſibi talium in eos populos & Religionem meritorum, non ſolùm in hac vitâ, ſed in alterâ etiam, præmium paratum fore. De his autem rebus mandauimus Venerabili Fratri Archiepiſcopo Roſſanenſi, vt cum tuâ ipſe quoque Maieſtate loquatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Auguſti, M.D.LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTO-

EPISTOLA XVII.

Vt Chriſtianam Religionem in Indiâ propagari apud Regem Catholicum procuret, Didacum Cardinalem hortatur. Vide lib. III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Didaco Cardinali Spinoſæ.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quandoquidem Domino placuit, vt te in partem curarum & ſolicitudinis noſtræ vocaremus, communicandum tecum duximus de re ad commiſſum nobis licet indignis munus, & propterea ad tuum quoque vel maximè pertinenti. Quid enim æquè ad officium noſtrum pertinet, ac curare, vt orthodoxa Religio quàm latiſſimè, diuini honoris & ſalutis animarum cauſsâ, propagetur? vt qui eam pridem iam ſuſceperunt, confirmentur; qui verò adhuc idolorum ſunt cultui dediti, relictis errorum tenebris, lucem veritatis reſpiciant. Cuius quidem quò maiore deſiderio tenemur, eò libentiùs audiuimus, chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum, Regem Hiſpaniarum Catholicum, lectiſſimos quoſdam & probatiſſimos viros ad regendas Indię ditionis ſuæ prouincias deſtinaſſe. Quâ in re planè declarauit dignam Rege verè Catholico voluntatem. Etſi autem Regem tantâ pietate & clementiâ præditum non egere hortatione noſtrâ ſcimus;

mus; quippe quem audimus ſuâ ipſum ſponte, & pro ingenitâ ſibi clementiâ multis illos populos oneribus ſubleuaſſe, quibus anteà vexari & opprimi miſerandum in modum conſueuerant; tamen volumus, vt eum, poſt laudem debitam noſtris verbis hoc nomine tributam, dexteritate quâ decet, horteris, ad perſeuerandum in tam ſancto propoſito ſuo propagandæ Religionis orthodoxæ. quæ quidem vt propagetur, Maieſtas eius pro ſuâ ſapientiâ intelligit oportere, ſi quæ onera reſtant, quæ tollenda ſint, tolli; eoſque populos ita tractari, vt gaudere indies magis debeant, relictum à ſe idolorum cultum, & CHRISTI iugum ſuaue ac leue ſuſceptum fuiſſe. Illud quoque, quantum fieri poteſt, curandum eſſe, vt Chriſtianorum, qui ex his Occidentis partibus profecti in illas prouincias commigrarunt, vitâ & moribus illos populos ædificent. Ita enim & ipſi in fide Catholicâ confirmabuntur, & bonis eorum exemplis ceteri ad agnoſcendam veritatem allicientur. Quibus de rebus Maieſtatem ſuam noſtris verbis hortaberis, vt pia mandata ſua renouare dignetur: quæ quantò magis in hanc curam incumbet, tantò magis non ſolùm Diuini honoris cultum, ſed ſuum quoque Regnum, Deo fauente, ſtabiliet, atque etiam propagabit. Mandato autem noſtro Venerabilis Frater Archiepiſcopus Roſſanenſis deſiderium hoc noſtrum pluribus exponet: cuius orationi fidem habebis. Datum Romæ apud ſanctum

Petrum

Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Auguſti, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XVIII.

Fidem Catholicam in Prouinciâ Perüanâ propagandam curat. Vide lib. III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Franciſco Toleto, Proregi Prouinciæ Peru in partibus Indiæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Magnoperè in Domino gauiſi ſumus, ac Deo gratias egimus, cuius inſtinctu factum non dubitamus, vt chariſſimus in CHRISTO Filius noſter, Hiſpaniarum Rex Catholicus, te ad regendam prouinciam Peru deſtinauerit: adeò præclara de tuâ virtute & in Catholicam Religionem ſtudio teſtimonia habuimus. Non ſolùm enim fideliter ac ſedulò executurum te eſſe confidimus, quæcumque à tam pio Rege mandata habueris; ſed facturum prætereà tuâ ſponte quidquid præſens ipſe expedire cognoueris, ad fidem orthodoxam in illis partibus propagandam, & quàm plurimas animas CHRISTO lucrandas. Vt verò, & qui adhuc infirmi ſunt, in fide confirmentur, & qui idolorum cultores, CHRISTI fidem ſuſcipiant; neceſſe eſt pro tuâ prudentiâ intelligas, illos ita regi atque tractari debere, vt ipſi quidem diuinæ erga ſe miſeri-

miſericordiæ beneficium indies magis agnoſcant; infideles autem atque idololatræ eorum exemplo atque imitatione ad veritatem agnoſcendam inuitentur. Illud quoque, quantũ fieri poteſt, prouidendum eſt, ne eorum, qui ex his Occidentis partibus in eas prouincias commigrarunt, prauis moribus offendantur. Quibus in rebus exequendis & curandis, Nobilitas tua, etiam tacentibus nobis, intelligit, quantam habitura ſit facultatem inſeruiendi Dei Omnipotentis honori ſimul & Regis gloriæ; ſibi autem ingentis ab hominibus laudis comparandæ, nec minoris à Deo gratiæ ineundæ. Noſtram autem paternam benedictionem tibi impertientes, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Roſſanenſi, noſtro mandato tibi pluribus verbis deſiderium noſtrum expoſituro, fidem vt habeas, abs te petimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Auguſti, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XIX.

Cæſarem collaudat, quòd Auguſtanam Confeſſionem non conceſſerit: ac terrena Regna Regumque ſtudia ad cæleſtis Regni adeptionem omnino conferenda eſſe demonſtrat. Vide lib. III. *cap.* VI. *Vitæ* PII V.

Chariſſi-

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Maximiliano, Hungariæ ac Bohemiæ Regi Illuſtri, electo Romanorum Imperatori.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lectis tuis litteris, quas in fidem Oratoris tui apud nos ſcripſiſti, auditoque eius ſermone quem nomine tuo nobiſcum habuit; lectiſque ſimiliter his quas Legatus apud te noſter ad nos dedit, quibus nos certiores facit, te non ſolùm, quod ad Auguſtanam pertinet Confeſſionem, nihil noui conceſſurum eſſe; ſed etiam prouinciales, qui ob eiuſmodi Religionis cauſſam frequentes iam conuenerant, omnes domum ſuam dimiſiſſe, & aliis qui conuenturi erant ſignificaſſe, ne ampliùs conuenirent; magnam pro noſtrâ in te paternâ beneuolentiâ & charitate animi lætitiam accepimus; eoque magis, quòd & Nuntius apud te noſter eodem tempore ſcripſerat, te ſibi pollicitum eſſe, quoſdam hæreticos concionatores vicinis è villis expulſurum. Vt enim cùm primùm ad nos allatum eſt eâ de re, eò ſumus vehementiùs dolore ac moleſtiâ affecti, quam & Chriſtianæ Reipublicæ charitas, & officij noſtri ratio, & propenſa in te ipſum voluntas noſtra expoſcere videbantur: ſic nunc, poſtquam de te ac tuo in nos Apoſtolicamque Sedem ſtudio atque animo audiuimus, de quibus numquam dubitauimus, atque audire cupiebamus,

magnoperè in Domino gauiſi ſumus. Quod quidem gaudium noſtrum vt ſit perpetuum, aſſiduis precibus ab Omnipotente Deo poſtulamus; ſperamuſque fore, vt tu, cuius in tuendâ Eccleſiæ dignitate præcipuæ partes eſſe debent, pro eâ Imperij, quam obtines, Maieſtate, quotidie magis ſatagas peragere, quæ ad Eccleſiæ dignitatem eam conſeruandam pertinent, quam maiores tui nobiliſſimi, & Romanæ Eccleſiæ in primis amantiſſimi Imperatores, conſeruare pro viribus ſuis ſemper conati ſunt. Quâ in re, ſicut ea non deſideramus abs te, quæ ſunt ſupra vires tuas, ſic ea quæ fieri præſtarique poſſunt, magnoperè ſemper requiremus. Quæ quidem ſi tu, ſicuti pro comperto habemus, tibi facienda eſſe duxeris, multò maiorem firmioremque filiis tuis ſeruatæ fidei in IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, quàm Regnorum hereditatem relinques. Nam terrena Regna, Fili chariſſime, perpetua non ſunt, & ſine animæ detrimento amitti recuperarique poſſunt: imò verò eo animo à Regibus & Principibus omnibus obtinenda ſunt, vt pro ſalute animæ, Religionis amore, & veræ pietatis ſtudio, ſi occaſio ita tulerit, & amittere parati ſint, potiùs quàm cælorum Regnum, quod & æternum eſt, & omnibus aliis Regnis, quantumuis magnis, præferendum. Hoc autem tantum abeſt, vt Imperiis & Principatibus conſeruandis impedimentum aliquod afferre poſſit, vt nullâ meliori quàm hac ratione conſerua-

ri

ri poſſint. Quodque te tamen facturum non dubitamus, extremum illud ſit, ſi tu (quod te valdè hortamur) facies id, quod & perſonâ tuâ, & fide iuſiurandoque dignum ſit; quodque expectatur ab eo, qui eſt præcipuus Eccleſiæ aduocatus; nos te tamquam chariſſimum Filium omni noſtrâ beneuolentiâ, amore voluntateque complectemur, ſicuti ſemper complexi ſumus: nihilque prætermittemus earum rerum, quas ad dignitatem Maieſtatemque tuam augendam amplificandamque pertinere putabimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XX.

Vt quamprimum ritè conſecrari ſe procuret, boniq́ue Paſtoris munera ſtrenuè præſtans, mores Eccleſiaſticamq́; diſciplinam reſtituat, electum Epiſcopum hortatur. *Vide lib.* II. *cap.* I. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, Melchiori, electo Epiſcopo.

QVò magis conſecrationem Epiſcopo electo neceſſariam eſſe intelligimus, ad ea quæ ipſius ordinis & muneris maximè propria ſunt, exequenda atque adminiſtranda; eò ampliùs mirati ſumus, te ad hanc vſque diem, rem tantoperè neceſſariam, tamque ſalutarem, diſtuliſſe. Quâ ex re pro noſtro paſtoralis officij munere, ſolicitâque om-

nium Eccleſiarum curâ, non potuimus non magnoperè dolere ac triſtari. Et quamquam Venerabilis Frater Marcus Suffraganeus tuus, nobiſcum ſuper hac re accuratè ſanè locutus, nonnullas cauſſas excuſationeſque huius tui facti nobis attulerit; tamen nulla earum nobis idonea viſa eſt, & videtur, ob quam hæc ipſa tua conſecratio, quam quidem multò antè fieri à te oportebat, vllo modo aut prætermitti aut longiùs differri poſſit. quia tamen omnes Venerabiles Epiſcopos Fratres noſtros, teque inter eos, verè paternâ beneuolentiâ charitateque complectimur; idcircò manſuetudinis indulgentiæque noſtræ non immemores, his noſtris litteris te etiam atque etiam monendum duximus, vt, quod hucuſque non feciſti, tibi primo quoque tempore faciendum ſtatuas. Hoc autem tempus ſex menſium ſpatium, à die quo hæ noſtræ litteræ ſcriptæ ſunt, computandum, tibi eiſdem noſtris litteris præſcribimus: quibus quidem ſex menſibus elapſis, niſi Epiſcopus conſecratus fueris; cogemur, de his remediis cogitantes, quæ & ratio noſtri officij & Eccleſiæ tuæ cura à nobis expoſcunt, ad depoſitionem tuam ab Epiſcopatu deuenire. Ad illud quoque, Domini vocis memores, eius quâ Petro ipſi Apoſtolorum Principi (ad cuius nos miniſterium licet meritis impares Deus vocauit) Fratrum ſuorum animos confirmandos præcepit; hortamur, vt Paſtoralis ſolicitudinis non oblitus, in cuius partem vocatus es, oues

fidei

fidei tuæ prouidentiæque commiſſas non ſolùm ipſe paſcas, omnium exemplo virtutum, ſalutarique doctrinæ pabulo, per te, & per Catholicos & Religioſos viros præbendo; ſed etiam Cleri deprauatos diuturnâ vitiorum conſuetudine mores, & laicorum, quoad eius fieri poteſt, ſine perſonarum exceptione, ſeuerè corrigendos cures: vt, relictis vitiis, quibus ſe ac ſacerdotale nomen dedecorantes, in ſummam infamiam adduxerunt, atque hac maximè ratione laicòs ipſos corruperunt, & à fide Catholicâ auerterunt, iuxta Apoſtoli ſententiam ſobriè, caſtè atque honeſtè viuant. Si enim Clerici & Sacerdotes, cogitantes vitam ſuam laicis ad imitandum maximè eſſe propoſitam, ita viuere eaque agere ſtudebunt, quæ animarum ſaluti eorumque muneri fideliter adminiſtrando conueniunt; futurum eſt, Deo iuuante, qui bonis ſemper voluntatibus occurrit, vt hæretici, cùm in Clericis ipſis ac Sacerdotibus nihil quod reprehendere poſſint, inueniant, aliquando reſipiſcant, atque ad cor redeant, & ad gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ reuertantur. Hoc igitur, Frater, præſta, hoc age; hæc noctes dieſque meditare, hæc aſſiduis hortationibus & monitis enitere, vt, quantum in te erit, animabus tuæ curæ fideique creditis Paſtoralem curam vigilantiamque tribuas. Quod quidem ſi feceris (quemadmodum te facturum eſſe ſperamus) vnicum tu quidem remedium ad ſanandas hæreſes, pietatemque ac Catholicam Religionem

reuocandam adhibebis; ſed & dignitati officioque tuo potiſſimùm hac ratione conſules, & ab Omnipotenti Deo nobisque præcipuam gratiam inibis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XXI.

Ducem Albæ in Belgio contra hæreticos bellum feliciter gerentem commendat, eumque ad rem Chriſtianam ſtrenuè protegendam cohortatur. Vide lib. II. *cap.* XI. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Ferdinando Duci Albæ.

NOn facilè verbis conſequi poſſumus, quantoperè in Domino delectati ſimus legendis litteris tuis, XXII. die Octobris datis: nam & iſta tua variis in bellis, pro veritatis Catholicæ propugnatione, Sedisque Apoſtolicæ defenſione geſtis, meritorum tuorum commemoratio magnâ nos lætitiâ affecit, vt par eſt; & apud nos non narrationis modò fidem, ſed planè teſtimonij vim obtinuit. Quæ quidem omnia quamquam magnâ ex parte nobis nota erant, propterea quòd & à te nobili viro, egregioque copiarum Duce, & in bellicis expeditionibus maximis, & propter iuſtiſſimas honeſtiſſimasque

masq́ue Religionis tuendæ cauſſas ſuſceptis, geſta erant; ſic vt earum rerum nullo modo obliuiſci ſine culpâ poſſemus: tamen gratiſſimum nobis fuit, & ipſa quæ nos aut omnia aut pleraque meminimus, ex tuis ad nos litteris recognoſcere. Nihil enim aut ad Eccleſiæ dignitatem glorioſius, aut ad animi noſtri verè paternum in omnes homines affectum iucundius nobis accidere poteſt, quàm cùm intelligimus, militares homines fortiſſimoſq́ue Duces, qualem te eſſe & anteà ſemper cognouimus, & in hoc periculoſiſſimo bello experimur; non ſuæ vtilitati, aut propriæ tantummodò gloriæ inſeruire, ſed magis Omnipotenti illi Deo militare, qui ſuos milites pro ſe ac ſui nominis gloriâ decertantes, non corruptibili quadam coronâ, ſed ſempiternâ atque immarceſcibili coronare paratus eſt. Hoc eſt enim, dilecte Fili, verè inuiſum, dexterè ſiniſtram vertere, cùm militares terrenæq́ue actiones, quæ pro ſiniſtrâ intelliguntur, non aliquarum humanarum rerum cauſsâ ſuſcipiuntur, ſed ad cæleſtem vtilitatem reuocantur. Itaque Nobilitatem tuam his de rebus, quas non minùs piè quàm fortiter à ſe geſtas ſuis ad nos litteris commemorauit, & valdè amauimus antehac, & nunc non amamus ſolùm, ſed vehementer laudamus; Deoq́ue Omnipotenti gratias agimus, qui virtutem tuam, induſtriam, vigilantiam, fortitudinem ad hæc tam neceſſaria tempora reſeruauit. Et quamuis ſciamus, te tuâ ſponte ſatis incita-

incitatum eſſe ad ea agenda, quibus Religionis ſanctiſſimæ cauſſa adiuuetur; tamen pro noſtro Paſtoralis officij munere, & vt animi noſtri ſtudio ſatiſfaciamus, te ad hæc eadem hortandum eſſe duximus. Quod verò ad iuris tui patronatus confirmationem pertinet, quam à nobis eiſdem tuis litteris poſtulaſti, etſi eam rem facilè Romani Pontifices concedere non ſolent, propterea quòd vſitata non ſit; nos tamen libenter, dilecte Fili, precibus poſtulationique tuæ ſatisfecimus, & in ipſo elogio ea tibi, pro tuâ ſingulari in Deum pietate, teſtimonia dedimus piæ deuotionis erga ſanctam hanc Sedem, quæ & poſteros tuos ad eiuſdem deuotionis imitationem excitare poſſint, & tuo ardenti in Eccleſiam Dei ſtudio debebantur. Quâ in re agendâ dupliciter lætati ſumus, & quòd tibi ea præſtitimus quæ à nobis petiiſti, quæque non mediocriter te deſiderare ſignificabas; & quòd nos in ornandâ dignitate tuâ id fecimus, quod magnoperè ſemper deſiderauimus. Nihil enim eſt earum rerum quæ à beneuolo benignoque patre exſpectari debent, qualem nos in te eſſe ſemper experieris, quantum cum Deo licuerit, quod tuæ iſti in Deum pietati, religionis ſtudio, atque in defendendâ Catholicæ veritatis fide laboribus deberi non exiſtimemus: eamdem voluntatis noſtræ propenſionem declaraturi cunctis in rebus, quæ vel ad honorem vel commodum tuum pertinebunt, cùm ſe occaſio obtulerit. Datum Ro-

mæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XXII.

Ad Catholicam Religionem retinendam & tuendam, Regem Poloniæ hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ Illuſtri, dilectis Filiis, nobilibus viris, Senatoribus Palatinis, & Caſtellanis omnibus in Diætâ Lublinenſi congregatis.

ETſi non dubitamus te, chariſſime Fili, pro tuâ in Deum pietate, & maiorum tuorum clariſſimorum Regum, ac tuâ in ſanctam hanc Sedem reuerentiâ, voſque omnes, qui in iſto Conuentú congregati eſtis, nullam aliam ob cauſſam ſimul conueniſſe, niſi vt ea conſultetis inter vos ac decernatis, quæ & ad iſtius nobiliſſimi Regni vtilitatem, & ad Dei Omnipotentis honorem pertinent; tamen pro noſtrâ in vos paternâ beneuolentiâ prætermittere noluimus, quin vobis hoc tempore ſimul congregatis paternæ noſtræ dilectionis officium præſtaremus. quod quidem officium nullum aliud eſt,

niſi vt Maieſtatem tuam in primis, chariſſime Fili, deinde ceteros omnes, qui tecum in iſto Conuentu adſunt, nobiles viros hortaremur, ad ea conſultanda, decernenda atque exequenda, quibus non modò non minuatur orthodoxæ fidei Religio, nec probatiſſima ac ſalubria maiorum noſtrorum inſtituta, Sediſque Apoſtolicæ ius atque auctoritas vllâ in re detrimentum aliquod patiatur; ſed etiam quibus maximè rebus fieri poteſt, adiuuetur, augeatur atque amplificetur. Quod quidem Maieſtati tuæ & vobis ſingulis facile erit, ſi conſiderabunt terrena Regna, quæ in manu Domini ſunt, nullâ aliâ re faciliùs quàm eiuſdem Domini Religionis amore atque obſeruantiâ conſeruari: hanc autem Religionem niſi vnam in toto Chriſtiano orbe, neque vmquam anteà fuiſſe, neque nunc eſſe poſſe; eam videlicet, quæ ab Apoſtolorum Principis Petri cęterorumque Apoſtolorum temporibus doctrinâque profecta, per tot eius ſucceſſores, ad nos & noſtrum vſque tempus, vna eademque ſemper atque inuiolata permanſit. Et quamquam, ſuggerente diabolo Chriſtiani nominis hoſte, variæ in multis prouinciis hæreſes & antè ſemper exſtiterint, & nunc exiſtant; tamen hæ neque anteà vllam inter ſe vnitatem habere potuerunt, neque nunc habent, aut habere poſſunt. hoc ipſum nimirum diuinâ permittente Prouidentiâ, vt, qui à ſanctæ Eccleſiæ doctrinâ atque vnitate propter ſuperbiam ſeipſos abſciderunt

runt ac diuiſerunt, numquam in vnum aliquod corpus coaleſcere potuerint. Hæc eſt illa ſanctiſſima, ac verè ſola & vna Religio, quam Apoſtoli prædicauerunt, Martyres moriendo confeſſi ſunt: quæ potuit quidem præteritis temporibus, & nunc etiam poteſt, hæreticorum diſſentientibus inter ſe opinionibus impugnari, ſed expugnari tamen non poteſt. Atque vtinam hanc eamdem illi ipſi ab initio conſtanter tenuiſſent, quorum præcipuè perniciosâ operâ, peſtiferisque conſiliis, reſpublica Chriſtiana, Deique Omnipotentis Eccleſia in tantam calamitatem ducta eſt: meliùs cum ipſis & cum hac ipsâ ſanctâ Sede ageretur; neque tot vbique populorum aduerſus ſuos Principes diſcordiis, ob hanc ipſam cauſſam ſuſceptis, Chriſtiana reſpublica laboraret. Hanc maiores tui, nobiliſſimi Reges, chariſſimi Filij, Religionem ſemper coluerunt, hanc tenuerunt. Ad quam quidem te, vt ab initio diximus, tuorum exemplo maiorum, & ceteros qui adſunt in iſto Conuentu, nobiles viros, hortamur. Et quamquam non dubitamus, Maieſtatem tuam & ceteros omnes, aut pleroſque eorum, ſuâ ſponte ad hoc idem agendum incitatos ac benè animatos eſſe; non alienum tamen à noſtro Paſtoralis officij munere putauimus, currentibus vobis Apoſtolicæ noſtræ hortationis quaſi calcar admouere. Quòd ſi qui tamen inter vos (quod Deus auertat) reperiantur, qui aliter ſentiant; hos pro noſtro in omnes homines pa-

terno animo ac ſinceriſſimâ voluntate monitos volumus, vt errorem ſuum recognoſcentes, ad eam Religionis Eccleſiæque vnitatem reuerti ſtudeant, extra quam nullo modo ſalui fieri poſſunt. Hoc enim ſi fecerint, prætetquam quòd meliùs animarum ſuarum ſaluti ſuæque fidei conſulent; nos prætereà omni noſtrâ benignitate ac charitate illos ad gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ redeuntes ſuſcipiemus atque amplectemur. Deum autem Omnipotentem rogamus toto corde, totiusque animæ noſtræ viribus, vt vobis (quod ſperamus) in eius nomine congregatis, Spiritum ſuæ charitatis ita infundat, vt & nunc & ſemper ea ſtatuatis, quæ ad illius honorem quotidie magis augendum, & ad iſtius Regni tranquillitatem & pacem, atque ad huius omnium Chriſti fidelium Matris Eccleſiæ veterem auctoritatem reſtituendam, conſeruandam propagandamque pertinebunt. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XXIII.

Ad Catholicam Religionem, & ad Apoſtolicæ Sedis auctoritatem protegendam, Senatores Palatinos & Caſtellanos in Diætâ Lublinenſi congregatos hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Dilectis

Dilectis Filiis, nobilibus viris, Senatoribus Palatinis, & Caſtellanis omnibus in Diætâ Lublinenſi congregatis.

DIlecti Filij, nobiles viri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi exploratum habemus, omnes qui in iſto Conuentu congregati eſtis, pro veſtrâ prudentiâ, & Chriſtianæ Religionis ſtudio, ac pro veſtro Religionis Catholicæ zelo, ſinceráque erga ſanctam hanc Sedem reuerentiâ, de nullis aliis rebus acturos, præterquam de his, quæ ad Dei Omnipotentis honorem, iſtiuſque nobiliſſimi Regni vtilitatem pertinent; quarum rerum potiſſimùn cauſsâ vos ſimul conueniſſe pro comperto habemus; tamen nos, qui propter Apoſtolicæ ſeruitutis onera, omnia omnibus facti ſumus, cogimur hoc tempore, impellente nos charitate, vobis quoque officium noſtræ paternæ dilectionis impendere. Hoc autem nullum aliud eſt, dilecti Filij, niſi vt vos, tamquam Catholicos, deuotos & ſinceros Eccleſiæ filios, puriſſimo ſinceriſſimoque corde, & quantò maiore poſſumus animi ſtudio hortemur, ad ea in iſto veſtro Conuentu conſultanda, decernenda atque exequenda, quibus non modò non minuatur orthodoxæ fidei Religio, nec probatiſſima & ſalubria maiorum noſtrorum inſtituta, atque Sedis Apoſtolicæ vis atque auctoritas vllâ in re de-

trimentum aliquod patiatur; ſed etiam quibus maximè rebus fieri poteſt, adiuuetur, augeatur atque amplificetur. Quod quidem ſingulis vobis facile erit, ſi vnuſquiſque veſtrûm ante mentis oculos illius ſibi Domini timorem propoſuerit, cuius oculi ſunt ſuper iuſtos: qui ſcrutator eſt cordium, quique ſicut eos punire ſolet, qui à normâ cultus eius, hoc eſt à ſanctæ Eccleſiæ doctrinâ, diuiſi ſunt; ſic eos, qui ſalutarem eius diſciplinam cuſtodiunt, æternis maximiſque præmiis paratus eſt remunerari. Quod quidem vtinam illi ipſi (magno hæc cum dolore dicimus) ab initio proſpexiſſent, quorum præcipuè perniciosâ operâ, peſtiferiſque conſiliis, reſpublica Chriſtiana, Deique Omnipotentis Eccleſia in hunc miſerabilem ſtatum adducta eſt. Non enim humani generis antiquus hoſtis tantam occaſionem nactus eſſet in Dominicum gregem ſæuiendi, neque tantoperè inteſtinis prauiſſimarum hæreſum diſcordiis laboraret Eccleſia: quæ tamen, diuinâ nimirum operante Prouidentiâ, dum hæreticorum quæſtionibus turbulentiſſimis oppugnatur, ſubtiliùs ſemper atque ardentiùs, tum in Dei charitate inflammatur, tum in ſuâ eruditione inſtruitur. Vos autem præter ceteros præcipuè decet, dilecti Filij, & ſemper, & hoc maximè tempore, in quo vos ſimul publicæ vtilitatis publica cauſſa congregauit, diſpicere diligenter atque attentiùs conſiderare, quid non modò vtilitas veſtri Regni expoſcat, ſed etiam

quid Deus à vobis, quos iſtius Regni Primates conſtituit, pro veſtro officio in illo diſtricto Iudicij ſui die requiſiturus ſit. Si enim in hanc cognitionem pro veſtrâ in Deum pietate veneritis, vt cogitetis, veſtrorum conſiliorum actionumque omnium æterno illi Iudici reddendam eſſe rationem; non modò nihil vmquam vobis placere poterit, quod alienum ſit à ſanctiſſimis Eccleſiæ ſanctionibus; ſed etiam omni curâ, diligentiâ, labore, illius dignitatem ac maieſtatem, quibus ſemper poteritis rationibus, vobis augendam amplificandamq; eſſe putabitis. Ad quæ quidem, vt ab initio diximus, ita vos hortamur in Domino atque excitamus, vt, quamquam exploratum habeamus, vos ad hæc eadem agenda ſatis veſtrâ ſponte incitatos, ac benè animatos eſſe; non alienum tamen à noſtro Paſtoralis officij munere putemus, currentibus vobis Apoſtolicæ noſtræ hortationis quaſi calcar admouere. Cogitate, quantò vos potentiâ, nobilitate, dignitate, ceteris iſtius Regni Proceribus antecellitis, tantò in conſeruandâ Eccleſiæ, atque huius ſanctæ Sedis auctoritate, virtutis veſtræ lumen clariùs ceteris ad exemplum elucere debere: vt non minora in vobis pietatis in Deum merita reperiri debeant, quàm illæ ſint vires, quas idcircò Deus vobis conceſſit, vt illis ipſis viribus hæc vobis in eius ſanctiſſimam Eccleſiam merita acquireretis. Conſiderate, quàm hæc ipſa, quæ hîc viuitur, vita breuis ſit; quàm ſint huiuſmodi honores

res fluxi ac momentanei: dumque poteſtis, enitimini, curate & elaborate, vt veſtra conſilia, veſtras cogitationes, veſtra decreta, ita ad Regni iſtius vtilitatem referatis, vt non minorem in humanarum rerum gubernatione prudentiam, quàm in diuinarum reſpectu pietatem deuotionemque declaretis. Nos autem Deum Omnipotentem rogamus toto corde, totiusque animæ noſtræ viribus, vt vobis, dilecti Filij, quod iam ſperamus, in eius nomine congregatis, Spiritum ſuæ charitatis ita infundat, vt & nunc & ſemper ea ſtatuatis, quæ ad illius honorem augendum, & ad animarum veſtrarum ſalutem, atque ad huius omnium Chriſti fidelium Matris Eccleſiæ veterem auctoritatem reſtituendam, conſeruandam propagandamque pertinebunt. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XXIV.

Eccleſiæ fructus in ſtipendij militaris ſolutionem impendi non debere. Vide lib. III. *cap.* VII. *Vitæ* PII V. *& ſuprà huius libri Epiſt.* VIII. *& infrà Epiſtolam* XXV.

Dile-

Dilecto Filio noſtro Ludouico, Titulo ſancti Onuphrij Presbytero Cardinali Madrutio, Epiſcopo Tridentino.

NIhil vtilius eſt, vel ad Sacerdotum exiſtimationem bonamque famam tuendam, vel ad laicos in officio & reuerentiâ erga Sacerdotes continendos, quàm ſi Eccleſiarum bona in eos quos decet ſumptus erogentur. Quod quò verius eſſe cognoſcimus, eò magis doluimus, cùm nuper certiores facti ſumus, non ſine magnâ animi noſtri moleſtiâ, velle te quibuſdam militibus, quos dilectus noſter in CHRISTO Filius Ferdinandus, Archidux Auſtriæ, idcircò iſti ciuitati imperauit, vt eo præſidio tuti ſint miniſtri quidam ipſius, in eâdem ciuitate commorantes, ſtipendium ex reditibus iſtius Eccleſiæ Tridentinæ perſoluere. Hoc quia omnino æquum non eſt, neque nos vllo pacto fieri volumus, & tu pro tui officij munere cognoſcere debuiſti, Eccleſiarum reditus & prouentus, non ad eiuſmodi res impendi decere, ſed ad eas tantummodò, ad quas inſtituti ſunt: quæ quidem quales ſint, quia te pro ratione eius ordinis atque loci, quo te Deus Omnipotens conſtituit, non ignorare arbitramur; idcircò eas diligentiùs perſequi ſuperſedemus. Quare circumſpectioni tuæ diſtrictè præcipientes, mandamus, ne vel ipſe aliquo pacto id facere aggrediaris, neque rei tam indignæ, & ab vtilitate dignitateque

eius Eccleſiæ tantoperè alienæ, aliquâ ratione aſſentiaris. quin etiam circumſpectionem tuam noſtro nomine eiuſdem Eccleſiæ Capitulo ſimiliter interdicere volumus, ne eiuſmodi ſtipendij militaris ſolutionem vllâ ex parte adiuuare, vel quidquam omnino eius rei nomine ſoluere velint. Id quamquam te, & pro tuo officio, & pro eâ in nos & Sedem Apoſtolicam reuerentiâ, quam ſemper oſtendiſti, hiſce noſtris litteris admonitum, facturum eſſe confidimus; tamen tibi mandamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA XXV.

Eccleſiæ Tridentinæ cauſſam Maximiliano Imperatori commendat. Vide lib. III. *cap.* VII. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Maximiliano, Hungariæ & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem electo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non facilè verbis conſequi poſſumus, quantâ moleſtiâ animiq́ue dolore affecti ſimus, ex his quæ de dilecto nobis Filio, nobili viro, Ferdinando Archiduce Auſtriæ, fratre tuo, ad nos allata ſunt. Cùm enim Maieſtatem tuam, totamq́ue Auſtriacam familiam, eximiâ

miâ quadam beneuolentiâ ſingularique charitate proſequimur, è quâ tot Catholici Principes & anteà ſemper prodierint, & hoc tempore ſint; tum in ipſum Archiducem pro ſuâ ab initio vſque noſtri Pontificatus declaratâ erga nos ſanctamque hanc Sedem ſingulari obſeruantiâ, eo animo ſumus, vt nec propenſiore nec magis paterno eſſe poſſimus: ſed planè in his controuerſiis, quas habet Eccleſiæ Tridentinæ nomine cum dilecto nobis Filio Card. Madrutio, & monitis noſtris, & veteri ſuæ erga Sedem Apoſtolicã obſeruantiæ parum adhuc quidem ſatisfecit. Cùm enim, etiamſi quid in eâ controuerſiâ iuris haberet, de eo noſtrâ cauſsâ ſponte ſuâ decedere pro ſuâ in Eccleſiam Romanam obedientiâ, prætenſionesque ſuas iuſtitiæ decidendas permittere debuiſſet; tantum abeſt vt id fecerit, vt noua quotidie detrimenta ac præiudicia ei Eccleſiæ intulerit: nam & militum manum pecuniâ eius Eccleſiæ conduci iuſſit; & iuſiurandum, quod à Conſulibus eius ciuitatis ſemper Epiſcopis præſtitum eſt, ſibi præſtari iuſſit. Hæc quàm indigna, quamque grauia ſint, Maieſtatem tuam per ſe ipſam cognoſcere exploratum habemus: quàm verò à nobis Paſtorali officio fungentibus ferenda non ſint, eamdem Maieſtatem tuam videre arbitramur. Itaque eam hiſce noſtris litteris hortamur ac rogamus, vt auctoritate ſuâ apud fratrem interpoſitâ, pro Sedis Apoſtolicæ reuerentiâ agat cum eo, vt eius Eccleſiæ poſſeſſio-

nem eo modo, quo à centum annorum ſpatio ad hoc vſque tempus fuiſſe dicitur, liberam atque integram prædicto Cardinali Madrutio reſtituat; eáque omnia remoueat, quæ ad hanc vſque diem attentauit. Niſi enim id faciat, prætermittere ampliùs aut longiùs ea remedia differre non poterimus, quæ hucuſque ob paternam erga prædictum Archiducem beneuolentiam indulgentiamque noſtram, nec minùs propter Maieſtatis tuæ reſpectum, prætermiſimus ac diſtulimus. Quæ acriora remedia moleſtiſſima illa quidem futura ſunt nobis, ſed nulla noſtra culpa erit in eâ re, quam ſine culpâ noſtrâ omittere non poterimus. Speramus tamen prædictum Archiducem, & noſtris paternis hortationibus excitatum, & auctoritate tuâ impulſum, & ipſâ æquitate, & erga hanc Sedem deuotione & reuerentiâ adductum, ea præſtiturum eſſe, quæ Catholicus Princeps & Eccleſiæ amiciſſimus præſtare debet. Quod vt ab eo petas, vehementerque contendas, Maieſtatem tuam eo animi ſtudio rogamus, vt neque maiore neque acriore rogare poſſimus. Quod confidebamus quidem te, vt pium Principem, & huius ſanctæ Eccleſiæ Aduocatum, facturum eſſe; ſed noſtris etiam paternis vocibus admonitum, non dubitamus te facturum eſſe propenſiùs. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vltimâ Decembris, M. D. LXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

APOSTO-

APOSTOLICARVM PII QVINTI PONT. MAX. EPISTOLARVM LIBER TERTIVS,

Continens Epiſtolas anni quarti eius PONTIFICATVS.

EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM.

AD Catholicæ fidei defenſionem, Eccleſiaſticæque diſciplinæ ac morum correctionem, & ad ſacri Concilij Tridentini Decretorum executionem hortatur. Eodem exemplo dedit alias quatuor Epiſtolas ad alios Poloniæ Epiſcopos. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Venerabili Fratri, Philippo Epiſcopo Cracouienſi, PIVS Papa V.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solicitudo Paſtoralis admonet, & temporum conditio nos cogit, cùm iſtius

Regni Comitia aut iam futura eſſe, aut non ita pridem incepiſſe intelligamus, vt Fraternitatem tuam, ſicuti ceteros quoque Fratres iiſdem Comitiis interfuturos, hortemur ad officium ſuum Catholicæ fidei defenſioni tam neceſſario tempore præſtandum. Scimus enim hæreticorum atque Eccleſiaſtici Ordinis aduerſariorum eam eſſe conſuetudinem, vt, oblatâ ſibi huiuſmodi Conuentuum occaſione, ſemper aliquid contra Religionem Catholicam, atque ad huius ſanctæ Sedis, quæ omnium Eccleſiarum caput & magiſtra eſt, obedientiam ſubtrahendam moliantur. Quorum pernicioſis conatibus, quò tua maior eſt apud Regem auctoritas, & quò eruditione atque eloquentiâ ceteris tui Ordinis Prælatis antecellis, eò conſtantiùs ac fortiùs obſiſtere atque obuiàm ire debebis. Id autem tibi ceteriſque Fratribus noſtris Epiſcopis eò faciendum eſt confidentiùs, quòd chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Regis ea voluntas nobis ſignificatur, & illud Catholicæ Religionis ſtudium, vt in eius defenſione à tot nobiliſſimis progenitoribus ſuis, Catholicis Regibus, numquam degeneraturus eſſe credatur: vt ſi quid (quod Deus auertat) in iſtis Comitiis acciderit, ex quo Religio Catholica & Apoſtolicæ Sedis auctoritas aliquâ ex parte læſa fuerit, id non Regi ipſi imputandum à nobis ſit, ſed aut timori aut negligentiæ veſtræ aſſignandum. Quòd ſi quod etiam periculum vobis Eccleſiaſticam libertatem aduerſus impios hære-

hęreticorum conatus defendentibus immineret; vnanimiter obſiſtentes etiam monendo debetis oſtendere, vos in communi Eccleſiæ Catholicæ damno veſtrum ſpecialiter aliquid non amare; ne à Patribus illis noſtris degeneretis, qui ſanguinem ſuum pro eiuſmodi cauſſis ſæpè profuderunt. Audi enim, Frater, omnium Apoſtolorum Principem dicentem: Si quid patiemini propter iuſtitiam, beati eritis. Crede mihi, vitam, quam idcircò accepimus, vt eam pro Dei honore veræque Religionis cultu libenter Omnipotenti Deo offeramus; ſi neceſſitatis cauſſa exigat, ſecuriùs pro eodem Deo relinquimus quàm retinemus. Præſtabit autem vires Omnipotens Deus, Redemptor noſter, Fraternitati tuæ, ceteriſque Fratribus in eodem Conuentu affuturis, ſi modò vos dignum vobis, hoc eſt Catholicis Eccleſiarum Paſtoribus, animum Sacerdotalemque vigorem capiatis. Quam ad rem Fraternitatem tuam ita hortamur atque excitamus, vt nec maiore animi noſtri ſtudio, nec ardentiori deſiderio hortari atque excitare poſſimus. Meminiſſe te quidem officij tui credimus, nec commiſſurum putamus, vt vllo aut metu aut ignauiâ Sacerdotalem dignitatem deſeras; ſed noſtrum tamen ipſi officium prætermittere noluimus, ſcientes, vt tibi de tuo, ſic nobis de noſtro, æterno illi Iudici rationem reddendam fore. Et quia ſatis conſtat, malos Sacerdotes populorum eſſe ruinam, manifeſtiſſimaque res eſt, tot hæ-

reſum

reſum mala non aliunde quàm à prauis corruptiſque Clericorum moribus originem habuiſſe; ideò Fraternitatem tuam monemus, & per viſcera miſericordiæ Dei obteſtamur, vt, ſicuti dignum eſt officio ſuo, ad Cleri ſui mores corrigendos, omni vigilantiâ incumbat: ſibique perſuadeat, ad reuocandam veterem Eccleſiæ dignitatem, propter hanc ipſam morum in Clericis viris corruptionem, in ſummum ferè hominum omnium contemptum adductam, nullum aliud præter hoc remedium inueniri poſſe. Veriſſima enim eſt illa B. Gregorij prædeceſſoris noſtri ſententia, in quâ Sacerdotalem ordinem, cùm intus ceciderit, foris quoque diu ſtare non poſſe affirmauit. Cadunt enim intus Sacerdotes, cùm iuſtitiâ, caſtitate, integritate honeſtateque morum derelictâ, contraria ſuæ profeſſioni inſtituta moreſque ſectantur. Intus autem cadentes, foris ſtare non poſſunt: propterea quòd populus, qui in his qui ſibi præſunt non tam doctrinam attendit, quàm facta ac mores contemplatur & ſpectat, vbi eos, quorum integritas ſibi ad benè honeſteque viuendum exemplo eſſe debeat, deprauatis corruptiſque viuere moribus videt, facilè illorum exemplo ad deteriora conuertitur. Corrigendi autem mores nulla melior iniri poteſt à Fraternitate tuâ ratio, quàm ſi omni tuâ induſtriâ elabores, vt, quæ tam piè ac prouidè in ſanctâ generali Tridentinâ Synodo decreta fuerunt, ea diligenter fideliterque in tuâ Eccleſiâ

ſeruari

ſeruari cures. Quam ad rem ita te hortamur atque incitamus, vt nihil æquè cupiamus, ac te hac in re, & Dei honori, & officio tuo & deſiderio noſtro ſatisfacere. Et quamuis ſperabamus, pro eo quod fidei tuæ creditum eſt munere, te minimè prætermiſſurum eſſe, quin Eccleſiæ tuæ in re tam ſalutari prouideres; tamen quamuis currenti tibi fraternæ hortationis noſtræ tamquam calcar admouendum duximus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuarij, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA II.

Vt in Regni Comitiis Catholicam Religionem tueatur, Clerique diſciplinam & mores reſtituat, & ſacri Concilij Tridentini Decreta in vſum induci curet, hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Gneſnenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Commiſſi nobis officij ſolicitudo & diuini zelus honoris cogit nos hoc tempore, quo iſtius Regni Comitia aut iam futura eſſe, aut non ita pridem incepiſſe intelligimus, Fraternitatem tuam in primis, & ceteros iſtius Regni Epiſcopos vehementer hortati, vt tam neceſſario tempore officium veſtrum Deo pro Catholicæ Religio-

nis defenſione præſtetis. Ea enim eſt hæreticorum conſuetudo, vt, oblatâ huiuſmodi Conuentuum occaſione, conentur aliquas ſemper actiones introducere, quibus ad confirmandam augendamque hæreſum peſtem, vel decretum aliquod extorqueant, vel aliquid aliud ad illud obedientiæ fundamentum ſubtrahendum moliantur, ſine quo reliquum Eccleſiæ ædificium ſtare non poteſt. Horum perniciosis conatibus, ſi qui fortè (quod Deus auertat) fuerint, qui tantis Eccleſiæ Catholicæ perſecutionibus adhuc non contenti, maiora etiam ei detrimenta inferre conentur, te & reliquos Fratres Epiſcopos noſtros vnâ mente conſtanter & fortiter ire obuiàm & obſiſtere oportebit; ne tamquam muti canes videamini, non valentes aduerſus lupos latrare. Quâ in re præſtandâ tuæ peculiares partes erunt, qui, vt iſtius Regni primus exiſtis, ita hortator & dux eis, & reliquis Catholicis, ad reſiſtendum hæreticorum audaciæ eſſe debes; vt quam huic & omnium Chriſti fidelium Matri Eccleſiæ pietatem debes, eamdem ei, tamquam pius filius, hoc tam neceſſario tempore rependas atque retribuas. Id autem eò fidentiùs tibi reliquiſque Fratribus faciendum eſt, quòd chariſſimus nobis in CHRISTO Filius, Rex egregius, Catholicæ Religionis ſtudium, deuotamque atque propenſam erga Sedem hanc Apoſtolicam voluntatem ſuam, nobiliſſimis Regibus progenitoribus ſuis dignam, quorum in fidei Catho-

licæ

licæ defenſione ſingularis ſemper enituit virtus, non obſcurè ſignificat. Et ſi quid in iſtis Comitiis acciderit, ex quo Catholica fides & hæc ipſa ſancta Sedes detrimentum aliquod patiatur; huius rei culpa non Regis voluntati aſſignanda, ſed tuæ & reliquorum Fratrum negligentiæ & ſocordiæ imputanda videatur. Speramus tamen, ſi inter vos, vt debetis, conſentientes, omni humano reſpectu poſtpoſito, ſacerdotali vigore ad defendendam Eccleſiaſticam libertatem conſpiraueritis; Deo fauente, eorum omnium conſilia vos eſſe diſturbaturos, qui eam oppugnare, aut minuere, aut aliâ quauis ratione lædere vellent. Turpe enim tibi & reliquis Fratribus, indignumque eſſet, ſi paratiores hæretici ad fidem Catholicam oppugnandam, quàm vos ad defendendam inueniremini. Quòd ſi memineris, Omnipotenti Deo reddendam eſſe abs te officij tui rationem; certè nihil prætermittes hoc tempore earum rerum, quæ abs te in illo diſtricto Iudicij ſui die iuſtus ille Iudex requiſiturus eſt; etiamſi tibi tamquam bono fidelique Paſtori pro grege tibi commiſſo anima ipſa ponenda eſſet: quod vt glorioſum tibi eſſet, ſic oblatâ occaſione non modò non deuitandum, ſed etiam vltrò appetendum eſt. Eamdem rationem quia ipſi quoque de noſtro reddituros eſſe officio meminimus, idcircò nec voluimus nec debuimus vllo modo prætermittere, quin te fraternâ charitate moneremus, quid tali tempo-

re facere debeas: vt quod te tuâ ſponte pro tuo officio facturum eſſe confidebamus, noſtro admonitu acriùs tibi ac diligentiùs faciendum eſſe exiſtimes. Et quoniam tot tamque multiplicium hæreſum venenis cauſſam & materiem maximè præbuerunt Paſtorum negligentia, & Cleri mores deprauati atque corrupti; quâ ex re imminuta eſt laicorum deuotio, & adaucta viuendi licentia; proinde Fraternitatem tuam rogamus, & ſub diuini obteſtatione Iudicij monemus, vt ad auertenda diuinæ iræ flagella, quæ ob tot tantaque peccata (niſi obuiàm per eos, qui poſſunt & debent, eatur) maximè timenda expectandaque ſunt, ad Cleri ſui mores corrigendos reformandoſque omni vigilantiâ incumbat: vt, vitatis diligenter omnibus his, quę laicorum animos atq; oculos offendere poſſunt, Sacerdotes ipſi priſtinam populorum erga ſe reuerentiam ac deuotionem aliquando recuperare valeant: hoc enim ſolum & vnicum remedium eſt, ad tot tantaque Eccleſiæ vulnera ſananda. Ad hoc autem efficiendum, atque ita placandum Deum, nihil æquè valebit, ac Decretorum ſanctæ generalis Synodi Tridentinæ fidelis ac diligens obſeruatio. In quâ quæ adeò maturè, piè ac prouidè, Deo auctore, conſtituta decretaque ſunt, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmata, & vbique obſeruari iuſſa; hæc, omni tuo ſtudio enitere, vt ad effectum maximè adducantur. Nihil facere poteſt Fraternitas tua, neque Deo gratius, neque nobis

nobis acceptius, neque ſibi ipſi glorioſius, neque animæ ſuæ ſalutarius. Hoc ſi fecerit, quemadmodum eam facturam ſperamus, cùm ad æternum illum Paſtorem venerit, non mercenariorum negligentiumq; Paſtorum pœnam, ſed bonorũ ac fidelium ſeruorum laudes & præmia accipere merebitur. Hæc pluribus Fraternitatem tuam hortati ſumus, non ſuę voluntati aut ſtudio erga Eccleſiam fidei ſuæ creditam diffidentes, ſed paterni animi noſtri affectum & omnium Eccleſiarum ſolicitudinem teſtificantes. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuar. M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA III.

Ex proſcriptis hæreticorum bonis templa & alia publica ædificia, ab illis incenſa vel diruta, rurſus ædificari; ex iiſque bonis nihil omnino ipſis hæreticis, vel eorum propinquis, quamuis bonis & Catholicis, donari iubet. Vide lib. II. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio noſtro Georgio, titulo S. Nicolai in Carcere Tulliano Preſbytero Cardinali, de Armeniaco vocato, pro nobis & Sede Apoſtolicâ in ciuitate noſtrâ Auenionenſi commoranti.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Magnâ cum animi noſtri lætitiâ

titiâ intelleximus, hæreticorum bonorum iſtius noſtræ ditionis Auenionenſis, Comitatuſque Venaiſini, deſcriptionem à te factam ordinatamque eſſe; non minorem quoque voluptatem accepturi ex eo, ſi eorum bonorum diſtributionem vtiliter, atque, vt decet, & vt ſperamus, factam eſſe intellexerimus. Quâ in re illud in primis circumſpectionem tuam curare volumus, vt ex his bonis templa & publica ædificia, ab eiſdem hæreticis incenſa aut diruta, rurſus ædificentur: deinde, ne bona hæc propinquis ipſorum, aut affinibus, quantumuis bonis & Catholicis, donentur, aut aliâ quauis ratione ad eos perueniant. Talem enim ſeueritatem ad reliquos ab hæreticâ prauitate hoc exemplo deterrendos vtiliſſimam eſſe iudicamus. Illud præterea officio tuo conueniet, vt diligentiſſimè cures, ne hæc hæreticorum publicata bona diſſipentur, aut inutiliter expendantur; ſed ad omnes caſus neceſſitatesque iſtius ditionis conſeruentur: quas pro temporum locorumque iſtorum conditione vides multas accidere poſſe, vt ad ſuppeditandos neceſſarios iſtic ſumptus non ſemper pecuniam hinc mittere cogamur. Quod verò ad eorumdem hæreticorum feuda pertinet, volumus, vt ea Legationi iſti applicentur atque vniantur, eâ ratione, quæ his noſtris ſub plumbo litteris, ſuper rebus feudalibus non alienandis editis, præſcripta eſt: quarum exemplum ad te mittimus; eaſque diligenter atque inuiolabiliter, vt par eſt, ſeruari

uari mandamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuarij, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA IV.

Vt hæreticos quamprimùm profligari curet, Carolum Cardinalem hortatur. Vide lib. II. *cap.* III. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio noſtro Carolo, titulo S. Chryſogoni Preſbytero Cardinali, Borbonio vocato, Auenionenſi de latere Legato.

Dilecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Facit prudentia tua ſpectata in maximarum rerum actione, & auctoritas magna, quam meritò apud chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum, Regem Chriſtianiſſimum, obtines in rebus iſtius Regni gubernandis, vt in hoc nefario bello propulſando, quod hæreticorum impiorum prudentiſſimi Duces Omnipotenti Deo, & Catholicæ fidei, & iſti Chriſtianiſſimo Regi indixerunt, omnium Catholicorum Principum, & noſtri potiſſimùm paterni oculi, in te maximè ſint intenti. Quæ res in cauſſâ eſt, vt nos, qui pro ſolicitudine noſtrâ Paſtorali, paternâque rerum iſtius Regni curâ, nullum prætermittere apud te officium hoc tam neceſſario tempore cupimus, quod Religionis cauſſam tantoperè in iſtis partibus periclitantem adiu-

uare

uare poſſit; pro quâ etiam, oblatâ occaſione, libenter mori parati ſumus; te per litteras noſtras vehementer hortandum atque excitandum eſſe exiſtimemus, omnem vt curam, operam auctoritatemq́ue tuam conferas ad eam rem: vt quamprimùm ea comparentur atque expediantur, quæ ad profligandos Dei Regisq́ue infenſiſſimos hoſtes neceſſaria ſunt; ſine quibus neque adminiſtrari celeriter bellum, neque confici poteſt. vt omnibus hominibus manifeſtè oſtendas, neque voluntatem tibi neque facultatem defuiſſe, quâ & fidei Catholicæ in iſtis partibus tantoperè laboranti auxilium ferres, & imminenti iſtius Regni ruinæ occurreres atque obuiàm ires. Nam ſi rei primo quoque tempore benè gerendæ occaſio amittatur, ſpatiumq́ue hoſtibus detur, ad maiores his, quas nunc habent, copias ſibi comparandas; valdè timemus, ne, victoriâ ipſâ, quam neque multo labore & ſine periculo obtinere difficile fortaſſe non fuiſſet, è manibus amiſsâ, res eò deducatur, vt Rex (quod Deus auertat) in vitæ ſuæ diſcrimen, Regniq́ue amittendi periculum, veniat. Non enim aliud proficitur differendis de die in diem apparatibus, ceteriſq́ue rebus tardè expediendis, quæ ad celeritatem victoriæ conferunt; niſi quòd & ærarium Regium magis magisq́ue indies exhauritur, vt ſuppeditandis bellicis ſumptibus poſteà ſufficere non poſſit, & hoſtium vires quotidie magis augentur: & quod negotium adhibitâ celeritate facile atque

que expeditum foret, id periculoſiſſimum atque impeditiſſimum tardando efficitur. Quam ob rem cùm te ipſum hortamur atque excitamus, tum vt Chriſtianiſſimum Regem & Reginam, ceterosque omnes, quos neceſſe eſſe exiſtimaueris, & quorum illi operâ in hoc bello vtuntur, ipſe quoque vehementer ad eamdem rem horteris atque incendas, abs te vehementer petimus. Cuius quidem tui facti voluntatisque non minor futura eſt apud omnes homines laus, quàm victoriæ gloria, tam pro quiete ſecuritateque iſtius Regni ſtabilitâ, quàm pro Religione Catholicâ in eodem Regno operâ tuâ conſtitutâ ac propagatâ. Quâ quidem re nihil accidere poteſt nobis gratius aut optatius, neque tibi glorioſius aut honeſtius. Magnitudo rei, & rerum iſtius Regni in extremum diſcrimen adductarum pericula longiorem orationem fortaſſe deſiderant; ſed tuum ſpectatiſſimum Catholicæ Religionis ſtudium, & diuini honoris zelus, nobis non ignotus, non patitur, nos pluribus verbis hac de re tecum agere: & quamuis habebamus pro comperto, te tantâ in Deum pietate præditum, tuâ ſponte ſatis paratum fore ad ſubueniendum tam neceſſario tempore iſtius Regni periculis; tamen non parum quoque apud te paternam noſtram hortationem valituram eſſe putauimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuarij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA V.

Vt bellum in hæreticos confici, eorumque bona proſcribi diligenter curet, Carolum Cardinalem à Lotharingiâ hortatur. Vide lib. II. *cap.* V. *&* VI. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio noſtro Carolo, tituli S. Apollinaris Preſbytero Cardinali, à Lotharingiâ vocato, noſtro & Apoſtolicæ Sedis de latere Legato.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In hoc nefario bello, quod hæretici Omnipotentis Dei hoſtes, paciſque & tranquillitatis iſtius Regni inimici, contra fidem Catholicam, & Chriſtianiſſimum iſtum Regem, infenſiſſimis animis gerunt, cùm omnium Catholicorum Principum, tum noſtros potiſſimùm paternos oculos in te actionesque tuas exiſtimare debes eſſe conuerſos. Hoc autem accidit, & propter ſpectatam prudentiam tuam in rerum maximarum tractatione, & propter eam auctoritatem, quam meritò maximam habes apud Regem in rebus iſtius Regni gubernandis. Quo fit, vt nos, qui pro Paſtorali ſolicitudine, & paternâ rerum iſtius Regni curâ, ſummâque animi ſolicitudine, vt par eſt, exitum iſtarum rerum atque euentum ſuſpenſiſſimo animo exſpectamus; nullum apud te officium hoc tempore

nobis

nobis prætermittendum eſſe putemus, quo Religionis Catholicæ cauſſa, pro quâ libenter etiam ſanguinem noſtrum profunderemus, adiuuari poſſe videatur. Et quia intelligimus, id quod tu quoque pro tuâ prudentiâ intelligis, ad obtinendam huius periculoſiſſimi belli victoriam maximum in eo momentum poſitum eſſe, vt ea, quæ neceſſaria ſunt ad profligandos hoſtes, celeriter comparentur atque expediantur, vt rei benè gerendæ occaſio non amittatur, neque detur hoſtibus tempus ad maiores his, quas nunc habent, vires colligendas; ideò circumſpectionem tuam his noſtris litteris vehementer hortamur atque excitamus, vt adhibitâ omni celeritate ac diligentiâ in comparatione rerum expugnandis fugandisque hoſtibus neceſſariarum, cunctis hominibus oſtendas, neque voluntatem tibi neque facultatem defuiſſe, quâ & Religioni Catholicæ, in iſto Regno ſummum in diſcrimen adductæ, opitularetur, & iſtius Regni ruinæ occurreret atque obuiàm iret. Magnam enim nobis interdum, ceteriſque omnibus, admirationem affert, quòd nefarius ille vocatus Aurangiæ Princeps, vnà cum ſuis copiis, tamquam ſi hoſtis non eſſet, ſic in iſto Regno verſatur, vt, nullo impediente, prædationibus vaſtationibusque agrorum, direptioneque omnium rerum, exercitum ex omnium hæreticorum colluuione conflatum alat. Illud etiam, quod ex edicto Regis iamdudum factum eſſe oportebat, vt ſcilicet

hæreticorum bona publicarentur, quodq́ue valdè vtile fuiſſet ad dubios in fide retinendos, ceterosq́ue omnes ab huiuſmodi nefariâ cum hæreticis ſocietate coniunctioneque deterrendos; non ſine dolore miramur, factum adhuc non fuiſſe. Hæc autem non vt tu ipſe ſolùm pro parte tuâ diligenter præſtes hortamur; ſed illud quoque rogamus, vt & Regis ipſius, Reginæ & omnium eorum quorum illi operâ in hoc bello vtuntur, animos incendere atque excitare velis, tum ad hæc quæ omiſſa ſint diligenter exequenda, tum ad ea celeriter & ſine morâ comparanda, quæ ad fugandos debellandosq́ue hoſtes, finemq́ue huic calamitoſiſſimo bello aliquando imponendum, neceſſaria ſunt. Nunc enim adhibitâ eâ, quæ adhiberi debet, celeritate ac diligentiâ, faciliùs fugari hoſtes poterunt: ſed ſi diutiùs rerum victoriæ obtinendæ neceſſariarum comparatio protrahatur, præterquam quòd diuturnâ belli morâ ærarium Regium quotidie magis exhauritur, vt bellicis ſumptibus ſuppeditandis poſteà ſufficere non poſſit; periculum quoque futurum eſt, ne auctis magis magisq́ue indies ex his rebus hoſtium animis atque viribus (quod Deus auertat) Rex in vitæ Regniq́ue amittendi periculum extremum adducatur. Enitendum eſt igitur tibi & reliquis Catholicis, vt omnium animos incitetis, omnesq́ue periculoſas inutilesq́ue moras abrumpatis; ne ſi hoſtes, dato illis ad colligendas maiores vires ſpatio, magis inualuerint,

luerint, multò poſteà periculoſior futura ſit pugna. Hoc autem ſi feceris, quemadmodum pro tuâ in Deum pietate & Catholicæ Religionis deuotione facturum eſſe non dubitamus; pro ſtabilitâ iſtius Regni tranquillitate & ſecuritate, proque Catholicâ Religione in eo conſtitutâ, maximos laudis fructus percipies: ſic vt iſtius conſilij voluntatisque tuæ laude glorioſior ipſa victoria futura non ſit, quæ, adiuuante Deo, vobisque veſtram Religionisque cauſſam enixè fouentibus, ſperari poteſt. Quâ quidem re nihil accidere poteſt nobis gratius aut optatius, neque tibi glorioſius aut honeſtius. Quamuis autem confidebamus, te tuâ ſponte, & hoc & omnibus aliis officiis functurum eſſe, quæ & Religionis Catholicæ defenſio exigit, & rerum iſtius Regni in extremum diſcrimen adductarum pericula expoſcunt; tamen pro noſtro officio, & rei magnitudine, paternam hortationem noſtram prætermittendam nullo modo putauimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Ianuarij, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA VI.

Ad retinendam inter ſe & illius ciuitatis Magiſtratus piarum mentium concordiam, ad ſe ipſos & patriam ab hæreticorum commercio & fraude tutam conſer-

uandam, & ad vitam moresque piè conformandos, Canonicos Eccleſiæ Biſuntinæ hortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo & Canonicis Eccleſiæ Biſuntinæ.

MAgnâ in Domino lætitiâ affecti ſumus, quòd de veſtrâ ſincerâ deuotione, & Catholicæ Religionis amore, ea ad nos afferuntur, quæ & vehementer deſiderabamus, & hominum verè religioſorum pietate digna ſunt. Et quamuis bonorum, quales vos eſtis, ſincera deuotio filiorum, pro ſuâ ipſorum & omnium Chriſti fidelium Matris Eccleſiæ ſalute tuendâ, nullius hortationis ſtimulis indigere videatur: tamen, quia peccatis id facientibus in eam temporum calamitoſam conditionem deuenimus, vt etiam his, qui ſibi ſtare in Domino videntur, omnia & prudenter timenda & diligenter præcauenda ſint; & quiaættereà paterna, quâ vos omnes proſequimur, beneuolentia non patitur, nos de vobis hoc periculoſiſſimo tempore ſine ſolicitudine eſſe; ideò, pro commiſſo nobis ab Omnipotenti Deo quamuis immeritis curæ Paſtoralis officio, dilectiones veſtras in Domino hortandas excitandasq; eſſe prçuidimus, primùm quidem ad ſeruandam omni conatu inter vos ipſos concordiam, deinde etiam ad conſentiendum cum dilectis Filiis noſtris iſtius ciuitatis Gubernatoribus: eâ ſcilicet mente, vt, con-

iunctis ſtudiis & conſiliis, vno animo faciliùs eam ab hæreticorum communium hoſtium inſidiis conatibusque tutam atque immunem præſtare poſſitis. Vt enim ad locum aduerſariis veſtris dandum nihil aptius eſſe poteſt, quàm animorum veſtrorum inter ſe diſſidentium diſcordia; ſic, ad intercludendos eis omnes aditus, nihil concordiâ eorumdemque animorum conſenſione eſt efficacius: ad quam quidem cùm vos, vt facimus, ſtudioſiſſimè hortamur, ad veſtram vos ſalutem, veſtra commoda, veſtramque dignitatem retinendam hortamur: nihil enim harum rerum ſine eâ aut haberi à vobis aut conſeruari poteſt. Illud præterea monemus, &, quantò maiore animi ſtudio poſſumus, hortamur, vt pro confirmandis bonorum Catholicorumque virorum veſtro exemplo animis, proque his qui à Catholicâ fide aberrauerunt, ad eam reuocandis, vos ipſi in primis piam, ſobriam, caſtamque, mandatisque Dominicis conſentientem vitam viuatis; deinde alios etiam, ad idem faciendum præſtandumque, & verbis & operibus excitetis: illud pro certo habentes, ad reuocandam veterem in horum qui nunc homines ſunt animis erga Sacerdotes ac Clericos reuerentiam, nulla remedia excogitari poſſe meliora, quàm ſi illi ipſi Sacerdotes & Clerici ita viuere ſtudeant, vt reprehendendis eorum moribus nullam hæreticis anſam, ad reliquos ab eorum cultu reſpectuque remouendos, relinquant. Quapropter,

pter, dilecti Filij, Dominicorum memores ſalubriter mandatorum, ſic viuite, itaque ad cuſtodiendos vos ciuesque veſtros ab hæreticorum inſidiis inuigilate; vt ante æterni Iudicis tribunal conſtituti, bonarum veſtrarum actionum fructum, qui ad mercedem veſtram pertineat, & in quo lætari poſſitis, eidem Redemptori noſtro exhibere cum gaudio valeatis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Februarij, M. D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA VII.

Gubernatores ciuitatis Biſuntinæ de pietatis ſtudio commendat, & ad tuendam Catholicam Religionem, firmamque inter ſe & Eccleſiaſticos viros retinendam concordiam, & ab hæreticis cauendum, hortatur.

Dilectis Filiis, Gubernatoribus ciuitatis Biſuntinæ.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vehementer in Domino gaudemus, Omnipotentique Deo gratias agimus, quòd de veſtro Catholicæ Religionis ſtudio, deque veſtris iſti ciuitati patriæ veſtræ ſalutaribus actionibus ea quotidie magis intelligimus atque audimus, quæ & valdè cupimus, & virorum Catholicorum pietate digna ſunt. quæ cùm tantoperè Deo grata accepta-

acceptaq́ue ſint; dubitare non debetis, quin eadem nobis quoque gratiſſima acceptiſſimaq́ue ſint. Proinde debitum paternæ erga vos charitati noſtræ ſalutationis officium perſoluentes, virtutem veſtram pietatemq́ue ſingularem, atque in ciuitate veſtrâ ab hæreticorum inſidiis diligenter tuendâ vigilantiam, meritis in Domino laudibus proſequimur. Et quamuis ad explenda omnia piarum actionum officia ipſe vos veſter diuini honoris zelus ſatis accendit: tamen, quia & horum calamitoſa temporum conditio id exigere videtur, & ciuitas ipſa veſtra quò magis vicinorum locorum periculis expoſita eſt, eò cautiorem in illis vitandis diligentiam attentionemq́ue & curam deſiderat; ideò pro noſtrâ Paſtorali ſolicitudine paternâque in vos beneuolentiâ vehementer hortamur, vt nihil hoc tempore de veſtro perpetuo ſtudio vigilantiâque remittentes, ſed, ſi fieri poteſt, aliquid etiam addentes, ſolicitè ac diligenter ad vos ipſos veſtramq́ue ciuitatem à peſtiferarum hæreſum veneno cuſtodiendam inuigiletis: eamq́ue ob cauſſam, cum dilectis Filiis, Capitulo & Canonicis iſtius Eccleſiæ conſentiatis, vt coniunctis animis & conſiliis, vno animo faciliùs Deo & Religionis Catholicæ cauſſæ inſeruire poſſitis. Quâ in re præſtandâ illud valdè proderit, ſi & aduenas ipſos, qui ad incolendam vrbem veſtram aliunde veniunt, & eos quoque, qui commercij cauſâ ad eamdem accedere & recedere conſueuerunt, diligentiſſi-

gentiſſimè cauebitis: ſæpè enim vnius improbi veneno ſermonis multa in Chriſti corpore viuentia membra inficiuntur. Vos autem præcipuè decet, dilecti Filij, primùm quidem Omnipotenti Deo hanc operam præſtare; deinde vobis ciuiumq́ue veſtrorum ſaluti conſulere, quos in vicinitate tot tantorumq́ue periculorum poſitos, eiuſdem Dei erga vos benignitas ab hæreticorum peſte immunes liberosq́ue, ad hanc vſque diem conſeruauit: vt quemadmodum, illius gubernante gratiâ, factum eſt, vt nulla vos veſtrosq́ue ciues hucuſque hæreſum exteriùs ſuperueniens vnda conturbauerit, ita in vobis illisq́ue diligentiùs etiam in poſterum cuſtodiendis maiorem Redemptoris noſtri gratiam promereri poſſitis. Qui enim omnia, quæ potuit, fecit, is charitatis legem adimpleuit. Eſtote igitur cauti, noctesq; ac dies ad commiſſum veſtræ fidei populum vtiliter regendum inuigilate: nihil prætermittite earum rerum, quibus & Catholicæ fidei cultus quotidie apud ciues veſtros augeri, & hæreticorum inſidiæ ac fraudes caueri poſſint. Ad hæc autem & cetera, quæ vtilia fore putaueritis, efficienda, ſi quâ vobis in re ſiue auctoritas ſiue auxilium noſtrum vſui eſſe poterit; id à vobis admoniti (quantum cum Domino poterimus) numquam à vobis deſiderari patiemur. Omnipotens autem Deus vos, in hoc in quo eſſe voluit loco, ciuesq́ue veſtros ſuâ defenſione cuſtodiat, & ad cæleſtia dona perducat. Datum

Romæ.

Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Februarij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA VIII.

Vacaturi Beneficij Eccleſiaſtici expectationem facere recuſat.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ Illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quò magis Maieſtatem tuam inter Reges Catholicos præcipuè diligimus, tuisque deſideriis, quantum cum Domino poſſumus, ſemper ſatisfacere cupimus; eò magis nobis moleſtum eſt, ſi quando accidit, vt ea poſtulet à nobis, quæ pro officij propoſitique noſtri ratione concedere nullo modo poſſumus. Quòd igitur poſtulationi tuæ pro Metello Venturello Canonico Viſlicenſi nunc non ſatisfacimus, quem tuis ad nos litteris die quintâ Decembris ſcriptis diligenter nobis commendaſti; ſciat Maieſtas tua illam eſſe cauſſam, quòd nos iuſtiſſimis de cauſſis adducti, quæ ad Dei honorem animarumque ſalutem maximè pertinent, numquam conſueuimus de Beneficiis quæ vacatura ſint, cuiuſquam rogatu alicui aliquid aut concedere, aut polliceri, vel quauis aliâ ratione ſpem aut expectationem

facere. Sed tamen, ſi is, quem tua nobis Maieſtas commendauit, & quem nos alioqui (maximè verò ob teſtimonium illi à te datum) virum bonum & Sacerdotem pium, & Eccleſiæ Dei, vt ſcribis, vtilem exiſtimamus, operam dabit, vt in notitiam cognitionemque noſtram perueniat; Maieſtati tuæ indicamus nos in his, quæ pro tempore nobis oblatæ fuerint, occaſionibus, eam illius rationem eſſe habituros, vt re ipsâ intellecturus ſit commendationem ſibi Maieſtatis tuæ plurimùm profuiſſe: cui pro ſingulari ſuo Catholicæ Religionis ſtudio, paternâque noſtrâ beneuolentiâ, parati erimus gratificari ſemper in omnibus aliis rebus, quibus ſine Dei offensâ, & ſaluâ noſtrâ conſcientiâ, poterimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die X. Februarij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA IX.

Auxiliares copias contra hæreticos mittit in Galliam, Duce Sfortia, Comite ſanctæ Floræ; & Catholicis victoriam à Deo ſupplex expoſcit. Vide lib. II. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro paternâ

paternâ noſtrâ tui, Regniq́ue tui in tanto diſcrimine poſiti curâ, poſtulatis tuis ſatisfacere volentes, mittimus ad Maieſtatem tuam, in nomine Omnipotentis Dei, auxiliares copias peditum atque equitum, quemadmodum à nobis petiuit. Mittimus autem eo animo, vt & tuæ & Regni incolumitati auxilio ſint in iſto bello, quod hæretici, Dei & Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, aduerſus te Regnumq́ue tuum inſenſiſſimis animis gerunt: ob eamq́ue cauſſam dilecto Filio, nobili viro Sfortiæ, earum copiarum generali Duci mandauimus, vt Maieſtatis tuæ iuſſa faciat, & in omnibus his quæ ſibi abs te imperata fuerint, præſtò ſit, ac ſine vllâ recuſatione obediat. Is igitur, & iuſſu noſtro incitatus, & ſponte ſuâ ob egregiam militarem virtutem ad bene agendum inflammatus, vnà cum prædictis copiis, eo animo ad te venit, vt in iſto bello pro Dei honore, proq́ue iſtius Regni incolumitate, paratus ſit vnà cum exercitu omnibus ſe periculis ac morti exponere. quem quidem & exercitum Maieſtati tuæ eatenus commendamus, quatenus ſuis ſumptibus commeatuum, aliarumq́ue rerum ad victum vſumq́ue ſuum neceſſariarum, in tuo Regno eam copiam habeat, ſine quâ nec ipſe ali poſſet, nec tibi eam quam cupimus operam nauare: nam reliquis in rebus volumus, vt Maieſtas tua eo ſine vllâ exceptione vtatur, ad omnia quæ ſibi in iſto bello neceſſaria atque opportuna viſa fuerint; prouiſuri omnino, vt pro eo

tempore quo tibi illo vtendum fuerit, nullo modo ei ac militibus noſtris ſtipendium à nobis deſit. Quod quidem eo animi ſtudio eâque alacritate fecimus, facturiq́ue ſumus, quam & Religionis Catholicæ cauſſa, & tuum iſtiusq́ue Regni periculum, & noſtra in te paterna voluntas expoſcunt. Omnipotentem autem Deum precamur, qui & Dominus eſt exercituum, & Rex Regum, & omnia ſuâ ſapientiâ moderatur & regit, vt Maieſtati tuæ de communibus hoſtibus victoriam miſericorditer concedens, pacem tranquillitatemq́ue iſti Regno aliquando afferat, eam quam & in Domino optamus, & aſſiduis precibus ab eo ſuppliciter expoſcere non deſiſtimus. Quam quidem victoriam, ſi, vt ſperamus, Deus tibi nobisq́ue ſuâ benignitate conceſſerit, tuæ partes erunt, hæreticos eorumq́ue Duces, vtpote Dei hoſtes, omni ſeueritatis animaduerſione adhibitâ, punire, in eoq́ue, vt æquum eſt, non ſolùm tuas, ſed Omnipotentis Dei iniurias iuſtè vlciſci: vt quas pro ſuis ſceleribus pœnas meriti ſunt, eas, te iuſtum Dei contra eos iudicium exequente, perſoluant. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Martij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA X.

Hæreticorum exercitu ad Iarnacium cæſo, eorumque Duce Condenſi Principe interfecto, victoriam Regi gratulatur, eumque, vt reliquos hæreticos ad internecionem perſequatur, incendit. Vide lib. II. *cap.* VIII. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm optatiſſimum nuntium accepiſſemus, dilectum Filium, nobilem virum, Ducem Andegauenſem, Maieſtatis tuæ fratrem, aduerſus Dei & Eccleſiæ hoſtes, tuoſque rebelles, Deo adiuuante, rem proſperè geſſiſſe; ipſumque omnium turbarum ſeditionumque caput, & hæreticorum exercitus Ducem occidiſſe; ſublatis in cælum manibus, ſtatim Omnipotenti Deo humili corde gratias egimus, qui hac tibi victoriâ conceſsâ, tantas miſericordiæ ſuæ diuitias in nos benignus effudit. Tale tantumque diuinæ clementiæ munus pio & grato animo agnoſcere debet Maieſtas tua, eique totum acceptum referre, qui & hoſtibus ſuis tuiſque cladem cùm voluit immiſit, & inimicum dexteræ ſuæ fortitudine percuſſit. Sed quantò benigniùs tecum nobiſcumque egit Deus,

Deus, tantò enixiùs ac diligentiùs huius occaſione victoriæ enitendum eſt tibi, vt eorum qui reſtant hoſtium reliquias perſequaris atque conficias; omneſque tanti tamque corroborati mali radices, atque etiam radicum fibras, funditus euellas: niſi enim penitus extirpatæ fuerint, futurum eſt vt rurſus pullulent, atque vnde Maieſtas tua minimè putat, quemadmodum anteà toties eueniſſe vidimus, iterùm renaſcantur. Quam quidem ad rem præſtandam vtiliſſimum erit, ſi occupatis munitioribus Nauarræ locis, & in eis firmis Catholicorum ac fidelium tibi Præfectorum & militum præſidiis collocatis, prouidebis, ne qui ab eâ parte noui rurſus belli tumultuſque motus oriantur. quod vt facias, neque vllam ampliùs communibus hoſtibus aduerſus Catholicos ſeſe commouendi facultatem relinquas, ita te pro noſtrâ paternâ tui Regnique iſtius verâ curâ hortamur, vt nec maiore animi ſtudio, nec ardentiori tuæ incolumitatis deſiderio, hortari poſſimus. Hoc autem facies, ſi nullarum perſonarum rerumque humanarum reſpectus te in eam mentem adducere poterit, vt Dei hoſtibus parcas, qui neque Deo neque tibi vmquam pepercerunt: non enim aliter Deum placare poteris, quàm ſi Dei iniurias ſceleratiſſimorum hominum debitâ pœnâ ſeueriſſimè vlciſcaris. Proponat ſibi ante oculos Maieſtas tua Saulis Regis exemplum; qui cùm à Deo per Samuelem Prophetam iuſſus eſſet Amale-

citas

citas infideles populos ita percutere, vt eis nullo modo quauis de cauſsâ parceret; quia Dei voluntati & voci non obediuit, Regemque ipſum Amalecitarum incolumem ſeruauit, eiuſque rebus melioribus pepercit, paulò pòſt per eumdem à quo Rex vnctus fuerat Prophetam, ſeuerè admodum increpitus, & denique Regno ipſo & vitâ ſpoliatus eſt. Quo quidem exemplo Deus admonere voluit omnes Reges, ne, contemptâ ſuarum iniuriarum vltione, eius in ſe ipſos iram atque indignationem prouocarent. Quòd ſi Maieſtas tua, quemadmodum ſemper fecit, rectis ſenſibus, ſimpliciqúe corde, Dei honorem, & Catholicæ Religionis cauſſam apertè & liberè egerit; pro certo habeat, ſibi Dei numquam defuturum auxilium, donec, diſſipatis eius inimicis, priſtinus in iſto Regno Religionis Catholicæ cultus, ad diuini ſui nominis gloriam, & animarum ſalutem, per Maieſtatem tuam reuocetur. Quod vt tibi nobiſque miſericorditer dignetur concedere, quotidianis ab eo precibus humiliter rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. Martij, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XI.

Eiuſdem eſt, cuius ſuperior Epiſtola, argumenti. Vide lib. II. *cap.* VIII. *Vitæ* PII V.

Chariſſimæ in CHRISTO Filiæ noſtræ Catharinæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vt primùm optatiſſimum lætiſſimumq́ue nuntium accepimus, dilectum Filium, nobilem virum, Ducem Andegauenſem, natum tuum, prælio cum Dei & Eccleſiæ hoſtibus commiſſo, rem proſperè geſſiſſe; illicò ſublatis in cælum manibus Omnipotenti Deo gratias humiliter egimus, qui, hac Maieſtati tuæ nobìsq́ue victoriâ conceſsâ, eoq́ue homine de medio ſublato, qui omnium auctor ſeditionum, nefarijq́ue belli concitator & princeps extiterat, tantas miſericordiæ ſuæ diuitias in nos effundere dignatus eſt. Habet Maieſtas tua à Redemptore noſtro ſingulare beneficium; pro quo pio & grato animo ei ſemper gratias agat. ſed quò tecum & cum chariſſimo nobis in CHRISTO Filio, Rege Chriſtianiſſimo, nato tuo, benigniùs egit; eò ſtudioſiùs ac diligentiùs Maieſtas tua operam nauare debet, vt non ſolùm hoſtium reliquias perſequatur & conficiat, ſed etiam vt omnes tantæ tamq́ue corroboratæ peſtis radices penitus tollat atque euellat: niſi enim funditus extirpen-

tirpentur, timendum eſt, ne, quemadmodum re ipſâ antehac experti ſumus, rurſus pullulent; atque vnde Maieſtas tua minimè expectat, iterùm renaſcantur. Occupanda ſunt munitiora loca prouinciæ Nauarræ, firmiſſimisque Catholicorum fidelium Præfectorum ac militum præſidiis munienda, in tutoque collocanda, ne quis ab eâ parte nouus ſeditionum bellorumque motus exiſtere poſſit. Nullo modo, nullisque de cauſſis, hoſtibus Dei parcendum eſt, ſed ſeuerè cum illis agendum, qui neque Deo neque filiis tuis vmquam pepercerunt: neque enim aliter Deus placari poteſt, niſi ipſius iniurias iuſtâ vltione vindicaueris. Quòd ſi Maieſtas tua, quemadmodum hucuſque fecit, recto animi ſui ſenſu, ſimpliciique corde, honorem Omnipotentis Dei quæſiuerit, & Catholicæ Religionis hoſtes apertè ac liberè ad internecionem vſque oppugnauerit; pro certo habeat, numquam ſibi diuinum defuturum eſſe auxilium, maioreſque etiam ſibi, Regique nato ſuo, à Deo victorias paratas fore; donec, deletis omnibus, exinde nobiliſſimo iſti Regno priſtinus Catholicæ Religionis cultus, ad ſui nominis gloriam, tuamque perpetuam laudem, reſtituatur. Quod vt aliquando nobis concedere dignetur, ſummis quotidie precibus eſt orandus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. Martij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XII.

Eiuſdem, cuius priores duæ, argumenti.

Chariſſimæ in CHRISTO Filiæ Catharinæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ex litteris Venerabilis Fratris Epiſcopi Caiacenſis, Nuntij noſtri, & Sedis Apoſtolicæ, apud chariſſimum in CHRISTO Filium, Regem Chriſtianiſſimum natum tuum, certiùs atque exploratiùs iam cognouiſſemus, feliciſſimam atque exoptatiſſimam victoriam, quam Deus pro ſuâ miſericordiâ, tam opportuno Reipublicæ Chriſtianæ tempore, tibi Regique Chriſtianiſſimo filio tuo concedere dignatus eſt; ſublatis ad eumdem Deum, omnium victoriarum auctorem, manibus atque oculis, & in humilitate cordis noſtri, pro tanto tamque ſingulari beneficio gratias egimus. Et quamquam ex tantæ victoriæ nuntio magnam, vt par eſt, lætitiam acceperimus; credat tamen Maieſtas tua, non minùs quàm ipſam victoriam, placuiſſe nobis pium illum ac verè religioſum animi affectum, quem Chriſtianiſſimus Rex, natus tuus, declarauit, cùm, allatis ad ſe rei proſperè geſtæ nuntiis, totum ſe ad gratias Deo agendas, laudeſque ei dicendas, conuertit: vidit enim verè Chriſtianiſſimus Rex, nullâ re magis

Regna

Regna ipſa retineri conſeruarique poſſe, quàm ſummâ erga eum pietate, cuius munere Reges ipſi regnant. Te autem, chariſſima Filia, bono fidentique in Deum animo eſſe decet, neque vllorum periculorum metu terreri; ſed magnâ fiduciâ, omnibus viribus, vnà cum Chriſtianiſſimo Rege filio tuo, ad vindicandas Omnipotentis Dei ſeruorumque eius iniurias, iuſtâ in rebelles animaduerſione adhibitâ, incumbere; vt debitâ illis pro eorum ſcelere pœnâ perſolutâ, & Deus noſter placari poſſit, & ex hoc Maieſtas tua diuinam ſibi gratiam conciliet, & ceteris, vt ab eiuſmodi nefario ſcelere ſe abſtineant, memorabile atque vtile in poſterum prodat exemplum. Quâ de re eò ſtudioſiùs diligentiusque cum Maieſtate tuâ agendum eſſe exiſtimauimus; quòd dari operam iſtic ab aliquibus audimus, vt ex eorum hæreticorum qui capti ſunt numero quidam liberentur, inultique abeant: quod ne fiat, vtque homines ſceleratiſſimi iuſtis afficiantur ſuppliciis, curare te omni ſtudio atque induſtriâ oportet. niſi enim hoc factum fuerit, paruum omnino momentum hæc victoria habitura eſt, ad iſtius Regni tranquillitatem conſtituendam: quin potiùs, hac tam neceſſariâ ad Deum placandum animaduerſione omiſsâ, timendum eſt, ne, quemadmodum aduerſus Saulem Regem, pro ſimili Amalecitarum vltione prætermiſsâ, ſic aduerſus te filiumque tuum, eò grauiùs Dei ira exardeſcat, quò benigniùs ac miſeri-

 cordiùs

cordiùs vobiſcum hucuſque egit. Quâ in re Maieſtatem tuam rogamus, vt nobis fidem habeat: qui, quoniam nullis priuatis rationibus, ſed ſolo Dei honore ad hoc mouemur; quid faciendum ſit, rectè iudicamus: &, quia Chriſtianiſſimum Regem, natum tuum, teq́ue ipſam paterno amore proſequimur; optimum & fideliſſimum, Regnoq́ue iſti vtiliſſimum, vtrique conſilium damus. De noſtro autem in te Regemq́ue Chriſtianiſſimum filium tuum animo, paternâque Regni iſtius curâ, Maieſtatem tuam ſic exiſtimare volumus; quidquid viribus atque auctoritate poterimus, id totum vtrique ſemper paratum fore. Quòd ſi cetera nobis quandoque defuerint, illud certè non deerit, quin, quemadmodum hucuſque fecimus, fuſis ad Deum Omnipotentem precibus, eum pro vtriuſque veſtrûm ſalute, iſtiusq́ue Regni incolumitate ac tranquillitate, aſſiduè atque inſtanter rogemus. Tibi autem chariſſimæ Filiæ debitum ſalutationis noſtræ officium perſoluentes, benedictionem noſtram impartimur, atque ab Omnipotenti Deo gratiam ac cuſtodiam precamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Aprilis, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA XIII.

Eiuſdem, cuius priores, argumenti.

Dilecto Filio, nobili viro, Henrico Duci Andegauenſi, Regis Chriſtianiſſimi fratri.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nobilitatis tuæ litteras XIV. Martij die datas, magnâ cum animi noſtri lætitiâ accepimus; quibus nos certiores fecit de feliciſſimâ victoriâ, quam Omnipotenti Deo placuit pro ſuâ miſericordiâ tibi nobisque concedere: dilectum autem Filium Marchionem Rangonium, Regij Ordinis Equitem, à Nobilitate tuâ ad nos tantæ victoriæ nuntium miſſum, eâ quâ decuit humanitate acceptum, libentiſſimè vidimus atque audiuimus, ex eiuſque accurato prudentique ſermone rerum iſtarum ſtatum cognouimus. Tibi pro iſto in nos officio, quas debemus, gratias agimus, qui tantum ac tale Dei Omnipotentis beneficium quamprimùm nobis notum eſſe voluiſti: pro quo nos, ſublatis illicò ad Redemptorem noſtrum oculis ac manibus, humiliter ei gratias egimus. Nec verò ignoramus, quantum, poſt Deum, virtuti ac fortitudini tuæ debeat, cùm ipſe Chriſtianiſſimus Rex frater tuus, tum vniuerſa Gallia ac Religio Catholica. Nam & ille hac victoriâ Regnum in extremum

tremum ferè diſcrimen adductum, per te ſibi quaſi reſtitutum recepit, & Gallia in maximam ſpem erecta eſt priſtinæ ſuæ tranquillitatis recuperandæ, & Catholici magno imminentium ſibi periculorum metu liberati ſunt. Quæ quò plura maioraque tibi, ſupra ætatem tuam, data ſunt à Deo; eò te magis decet pio & religioſo animo, & hæc & alia munera, diuinæ ſuæ bonitati accepta referre. Eſt enim omnium victoriarum triumphis præſtabilius, ipſum victoriarum auctorem Deum agnoſcere, eique fideli ac ſincero animo ſeruire. Nobilitatem tuam, quamquam ſatis ſuâ ſponte ad omnia egregia opera incitatam, tamen ad teſtificandum noſtrum paternum erga ipſam animum hortamur, vt forti fidentique in Deum animo victoriam ipſam, Dei beneficio præeuntem, ſequatur; communibus hoſtibus ſpatium ſe colligendi non tribuat, ſuos in timore Dei Omnipotentis, atque erga eum obſequio, continere ſtudioſè conetur. Illud etiam Nobilitatem tuam rogamus, vt chariſſimum in CHRISTO Filium, Regem Chriſtianiſſimum, fratrem tuum, tuis fraternis adhortationibus incitare non deſinas, ad rebelles ſuos ſeueriſſimè puniendos: qui, quoniam publicam iſtius Regni tranquillitatem perturbauerunt, Religionem Catholicam, quantum in ipſis fuit, ſubuerterunt, templa incenderunt, Sacerdotes Omnipotentis Dei crudeliſſimè interfecerunt, aliaque innumera ſcelera commiſerunt; digni ſunt, qui his ſuppli-

ſuppliciis afficiantur, quæ legibus ſtatuta ſunt. Quòd ſi quis eorum, tuæ Nobilitatis interceſſione, apud Regem fratrem tuum, debitas ſibi pœnas effugere tentarit; debes pro tuâ in Deum pietate, diuiniq́ue honoris zelo, omnium pro illis rogantium preces repudiare, & æquè omnibus inexorabilem te præbere: ſi enim aliter faceres, & Deum offenderes, & malè tuæ Regisq́ue fratris tui ſaluti, Regniq́ue iſtius ſecuritati conſuleres. Hæc autem ſi feceris, ſperamus eum, qui Dominus eſt exercituum, maiorem indies hoſtibus ſuis tuisq́ue cladem allaturum; donec, profligatis eorum viribus, priſtina iſti Regno pax & ſecuritas virtute tuâ reſtituatur. quod aſſiduis precibus Deum precari non deſiſtimus: tibi autem, dilectiſſime Fili, benedictionem noſtram impartimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Aprilis, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XIV.

Eiuſdem argumenti.

Dilecto Filio noſtro Carolo, tituli S. Apollinaris Preſbytero Cardinali, à Lotharingiâ vocato, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Legato.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si quis eſt omnium Catholi-

corum Principumque virorum, quos Dei benignitate multos eſſe in iſto Regno compertum habemus, cui de tam opportunâ victoriâ gratulandum eſſe putemus; certè tu vnus ille es, cui nos præcipuâ quadam animi noſtri paterni ſignificatione gratulari velimus; non ſolùm ob eam cauſſam, quòd eâ præditus es ſingulari in Deum pietate, & Catholicæ Religionis ſtudio ita incenſus, vt nemo hoc nomine maiorem ex eâ re lætitiam accepiſſe videri poſſit; ſed etiam quia, adiuuante Deo, tuis ſapientiſſimis conſiliis, prudentiſſimisque monitis, magnâ ex parte factum eſſe intelligimus, vt tam proſpero rerum ſucceſſu in iſto Regno Reſpublica Chriſtiana vti potuerit. quarum nos rerum proſperè geſtarum cauſsâ, ſublatis illicò oculis ac manibus ad Omnipotentem Deum, omnium bonorum auctorem, ei pro tanto ſuo in nos beneficio humili corde gratias ſuppliciter egimus. Tibi tamen pro tuâ ſpectatiſſimâ prudentiâ minimè latêre exiſtimamus, nos aut nihil, aut certè parum, hac victoriâ momenti ad ipſam rerum ſummam conſecuturos eſſe; niſi tu primùm, dilecte Fili, & ceteri qui apud Regem gratiâ atque auctoritate plurimùm valent, in eam curam cogitationemque incumbant, hocque ipſum omni diligentiâ & ſtudio efficere conentur, vt in toto iſto Regno vna Religio Catholica ab omnibus, vno oris cordisque conſenſu, teneatur atque cuſtodiatur. Quam ad rem efficiendam nihil æquè valere

puta-

putamus, ac ſi communibus hoſtibus ſpatium ad ſe colligendum non detur; & illi, qui tantarum ſeditionum perturbationumque cauſſa fuerunt, ſeueriſſimè his quæ legibus ſtatuta ſunt ſuppliciis ac pœnis afficiantur. Vt enim ab eis Regni pacem tranquillitatemque perturbatam, Regemque ipſum toties inſidiis ac ferro petitum taceamus; Deus ipſe certè, cuius ſanctiſſima templa partim incenſa, partim diruta, partim profanata ſunt, cuius Sacerdotes crudeliter occiſi, cuius fides Catholica acriter oppugnata eſt, aliter placari non poteſt, niſi iuſtis ſceleratiſſimorum hominum illorum pœnis, qui hæc & alia multò atrociora facinora commiſerunt. Itaque circumſpectionem tuam debito noſtræ paternæ ſalutationis officio impartientes, magnoperè hortamur ac rogamus, vt chariſſimi nobis in CHRISTO Filij, Chriſtianiſſimi Regis, animum ad Dei Omnipotentis ſuosque hoſtes iuſtè vlciſcendos incitare ne deſiſtat; eique, id quod veriſſimum eſt, perſuadere conetur, Maieſtatem ſuam nullâ aliâ ratione Redemptori noſtro, legibuſque eius ſatisfacere, atque vtilitati iſtius Regni conſulere poſſe, quàm ſi omnibus his, qui pro ſceleratiſſimis hominibus rogare audebunt, ſe inexorabilem præbeat. Quæ quidem etſi putabamus circumſpectionem tuam, pro ſuo diuini honoris zelo, diligentiſſimè facturam eſſe; nos tamen, pro noſtrâ Paſtorali ſolicitudine, officio commiſſi nobis muneris

fungi volentes, ſcienteſque nobis de eo æterno illi Paſtori rationem reddendam eſſe, prætereire noluimus, quin de his, quæ tantoperè ad obſequium Dei pertinent, te paternè moneremus. In quo tamen compertum habemus, circumſpectionem tuam, eo ſubleuandæ Dei Omnipotentis cauſſæ, Religioniſque Catholicæ in iſto Regno conſtituendæ ſtudio, facturam eſſe; vt, quemadmodum hucuſque fecit, nullum neque paternis noſtris neque cuiuſquam hortationibus ac monitis locum relictura ſit. Omnipotens Deus tibi in hoc ſæculo, dilecte Fili, pro tot laboribus tuis quotidie gratiam ſuam magis augeat; teque & in futuro ad beatitudinis æternæ præmia peruenire concedat. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Aprilis, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XVI.

Eiuſdem argumenti.

Chariſſimo in CHRISTO Filio Carolo, Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſteaquam ex litteris Venerabilis Fratris Epiſcopi Caiacenſis, noſtri & Sedis Apoſtolicæ apud Maieſtatem tuam Nuntij, exploratiùs iam certiores facti fuimus de feliciſſimâ victoriâ, quam Omnipotenti Deo placuit, pro

ſuâ

ſuâ benignitate, nobis ac tibi, totique Catholico populo concedere; ſublatis manibus ad eumdem Deum, omnium bonorum auctorem, illi pro tanto ſuo in nos beneficio, toto corde gratias ſuppliciter egimus; qui non ſolùm magnitudine, ſed etiam opportunitate tantæ victoriæ, verè ſe miſericordiarum Patrem eſſe declarauit. Et quidem decebat Maieſtatem tuam, chariſſime Fili, quemadmodum feciſſe eam accipimus, tantum diuinæ bonitatis munus pio ac religioſo animo Redemptori noſtro totum acceptum referre, eique gratias quas retulit referre: in quo ſingularem Maieſtatis tuæ pietatem deuotionemque vehementer in Domino commendauimus. Et quoniam Dei perfecta ſunt opera, ſperamus eum, qui hucuſque ſalutis tuæ cuſtos fuit, cauſſamque ſuam aduerſus ſuos tuoſque hoſtes tueri dignatus eſt, tibi in poſterum quoque miſericorditer adfuturum; daturumque vires, quibus & priſtinam Regno iſti pacem & tranquillitatem reſtituas, illudque cum eâdem poteſtate atque ad eumdem modum poſſideas, quo ſuperiores clariſſimi Reges, maiores tui, poſſederunt. Hoc tamen pro comperto habeat Maieſtas tua, nullo alio id fieri poſſe, niſi ſi totum Regnum vnam eamdemque Catholicam Religionem vno animo vnâque mente teneat atque cuſtodiat. Quod vt adiuuante Deo ad effectum adduci poſſit, neceſſe eſt, Maieſtatem tuam in hoſtes Dei, rebelleſque ſuos, iuſtis pœnis iu-

ſtisque ſuppliciis, quæ legibus ſtatuta ſunt, ſeuerè animaduertere: non ob eam quidem cauſſam quòd tibi priuatim fuerint infenſi, tuamque potentiam & ſalutem oppugnauerint; ſed quòd publicam Regni tranquillitatem perturbauerint, Catholicam Religionem, quantum in eis fuit, ſubuerterint, templa ſanctiſſimo Dei cultui dicata incenderint, diruerint, profanauerint, Dei Omnipotentis Sacerdotes crudeliter interfecerint, innocentium ſanguinem effuderint, diuinæque Maieſtatis oculos, innumeris in Deum atque homines ſceleribus perpetratis, vehementiſſimè ac grauiſſimè offenderint. Nam ſi qualibet inductus cauſsâ (quod non putamus) ea de quibus Deus offenditur inſectari atque vlciſci diſtuleris, certè ad iraſcendum eius patientiam prouocabis: qui quò tecum egit benigniùs, eò debes acriùs illius iniurias vindicare. quâ in re, nullius preces admittere, nihil cuiuſquam ſanguini & propinquitati concedere, ſed omnibus, qui pro ſceleſtiſſimis hominibus rogare audent, inexorabilem te præbere oportet. Quam quidem ad rem, pro Paſtorali officio, paternoque amore noſtro, ita te hortamur; vt, quamquam hoc tuâ ſponte facturum eſſe confidamus, tamen Maieſtatem tuam, quamuis currentem, paternis noſtris vocibus duxerimus incitandam: cui debitum noſtræ ſalutationis officium perſoluentes, benedictionem noſtram amantiſſimè impartimur; eiq; ab Omnipotenti Deo & in hoc ſæculo

culo ſecuritatem & pacem, & in alio pro huius tam pij belli laboribus præmium æternæ remunerationis precamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Aprilis, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XVII.

Signa militaria de hæreticis acie victis capta, ex Galliâ ad ſe miſſa accipit; atque vt reliquos Dei Eccleſiæ hoſtes bello conterat, Ducem Andegauenſem hortatur. Vide lib. II. *cap.* VIII. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Henrico Duci Andegauenſi, Francorum Regis fratri.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Signa militaria de communibus hoſtibus, adiuuante Deo, capta, & à chariſſimo fratre tuo ad nos miſſa, eò quo debuimus grato paternoque animo accepimus. Cùm ſciremus virtute tuâ maiori ex parte parta fuiſſe, præterire non debuimus, quin Nobilitati quoque tuæ, eâ de re animi noſtri lætitiam paternè ſignificaremus. In eis mittendis fecit Rex frater tuus id quod Chriſtianiſſimo Rege dignum fuit, & à vetere chariſſimorum Regum maiorum ſuorum erga Deum pietate, Sedemque hanc Apoſtolicam deuotione, non diſceſſit. Cuius rei nomine Nobilitati tuæ etiam

gratias

gratias agimus, cuius poſt Deum Omnipotentem operâ factum eſt, vt hæc de Catholicæ Religionis hoſtibus ſpolia caperentur. Te verò, dilectiſſime in CHRISTO Fili, quod & aliis noſtris ad te litteris ſcripſimus, hortamur; vt, quantum per te fieri poterit, operam ſedulò des, ne Dei hoſtes, iſtius Regni rebelles, inulti abeant; ſed vt pro grauiſſimis eorum in Deum Regemque fratrem tuum ſceleribus admiſſis, meritis pœnis, his quæ legibus ſtatutæ ſunt, afficiantur. In quo illæ tuæ partes erunt, non ſolùm omnibus modis adiuuare, vt iuſtitiæ ac legibus locus ſit, nihilque in eâ re indulgentiâ peccetur, ſed etiam his, qui tibi pro ſceleſtiſſimis hominibus ſupplicare audebunt, inexorabilem te præbere. Nam ſi in tot tantiſque Dei Omnipotentis offenſis inultis omittendis, aliquid aut indulgendo, aut conniuendo vel negligendo peccaretur; periculum eſſet, ne, quemadmodum aduerſus Saulem, pro ſimili Amalecitarum iuſtâ animaduerſione ab eo omiſſâ, ſic aduerſus Chriſtianiſſimum Regem fratrem tuum, teque ipſum etiam, eò grauiùs ira Dei exardeſceret, quò benigniùs atque clementiùs ad hanc vſque diem cum vtriſque veſtrûm diuina ſua bonitas egiſſet: quos ex tot tantiſque periculis, impiorumque hominum nefariis coniurationibus, ereptos, ideò conſeruauit, vt eſſent qui ſuas iniurias iuſtè vlciſci poſſent. Regi autem Chriſtianiſſimo fratri tuo, eas quas potuimus peditum equitumque copias,

pias, auxilio miſimus: in eis mittendis nullas noſtras priuatas rationes propoſitas habentes, ſed tantummodò obſequium Dei, atque iſtius Regis conſeruationem ſpectantes. Dolemus certè ex animo, eum eſſe Eccleſiæ ſtatum, noſtrasque ita exiguas eſſe vires, vt, quantas vellemus mittere, non potuerimus; & tamen noſtras ſpes in Domino collocatas habemus, qui potens eſt, quantumuis exiguas copias, dexteræ ſuæ fortitudine potentiſſimas efficere. Omnipotens Deus Nobilitatem tuam ab omnibus inſidiis inimicorum ſuorum cuſtodiat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Aprilis, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XVIII.

Conſiliis ſuis de Christianâ diſciplinâ vbique reſtituendâ cum Legato communicatis, eum, vt id in Auenionenſi Venaiſinaque ditione, per idoneos miniſtros diligenter præſtet, hortatur. Vide lib. II. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filiò noſtro Carolo, tituli S. Chryſogoni Preſbytero Cardinali, Borbonio vocato, ciuitatis noſtræ Auenionenſis de latere Legato.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Facit ſingularis tua in Deum

 Omni-

Omnipotentem pietas, eximiusque & perſpectiſſimus nobis in te diuini honoris zelus, vt noſtras cogitationes, noſtraque conſilia, tecum libenter communicemus: præcipuè ea quæ ad obſequium Dei, ad Religionis Catholicæ priſtinam integritatem reuocandam ac conſeruandam, atque ad ipſius ſanctæ Eccleſiæ, cuius honorabile membrum es, dignitatem conſtituendam & retinendam, magnoperè pertinent. Quas quidem ad res, vt optamus, conſequendas, nihil iam inde à principio noſtri Pontificatus accommodatius efficaciusque eſſe iudicauimus, quàm ſi à nobis primùm, deinde etiam ab his, qui in huius ſolicitudinis partem à Deo vocati ſunt, quique aliâ quauis ratione hoc noſtrum ſtudium adiuuare poſſunt, diligentiſſimè opera daretur, vt vbique ferè corrupti populorum Chriſtianorum mores emendarentur; ac ſi qui apud eos abuſus irrepſiſſent, ſi quæ vitia, vt fit, diſſolutis hominum antiquis moribus confirmata eſſent, hæc omnia, quantum fieri poſſet, tollerentur ac corrigerentur. Quia verò omnem morum correctionem, quæ à nobis primùm, atque ab eis locis, quæ ad Eccleſiaſticam ditionem proximè pertinent, non incepiſſet, ſuſpectam ac mancam fore videbamus; propterea, quantum in tanto perturbati orbis Chriſtiani rerum negotiorumque concurſu nobis hucuſque licuit, ſedulò ſtuduimus, vt quæ diuinæ Maieſtatis oculos offendere videbantur, in hac vrbe primùm tollerentur:

tur: quam, quia nos, licet indigni, in eâ præſidemus, videbamus ceteris ciuitatibus religionis ſanctitatiſque ſpecimen atque exemplum dare oportere. deinde etiam aliis in locis atque oppidis, quæ noſtrâ Eccleſiaſticâ ditione continentur: inter ea Auenionenſis ciuitas, Comitatusque noſter Venaiſinus, quæque oppida in eâ Prouinciâ tuæ Legationis curæ commiſſa ſunt, quamuis magno locorum ſpatio à nobis diſiuncta, nobiſcum tamen, & cum Sede Apoſtolicâ eodem quo ceteræ ditiones noſtræ ciuitatis iure coniuncta, duabus de cauſſis præcipuè, nobis ante oculos obuerſantur. Primùm, quòd ea vrbs vndique multis hæreſum peſtiferarum periculis cincta, eò magis paternam noſtram tuamque curam, paſtoraleque auxilium implorare videtur, quò ab imminentium luporum inſidiis propiùs abeſt. Deinde, quòd ſi in eâ incorruptæ Religionis pietas conſtituatur, antiquorum morum integritas reſtituatur, veteriſque diſciplinæ ſanctitas reuocetur; perſpicimus, finitimis eam populis, viciniſque nationibus, quaſi exemplar quoddam, in quod intueantur, ad imitandum propoſitam fore: quodque B. Hieronymus de Ieroſolymâ vrbe ſcribit, eam idcircò à Deo in medio Gentium poſitam fuiſſe, vt omnes in circuitu nationes eius exemplum ſequerentur; hoc idem Auenionenſi ciuitati, adiuuante Deo, niſi per nos ſteterit, accidere poſſe. Itaque iam inde à noſtri Pontificatus initio ve-

hementer optauimus, vt quod animo iam & mente conceperamus, de corrigendis atque emendandis eius ciuitatis moribus, id nobis aliquando, Dei beneficio, re ipsâ conſequi liceret. Quod quia, ſeu temporum iniuriâ, ſiue aliis de cauſſis, ad hoc vſque tempus fieri non potuit, viſum nobis eſt, non eſſe ampliùs differendum; ne cui Regno terrenis temporalibusque armis præſidium ferre conamur, eius partem, ad noſtram ditionem pertinentem, ſpiritualibus remediis deſtitutam eſſe patiamur. Ad hoc opus, Omnipotenti Deo tam acceptum, eorumque populorum animabus tam ſalutare, efficiendum, intelligimus circumſpectionem tuam pro ſuâ pietate, & flagrantiſſimo iuuandæ Religionis ſtudio, nullis noſtris hortationibus indigere: vt enim cetera, quæ tibi Dei gratiâ abundè ſuppetunt, omittantur, Legationis officium, quod à nobis Sedeque Apoſtolicâ in eâ obtines ciuitate, idoneum eſſe videtur incitamentum: quo, ſi vllis modò ſtimulis indigeret virtus tua, ad hoc ipſum quod cupimus adiuuandum, incitari poſſes. Itaque ſicuti circumſpectionem tuam ad id, ad quod ſponte ſuâ ſatis incitata eſt, hortari noluimus; ita ei hunc animi noſtri ſenſum ſignificare, deque hoc noſtro conſilio certiorem facere voluimus. Cui etiam totum hoc emendationis correctioniſque morum negotium, tamquam noſtro & Sedis Apoſtolicæ de latere Legato, commiſiſſemus, niſi tuam operam in rebus iſtius

iſtius Regni gubernandis, multò nobis ac Reipublicæ Chriſtianæ vtiliorem eſſe perſpiceremus; neque te à conſiliis Chriſtianiſſimo Regi dandis, ſine magno rerum iſtius Regni detrimento, auocari poſſe intelligeremus: quantoperè enim præſentia, prudentia fidesque tua iſtic, tum ipſi Regi, tum nobis Sedique Apoſtolicæ, vtilis neceſſariaque ſit, non ignoramus. Itaque circumſpectionem tuam rogamus, vt eos quos oportet Legationis tuæ miniſtros, litteris moneas, vt his, quibus hæc à nobis cura commiſſa fuerit, omni ſtudio, ſinceræque erga ſanctam hanc Sedem deuotionis affectu, adſint; eosque omnibus viribus, fauore, auctoritate ac poteſtate iuuent. quod quidem tuum ipſorumque officium, præterquàm (quod caput eſt) Omnipotenti Deo acceptiſſimum erit, præthereà nobis gratiſſimum, populis verò ipſis vtiliſſimum eſt futurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Aprilis, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XIX.

Corſicam, poſt rebellionem, in Genuenſium poteſtatem rediiſſe lætatur; eiusque inſulæ populos, Chriſtianis legibus & diſciplinis in officio continendos, pieque moderandos eſſe oſtendit.

Dilectis Filiis, nobili viro, Duci & Gubernatoribus Reipublicæ Genuenſis.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Corſicam inſulam, quemadmodum per multos antè annos fuit, totam in veſtram redactam eſſe poteſtatem, Deumque Omnipotentem, pro ſuâ in genus humanum miſericordiâ, finem diuturno luctuoſoque bello impoſuiſſe, vehementer in Domino gauiſi ſumus, litteras veſtras VII. Aprilis die datas legentes; eâque de re, ſicut par fuit, Redemptori noſtro gratias egimus: qui, vt eos populos ob peccata eorum ac noſtra iuſtè affligere voluit, ſic eiſdem iam reſipiſcentibus, atque ad veterem imperij veſtri obedientiam reuertentibus, pacem ſuam miſericorditer negari noluit. Reſtat nunc, vt, quibus tamquam parum obedientibus filiis, ad veſtram clementiam ſic quaſi ad patrem confugientibus, Deus pro ſuâ benignitate vos placatos eſſe atque ignoſcere voluit; eos tamquam boni patres, non ſolùm (quemadmodum feciſtis) ſaluos & incolumes eſſe velitis; ſed etiam per idoneos homines, eâ quâ decet paternâ charitate, Dei in primis cultu, Religionis Catholicę ſtudio, Chriſtianiſq; moribus diligentiſſimè imbuendos curetis. Hoc facientes, non modò vobis apud homines gloriam & apud Omnipotentem Deum præmia mercedis acquiretis;

quiretis; ſed eis ipſis populis multò vobis obſequentioribus, veſtrûmque amantioribus ſtudioſioribusq́ue vtemini. Nam ſi timorem Domini per vos edocti, voluntatem illius eſſe didicerint, vt ſublimioribus poteſtatibus, quæ à Deo omnes ſunt, homines ſubiecti ſint; Principum ſuorum imperio fideliter ſibi parendum eſſe ſtatuent: cui qui reſiſtunt, eos ordinationi Dei reſiſtere intelligent. Si verò à peccatis abſtinere, ſectariq́ue iuſtitiam admoniti inceperint (quod vt faciant, non dubitamus vos pro veſtrâ parte curaturos eſſe) nulla vobis eorum ampliùs defectio, nullæ contra vos coniurationes erunt ab eis timendæ: qui enim iuſtitiam diligunt, hæc & eiuſmodi omnia odio habent. Date igitur operam, vt quò eius inſulæ populi, propter belli diuturnitatem, negligentiores ac remiſſiores in diuino cultu, atque à diuinorum præceptorum obſeruantiâ alieniores fuerunt, quoq́ue magis animarum ſuarum ſalutari pabulo caruerunt, eò diligentiùs ac ſtudioſiùs longi temporis iacturam aſſiduitate ac magnitudine veſtrorum in eos paternorum officiorum compenſetis. Quod quidem veſtrum ſtudium, pro Paſtorali ſolicitudine, proq́ue eius officij munere, quod nos, licet indignos, Deus Omnipotens ſuſcipere atque adminiſtrare voluit, ipſi quoque, quantum fieri poterit, adiuuabimus; Venerabilesq́ue Fratres noſtros, illius inſulæ Epiſcopos, diligenter ad ſui quemque gregis cuſtodiam,
in

in tempore hortabimur. Illud præterea vos, tamquam dilectos noſtros in CHRISTO Filios monemus, vt populos illos, tot belli calamitatibus afflictos, tot tantaque mala perpeſſos, magis beneuolentiâ beneficentiâque veſtrâ alliciendos, quàm vi aut armis in officio retinendos eſſe ſtatuatis. Nam præterquam quòd hæc regendi populos ratio re ipsâ tutior eſt atque firmior, præterea (quod caput eſt) Omnipotentis Dei præceptis magis congruit, quibus tanto ſtudioſiùs parêre debetis, quantò ille vos ad recuperandam eius inſulæ poſſeſſionem diuinâ ſuâ ope adiuuit; vt non ſolùm erga illos populos benefici, ſed etiam in Deum ipſum grati reperiamini. Quod non dubitabamus quidem, vos, pro veſtrâ pietate, ſponte veſtrâ eſſe acturos; ſed tamen admonitu noſtro idem diligentiùs, acriùs ac ſtudioſiùs facturos putauimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. Aprilis, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XX.

Ad Epiſcopalis curæ munera diligenter obeunda, Epiſcopum Adiacienſem cohortatur.

Venerabili Fratri Ioanni Epiſcopo Adiacienſi in Corſicâ.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Commiſſi nobis officij ſolicitudo,

tudo, diuiniq́ue honoris zelus, coëgit nos, hoc tempore, quo datâ à dilectis nobis Filiis, Duce & Gubernatoribus Reipublicæ Genuenſis, populis iſtius inſulæ pace, Omnipotentis Dei miſericordia diuturno luctuoſoque bello finem impoſuit; Fraternitatem tuam, & ceteros eiuſdem inſulæ Epiſcopos, Fratres noſtros, ſingulos ad officium ſuum Eccleſiæ propriæ præſtandum, ſuiq́ue gregis cuſtodiam, hortari atque excitare. id autem eò etiam ſtudioſiùs, tibi ceteriſq́ue Fratribus, Epiſcopis noſtris, faciendum eſſe iudicamus; quò, propter diuturni belli mala, & creuiſſe populorum iſtorum peccata, & eorum licentiam magis auctam, non dubitamus: vt apud quos, peccatis eorum ac noſtris id facientibus, tot animarum vulnera morbiq́ue inualuerunt, hi ſpiritualium medicorum Paſtorumq́ue propriorum curâ magnoperè indigere videantur. Hoc itaque conſiderans Fraternitas tua, officij ſibi à Deo commiſſi memor, omni ſtudio, curâ atque induſtriâ ad gregem fidei ſuæ creditum paſcendum inuigilet: corruptos deprauatosq́; Cleri ſui, ceterorumq́ue hominum, in ſuâ diœceſi mores, tum lenitate, tum ſeueritate, prout res ipſa poſtulare videbitur, adhibitâ, corrigere atque emendare conetur: Tridentini Concilij Decreta, quantum in ſe eſt, in vſum adducere curet: peccata publica, ſi qua fortè, vt fit, diſſolutis nimiâ licentiâ moribus corroborata ſunt, extirpare conetur. Illud præterea omnibus viribus ac diligentiâ

gentiâ eniti debes, vt inſtituendorum in tuâ diœceſi puerorum, atque etiam natu grandiorum, paternam bonoque Paſtore dignam, quàm maximam curam ſuſcipias. Ad eam rem vtiliſſimum erit, vt per eos quos oportet, quique idonei ſunt, doctrinam Chriſtianam edoceantur; Catechiſmus, vulgari ſermone editus, legendus illis proponatur; populus ipſe, ad audiendum Dei verbum, præcipuè diebus Feſtis, ad aliaque Chriſtianæ pietatis opera, hortationibus paternis incitetur. Hæc, & ſi quæ alia tibi, paſcendo gregi tuo, vtiliora videbuntur, ſedulò age, dieſque ac noctes meditare; ſciens æternum illum Iudicem, cuncta quæ egeris, quæque omiſeris, in illo vltimi Iudicij die diligentiſſimè ac ſubtiliſſimè requiſiturum; atque vnumquemque noſtrûm, non ex ſublimioris gradus prærogatiuâ, ſed ex operum meritis approbaturum. Obſecramus ergo te, Frater, & per viſcera Dei noſtri etiam atque etiam obteſtamur, vt, quoniam Paſtor conſtitutus es, Dominuſque ab his, quos Paſtores conſtituit, fructum multiplicati gregis expectat, de creditorum tibi populorum animabus ſolicitus ſis; hortationibus, monitis, prædicatione, futuri Iudicij terrore prætenſo, relictis peccatis, ad Deum conuerti ſuadeas: vt ad æterni Iudicis tribunal conſtitutus, ſuauiſſimam illam vocem audire merearis: Euge Paſtor bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Hæc pluribus Fraternitatem tuam hortati

ſumus,

ſumus, non voluntati aut ſtudio erga Eccleſiam ſibi creditam diffidentes; ſed paterni animi noſtri affectum, omniumque Eccleſiarum ſolicitudinem, quæ in nobis eſſe debet, teſtificantes. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IV. Maij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXI.

Ad mores piè conformandos, Eccleſiaſticamque diſciplinam ritè ordinandam, Epiſcopum Vaſonenſem adhortatur. Vide lib. II. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Venerabili Fratri Iacobo, Epiſcopo Vaſonenſi, Patriarchæ Alexandrino.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. De correctione atque emendatione morum ciuitatis Auenionenſis, Comitatuſque noſtri Venaiſini, ceterorumque oppidorum ac locorum, Legationis iſtius ditioni ſubiectorum, ſolicito animo cogitantes; vtile eſſe duximus, primùm dilectis in Chriſto Filiis, Carolo Cardinali Borbonio, ciuitatis noſtræ Auenionenſis de latere Legato, & Georgio Cardinali Armeniaco eius collegæ, pro nobis ac Sede Apoſtolicâ in eâdem ciuitate commoranti, conſilium noſtrum conſilijque ſimul rationem ſignificare: quod litteris noſtris, ad

vtrumque eorum accuratè admodum ſcriptis, proximè fecimus. Sed quia ad id quod cogitamus, permagni intereſt, vt eorum quibus hæc ſalutaris animarum medicina adhibenda eſt, animi eodem tempore præparentur, & ad eam rem, Venerabilium Fratrum noſtrorum iſtius Legationis Epiſcoporum operam valdè nobis vtilem atque accommodatam fore videbamus; idcircò ſingulos eorum hortandos excitandoſque eſſe exiſtimauimus, vt, ſi vmquam anteà, nunc maximè ad officium ſuum, Eccleſiæ propriæ præſtandum, incumbant. Quocircà Fraternitatem tuam neceſſe eſt memorem eſſe Paſtoralis curæ, ſibi à Deo commiſſæ, eiuſque quod de vniuerſali Eccleſiâ dictum eſt, Panem otioſa non comedit: hinc ſolicito animo in eam curam cogitationemque incumbere, vt cuius fructus Eccleſiæ percepit ac percipit, ei ſtudeat operam ac vigilantiam ſuam ſedulò impendere. Et quoniam tot tantarumque hæreſum peſtis in iſtâ prouinciâ, ſicut in aliis eâdem labe infectis, non aliam ob cauſſam magis inualuit, quàm ob corruptos ac deprauatos Clericorum laicorumque mores; idcircò quid in ſermone, quid in actione Epiſcopum deceat, diligenter attendens, vitamque tuam benè ſanctèque viuendi normam ceteris ad imitandum proponens, Clericos in primis, qui ſunt in tuâ diœceſi, officij ſui diligenter admone, eoſque ad piè, ſobriè caſteque viuendum hortare. Si qui verò ex illis ſunt,

qui

qui diſciplinam detrectantes, monitis tuis obtemperare recuſent, eos adhibitâ etiam animaduerſionis Canonicæ ſeueritate coërce; laicos & reliquum populum fidei tuæ creditum, frequentibus hortationibus, per te, perque idoneos verbi prædicatores, excitare ſtude: vt ad audiendum Dei verbum, præſertim Feſtis diebus, frequens conueniat: catechiſmum ei per religioſos Sacerdotes declarandum propone; Decreta ſanctæ Generalis Tridentinæ Synodi vt fideliter diligenterque ſeruentur, omni ſtudio conare. Hæc, & ſi quæ alia ſunt horum ſimilia, meditare, atque exequere; diem tuæ vocationis conſidera; quas rationes de Epiſcopatus onere Redemptori noſtro redditurus es, ſubtiliter perpende; de grege tibi credito, ſolicito animo ſemper eſto; ne quid, hæreticorum fraude, tibi de eo ſubtrahatur, vigila; & ſi ſubtractum fuerit, ad gregem Dominicum Paſtorali voce reuocare contende. Denique in commiſſæ tibi plebis curâ, nihil quod animarum ſaluti vtile fore putaueris, prætermitte: vt qui Paſtor paſtorum eſt, vigilaſſe te in gregis ſui cuſtodiâ, diuino ſuo Iudicio comprobare dignetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Maij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXII.

Nobilem Scotum Religionis cauſsâ ab hæreticis patriâ pulſum omni charitatis officio ſuſcipiendum commendat. Vide lib. III. *cap.* VIII. *&* IX. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio Petro de Monte, Magiſtro Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Commune humanitatis vinculum, & diuinæ legis præcepta nos admonent, vt omnibus nos quidem proximis noſtris debita charitatis officia libenter præſtemus; ſed multò magis his, qui propterea quòd à fide Catholicâ ad hæreticos Omnipotentis Dei hoſtes deficere noluerunt, patrimoniis ſuis ſpoliati, patriâ carentes, in multâ rerum neceſſariarum egeſtate conſtituti, voluntarium potiùs exilium perferre, quàm in patriâ crudeliſſimorum hæreticorum impiæ voluntati parêre voluerunt: tales enim homines verè ſunt hi, qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur. Ex horum numero vnus eſt, dilectus hic Filius Iacobus Scotus, qui tibi has noſtras litteras reddet, natus ex illuſtri & antiquâ admodum apud Scotorum gentem familiâ: de cuius viri pietate, orthodoxæ Religionis ſtudio, fortitudine in aduerſis rebus, conſtantiâ in fide Catholicâ, grauiſſimorum virorum fideque

fideq́ue digniſſimorum habemus teſtimonia; vt eis adducti, illum tibi his noſtris litteris accuratiſſimè commendandum eſſe duxerimus: deuotionem tuam hortantes in Domino, & quò maiore poſſumus animi noſtri ſtudio rogantes, vt hominem hunc, domi ſuæ nobiliſſimum, pium, Catholicum, domeſticorum perfidiâ è patriâ expulſum, patrimonio ſpoliatum,ad tuam fidem Religionemq́ue iſtam confugientem, benignè excipias, liberaliter tractes; tuiſq́ue officiis omnibus ſic complectaris, vt re ipſâ experiatur, noſtram illi apud te commendationem, quemadmodum æquum eſt, plurimùm profuiſſe. Illud autem in primis à te petimus, vt, cùm primùm aliquam in Regno Scotiæ præceptoriam vacare contigerit, eam illi potiſſimùm conferas: eâ enim eſt apud gentem ſuam nobilitate, vt, ſi hoc per te facultatum ſubſidio adiutus, apud ſuos commorari potuerit; ſperemus eum, adiuuante Deo, in eo Regno ad fidei Catholicæ veritatem, Sediſq́ue Apoſtolicæ obedientiam, reuocando, & in bonis iſtius Ordinis, ab hæreticis occupatis, recuperandis, non paruum rerum omnium momentum præſidiumq́ue eſſe allaturum. Quidquid autem in eo beneficij, quidquid auxilij contuleris; id erit nobis perinde gratum, ac ſi alicui ex noſtris neceſſariis atque affinibus contuliſſes. facies prætereà rem ſummoperè Deo gratam: qui enim fratrem ſuorum ſolatio deſtitutum recipit, afflictum erigit, mœrentem con-

ſolatur;

ſolatur; is dubitare nullo modo debet, quin eius ſibi gratiam conciliet, qui quod vni ex minimis ſuis factum ſit, tamquam ſibi factum, remuneraturum ſeſe pollicitus eſt. Hæc ideò pluribus ad te verbis ſcripſimus, non quia tuus erga viros fortes animus, voluntasque obſcura nobis aut ignota ſit; ſed vt hanc commendationem noſtram minimè vulgarem eſſe intelligeres. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Iunij, M. D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXIII.

Concilij Tridentini Decreta in Auenionenſi ditione obſeruari curat. Vide lib. II. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio Carolo Cardinali, Borbonio nuncupato, ciuitatis noſtræ Auenionenſis, noſtro & Sedis Apoſtolicæ de latere Legato.

Dilecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Allatum eſt ad nos, in Legatione iſtâ noſtrâ Auenionenſi, quæ tuæ fidei vigilantiæque regenda à nobis commiſſa eſt, ſacrum Generale Tridentinum Concilium, neque anteà obſeruatum eſſe, & hoc tempore minimè obſeruari: quâ de re, tum pro commiſſo nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officio, tum pro noſtro erga te amore, exiſtimatio-

ſtimationisque tuæ paternæ curâ ſoliciti, non potuimus non magnoperè commoueri. Quamuis autem nobis eximium tuum diuini honoris zelum recordantibus, prorſus incredibile videatur, te, in re Omnipotenti Deo tam acceptâ, tamque animarum ſaluti neceſſariâ, vllo modo negligentem fuiſſe; tamen noſtro ipſi Paſtoralis ſolicitudinis muneri deeſſe nolentes, circumſpectionem tuam, quo maiori poſſumus animi ſtudio, in Domino hortamur, vt, ſi ad hanc vſque diem Tridentini Concilij Decreta in iſtâ Legatione non obſeruantur, des operam, vt ea in poſterum fideliſſimè ac diligentiſſimè, quemadmodum æquum eſt, & officij tui ratio poſtulat, obſeruentur. Non modò tibi, cui Legationis iſtius gubernandæ munus præcipuè incumbit, ſed etiam nobis, qui iam inde à Pontificatus noſtri principio, omnes Chriſtianos Catholicosque Principes, omnes item Venerabiles Fratres Epiſcopos noſtros, accuratiſſimè per litteras ad id cohortati ſumus, turpe eſſet, ſi in locis ditioni noſtræ Eccleſiæ immediatè ſubiectis, Concilium non obſeruaretur: quod tantis laboribus, tanto Catholicorum omnium Principum conſenſu celebratum eſt, quodque nos ab omnibus obſeruari cuſtodirique iuſſimus. Proinde circumſpectio tua, ſi quid in hac re hucuſque aut negligentiâ ceſſatum, aut indulgentiâ peccatum eſt, corrigere feſtinet; ac ſi qui monitis tuis parere neglexerint, in eos ſine vllâ perſonarum exceptione

animaduertas. Denique quæ Concilium ipſum decreuit, ea ſic ad effectum perducere, atque etiam in vſum adducere ſtudeas, vt tuam in hac re, ſicut in ceteris quæ ad officium tuum pertinent, operam ac diligentiam, quemadmodum hucuſque fecimus, laudare debeamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Iunij, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXIV.

Ad rem Chriſtianam in Braſiliâ benè curandam, Petrum Epiſcopum adhortatur. *Vide lib.* III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Venerabili Fratri, Petro Epiſcopo ſancti Saluatoris in prouinciâ Braſiliâ.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi Fraternitatem tuam, in gubernando grege fidei ſuæ commiſſo, eam adhibere prudentiam ac vigilantiam exiſtimamus, vt ad explendas officij ſui partes, hortationibus admonitionibusque noſtris non indigeat: tamen, quia & Eccleſiarum omnium curam ac ſolicitudinem nobis ab Omnipotenti Deo commiſſam gerimus, & eos etiam qui in perfectæ virtutis ſtadio currunt, paternis noſtris vocibus adiuuari poſſe credimus; idcircò te, quem tanto marium terrarumque ſpatio diſiun-

diſiunctum Chriſtianæ charitatis vinculum & Paſtoralis officij ſocietas nobiſcum coniungit, paterno primùm debitæ ſalutationis officio proſequentes, ſtudiosè in Domino hortamur, vt Neophytorum, qui recenter ad fidem noſtram Catholicam, eorum cæcitatis miſerente Domino, conuerſi ſunt, paternam curam gerere velis: ſic vt eos, & boni prudentiſque Rectoris officio gubernatos, & fidelis ſapientiſque Doctoris diſciplinâ inſtitutos, ad cæleſtem patriam perducere poſſis. Illud quoque te curare volumus; vt, quantum in te eſt, gentem iſtam, & præcipuè eos, qui in fidem Chriſtianam adiuuante Domino recepti ſunt, à ferino victu atque cultu ad mitiores mores ciuilemque vitæ rationem reuocare contendas; eiſque perſuadere ſtudeas, vt, relictâ eâ, cui aſſueti eſſe dicuntur, corporis turpi nuditate, conuenientem Chriſtiano pudori, ciuilique cultui, veſtitum aſſumant. quod vt obtinere poſſis, nullum prætermittes eorum officiorum, quæ vel apud iſtius Prouinciæ Rectorem, vel apud alios quoſcumque vtilia fore iudicaueris. Et quoniam te Deus Omnipotens in illis regionibus animarum Paſtorem conſtituit, vnde multum afferre fructum poſſis; ideò diuini in hoc beneficij gratiam recognoſcens, in munere tibi commiſſo diligenter vigila, terreniſque negotiis relictis, congregandarum in æterna ouilia animarum cæleſti negotio incumbe. Sit in linguâ tuâ ſermo, qui quaſi gladius acutus vel

duriſſimos gentis iſtius ad Religionem Chriſtianam animos perrumpere poſſit. Sit charitatis ardor in animo, vt in eorum numero eſſe merearis, ſupra quos igneas conſediſſe linguas legimus: verè enim ſupra nos igneæ reſident linguæ, cùm aut in Fratribus noſtris, ab infidelitatis tenebris ad veritatis lucem traducendis, aut his qui traducti iam ſunt, magis magisque indies inſtruendis, & in fide Catholicâ retinendis, laborantes, diuini Spiritus ardore incendimur. Creditum tibi Dominicum agrum, dum licet, fortiter exerce: ſemen tuum, dum tempus eſt, ſemina; certò ſciens, te eorum quæ ſeminaueris fructum tempore ſuo eſſe percepturum: vt cùm operæ tuæ beneficio, peſtiferæ cæcitatis caligine depulsâ, vera iſtic fides ſerenitatis ſuæ radios aperuerit; illud te ante Redemptoris noſtri oculos cæleſte præmium expectet, quod omnibus bonis fidelibusque Paſtoribus in cælo repoſitum eſſe ſcimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Iulij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXV.

Chriſtianæ Religionis propagationem & cultum Gubernatori Braſiliæ commendat. Vide lib. III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto

Dilecto Filio, nobili viro, Fernandez de Vaſconcellos, prouinciæ Braſiliæ in partibus Indiarum pro Rege Portugalliæ Gubernatori.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Qui terrenis Regnis gubernandis, aut Prouinciis regendis, præpoſiti ſunt, tantò propenſiores eſſe debent, ad benè de Omnipotentis Dei cultu Religioneque Chriſtianâ merendum, quantò maiorem præ ceteris hominibus hoc faciendi facultatem à Deo acceperunt; vt bonorum operum fructu, non ſolùm eorum, quibus ſeruiunt, Principum gratiam promereri, ſed cæleſtis etiam Regni præmium accipere poſſint. Hanc benè de fide Catholicâ merendi voluntatem, quamuis Nobilitati tuæ, Deo adiuuante, minimè deeſſe arbitremur; ac propterea te ſponte tuâ, ad omnia quæ iuuandæ Religioni vtilia ſunt exequenda, paratum eſſe putemus: tamen, quia paternæ vocis hortatio bonis mentibus ſemper aliquid adijcere ſolet; omnes eos, qui nuper iſtic ad Chriſti fidem conuerſi ſunt, & cuncta, quæ ad fidem Chriſtianam ſiue propagandam ſiue retinendam, in iſtâ cui præes Prouinciâ pertinent, tibi vniuersè, eo quo maiore poſſumus animi noſtri ſtudio, diligenter agenda commendamus; hortantes Nobilitatem tuam, vt,

quotieſcumque opportunum iuuandæ Religionis tempus adfuerit, id quod pro Dei laude, animarumque ſalute, iſtis locis exequendum erit, exequi ne differat. Illud autem in primis efficere ſtude; vt homines iſtius Prouinciæ, ac præcipuè illi, qui, abdicato à ſe cæcitatis errore, Chriſtianam veritatem, Deo miſerante, cognouerunt, ferinum vitæ cultum deſerentes, ad manſuetiorem viuendi modum, ciuilemque morum rationem, quantum fieri poteſt, per te traducantur; vtque, relictâ corporis hominibus Chriſtianis indecorâ nuditate, conuenientem pudori Chriſtiano victum veſtitumque aſſumant. In quo non ſolùm, ſi quid huius rei cauſsâ agendum fuerit, ne id prætermittere velis hortamur; ſed etiam vt Venerabili Fratri noſtro, iſtius Prouinciæ Epiſcopo, auxilium tuum impertias, ad hoc & cetera omnia exequenda, quæ officio ſuo iſtic exercendo vtilia fore iudicauerit, vehementer rogamus: vt & ipſe in his rebus, quas pro animarum ſalute agendas ſuſceperit, paratum ſibi eſſe auxilium tuum, re ipsâ intelligat; & tu boni operis fructum, æternæ vitæ præmium à Redemptore noſtro merearis accipere. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Iulij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXVI.

Epiſcopi Verdunenſis virtutem commendans, Paſtoraliſque muneris ſui pondus oſtendens, eius piis ſe precibus apud Deum cupit ſubleuari, eiuſque iudicium in confirmatione collationis certæ Præbendæ comprobat.

Venerab. Fratri noſtro Epiſcopo Verdunenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Opinionem quam de tuâ erga Deum Omnipotentem ſingulari pietate, & in grege fidei tuæ credito cuſtodiendo vigilantiâ, non ſine cauſsâ iam pridem animo conceptam habemus, Epiſtola tua Kal. Iulij proximè ad nos ſcripta comprobauit. in quâ mentis tuæ altitudinem humilitas ſermonis declarat: quòd enim te nullius nominis & meriti hominem appellas, in eo illud Sapientis verum eſſe oſtendis (quod B. Gregorius Prædeceſſor noſter ad Epiſcopum non tui diſſimilem cùm ſcriberet, ipſe quoque vſurpauit) iuſtum videlicet priorem ſui eſſe accuſatorem. Quòd verò Pontificatum noſtrum laudatiſſimum atque integerrimum appellas, id ex eodem humilitatis tuæ fonte manauit. Nos enim de illorum numero eſſe non recuſamus, qui, dum alleuarentur, deiectos eſſe ſe cognouerunt; ſed tamen perturbatiſſimis Reipublicæ Chriſtianæ temporibus, in hac, cui indigni præſidemus,

demus, omnium Eccleſiarum Principe ac magiſtrâ Eccleſiâ gubernandâ, quantulamcumque fortitudinem noſtram ad Deum cuſtodire conamur, tuiſque & ceterorum Venerabilium Fratrum Epiſcoporum noſtrorum, tui præſertim ſimilium, orationibus adiuuari cupimus. Confirmationem verò eius collationis, quâ Eccleſiæ tuæ Præbendam dilecto Filio Magiſtro Ioanni, Doctori & Theologo Pariſienſi, te contuliſſe ſcribis, quam à nobis poſtulas, non ſolùm libenter concedimus, ſed etiam in eâ re iudicium tuum vehementer probamus: ſcimus enim bono viro non niſi bonum placere potuiſſe; confirmaturi ſemper, quidquid à Fraternitate tuâ factum erit: quam nihil non iuſtè & ſanctè facturam ſemper eſſe, pro comperto habemus. Omnipotens Deus te, chariſſime, pro nobis orantem cuſtodiat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XV. Iulij, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXVII.

Epiſcopum Egitanenſem, quòd Clericorum Seminarium in Eccleſiâ ſuâ nondum inſtituerit, obiurgat, ad idque primo quoque tempore inſtituendum hortatur.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Egitanenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eiuſmodi eſt Decretum, quod à ſacroſancto Tridentino Concilio de inſtituendis in vnaquaque Eccleſiâ Seminariis factum eſt, tantaque eius eſt tamque manifeſta vtilitas; vt Epiſcopi ipſi, ſi, quod eis à Concilio iuſſum eſt, ante Concilium ſponte ſuâ feciſſent, magnam ſibi ab hominibus laudem, & ab Omnipotenti Deo tam boni operis mercedem promeriti fuiſſent. Cùm verò idem Decretum, tanto poſteà, non ſolùm Principum Catholicorum, quorum Legati Concilio illi adfuerunt, ſed etiam Venerabilium Fratrum Coepiſcoporum noſtrorum, qui etiam interfuerunt, conſenſu factum ſit; tantò magis ei ab Epiſcopis obtemperandum eſt, quantò grauior culpa eſt, rebus à Generali Synodo iuſſis eos non obtemperauiſſe, quàm quæ nondum decreta ſunt, quamuis vtilia, omiſiſſe. Id, quò verius eſſe cognoſcimus, eò magis mirati ſumus, te ad hanc vſque diem, quemadmodum audiuimus, in Eccleſiâ tuâ Seminarium non inſtituiſſe. Quod ſi verum eſt; dolemus certè, eos à quibus obedientiæ exemplum ceteris tradi debuerat, tam ſegnes tamque negligentes ad obtemperandum tam ſalutari inſtituto fuiſſe. Itaque Fraternitatem tuam hortamur, eique diſtrictè etiam mandamus; vt memor officij ſui, eiuſque vtilitatis,

quæ inde ad Eccleſiam ſuam peruentura eſt, eius executionem Decreti longiùs ne differat, cui eam iam pridem obtemperauiſſe oportebat. Caue ne exigui cuiuſdam emolumenti cupiditas te impediat, quò minùs agas ea, quæ boni fideliſque Paſtoris opera ſunt: illud conſiderans, nos, quemadmodum nihil in hunc, in quem ſuſcepti ſumus, mundum intulimus, ita ex eo nihil eſſe exportaturos, præter ea ſola, quæ benè aut malè in vitâ noſtrâ geſſerimus. Cogita Eccleſiaſtica bona tibi non ad dominium tradita, ſed ad diſpenſationem eſſe commiſſa; tibiq́ue, ſicut & nobis, de illis rationem æterno illi Iudici reddendam eſſe; ante cuius oculos nihil abſconditum eſſe poteſt. Putamus nos quidem, fraternis te noſtris vocibus admonitum, præteriti temporis negligentiam, adhibitâ in inſtituendo tuæ Eccleſiæ Seminario celeritate, emendaturum: ſed ſi à te in eâ re ampliùs ceſſaretur, prætermittere pro officij noſtri ratione ea remedia non poſſemus, quæ tibi, ceteriſq́ue Fratribus Coepiſcopis noſtris in eâdem re negligentibus, fortaſſe diſplicerent; nobis tamen, quibus omnium Eccleſiarum ſolicitudo incumbit, magis neceſſaria eſſent, quàm iucunda. Id ne nobis neceſſe ſit facere, potes tu, Frater, obedientiæ celeritate prouidere: quod vt facias, te vehementer in Domino rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Iulij, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA XXVIII.

Cardinalem Borbonium, vt per fideles adminiſtros bellum contra hæreticos geri procuret, hortatur. Vide lib. II. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio noſtro Carolo Cardinali, Borbonio nuncupato, Auenionenſi, noſtro & Sedis Apoſtolicæ de latere Legato.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter alia multa curarum onera, quibus in hoc Apoſtolicæ ſeruitutis faſtigio conſtituti quotidie premimur, maximè nos ſolicitos habet, iſtius à Chriſtianiſſimo Rege pro Religione Catholicâ ſuſcepti aduerſus hæreticos belli cogitatio. quod quidem bellum ita adminiſtrari cupimus, vt quamprimùm ex Chriſtianiſſimi Regis noſtrâque ſententiâ confectum, eo quo optamus exitu concludatur. Ad hoc obtinendum maximo te adiumento eſſe poſſe intelligimus; neque vt id facias rogandum eſſe, pro comperto habemus. Nota eſt enim nobis tua in Deum Omnipotentem pietas, & Religionis Catholicæ ſtudium, & in Chriſtianiſſimum ipſum Regem fides, quam in tantâ temporum varietate eamdem ei ſemper præſtitiſti: ſed tamen cùm eiuſdem belli exitus maiore nunc quàm adhuc fuit in expectatione eſſe videatur, no-

ſtra quoque de eo ſolicitudo magis augetur, ſicut nullas officij noſtri partes à nobis prætermiſſas eſſe velimus. Quocircà, etſi eâ te prudentiâ præditum eſſe ſcimus, vt quæ cauenda ſunt optimè diſpicias; tamen animo ipſi noſtro ſatisfacere volentes, circumſpectionem tuam paternè monemus, & in Domino hortamur; vt, ſi ex his, quibus Rex Chriſtianiſſimus in adminiſtratione iſtius belli adiutoribus ac miniſtris vtitur, aliquos eſſe ſenſeris, qui ſuas priuatas rationes ſequentes, de Religionis Catholicæ cauſsâ adiuuandâ, Regisque Regnique incolumitate tuendâ, vnâ & mente & voce cum ceteris non conſentiant, eis, vt à tam prauo incepto deſiſtant, perſuadere coneris; reſiſtentes autem, & monitis tuis parêre recuſantes, pœnis etiam deterrendos cures. Vna eſt enim quæ omnibus rebus rectè adminiſtrandis maximè aduerſetur, miniſtrorum ipſorum inter ſe diſcordia: quæ ne rebus iſtius Regni perniciem afferre poſſit, tuæ in primis partes ſunt diligenter attendere, cuius conſiliis & belli adminiſtratio, & Regnum iſtud maximâ ex parte gubernatur. Quod honoris quoque tui cauſsâ facere debes: ad te enim iſtius Regni Religionisque Catholicæ conſeruatæ laus præcipuè eſt peruentura. Hoc idem etiam Omnipotenti Deo debes, cuius violatæ Religionis agitur cauſſa: hoc eius Eccleſiæ, cuius honorabile membrum es: hoc vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, cuius in vno iſtius belli exitu, proſpero

vel

vel aduerſo, ſalus vel exitium continetur. Quocircà dare te operam maximè conuenit, vt communi ſaluti, Deique Omnipotentis Religioni, ſummoperè periclitanti, concordibus omnium regiorum miniſtrorum animis ſubueniatur. Quod vt facias, noſtramque de rerum iſtarum proſpero ſucceſſu animo conceptam iam pridem ſpem, ne deſtitui patiaris, vehementer rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die primo Auguſti, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXIX.

Bellum in hæreticos per concordes fideleſque viros probè adminiſtrandum procurat.

Dilecto Filio noſtro Carolo, tituli S. Apollinaris Preſbytero Cardinali, à Lotharingiâ vocato, noſtro & Sedis Apoſtolicæ Legato.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantoperè cupiamus bellum iſtud, quod chariſſimus in CHRISTO Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, pro ſalute ſuâ & incolumitate Regni, & pro Religione Catholicâ, aduerſus hæreticos Regni ſui rebelles, non minùs piè pro Omnipotenti Deo, quàm pro ſe ſuiſque vtiliter ſuſceptum gerit, ſic adminiſtrari, vt aliquando, ad-

iuuante Deo, ex ſententiâ noſtrâ conficiatur; vel ex eo intelligere potuiſti, quòd, quantum vires noſtræ ſuffecerunt, nihil prætermiſimus earum rerum, quibus id faciliùs celeriuſque obtineri poſſit. hoc autem tempore, quo eiuſdem belli exitus maiore videtur eſſe in expectatione, ita animum noſtrum rerum iſtarum paterna cura ſolicitauit, vt nullas officij noſtri partes ſine magnâ culpâ videamur poſſe relinquere. Itaque etſi te, non minùs quàm nos, de rebus iſtius Regni ſolicitum, omnia & diligenter circumſpicere, & prudenter cauere, putabamus; tamen ipſi animo noſtro ſatisfacere volentes, circumſpectionem tuam vehementer in Domino hortandam eſſe præuidimus: vt, ſi qui fortè (quod abſit) ſint eorum, quibus in iſto bello adminiſtrando Rex Chriſtianiſſimus adiutoribus ac miniſtris vtitur, qui priuatas quaſcumque ob cauſſas, de Religionis Catholicæ defenſione, Regiſque ſalute cum eâ coniunctâ, vnâ & mente & voce cum ceteris benè de eiſdem rebus ſentientibus non conſentiant; his tu primùm quidem, ne à ceterorum ſententiâ diſcrepare, aut priuatas ſuas rationes publicæ vtilitati anteponere velint, perſuadere coneris: deinde reſiſtentes, & monitis tuis obtemperare recuſantes, coërcendos puniendoſque cures. nihil enim rebus iſtis benè atque vtiliter adminiſtrandis magis obeſſe poteſt, quàm miniſtrorum ipſorum inter ſe diſcordia; quæ rebus facilibus & expeditis moram & impedimentum,

tum, difficilibus atque impeditis, cuiuſmodi iſtæ ſunt, detrimentum ac perniciem afferre ſolet. In hoc ſungendo officio, nullius quàm tuas potiores eſſe partes videmus; cuius conſiliis & Rex ipſe Chriſtianiſſimus potiſſimùm nititur, & iſtius Regni res maximâ ex parte gubernantur. Debes hoc præterea Religionis Catholicæ cauſſæ, debes Eccleſiæ, debes nobis atque huic Sedi Apoſtolicæ, cuius honorabile membrum es: debes denique tibi; nemo eſt enim omnium, ad quem ſeruati iſtius Regni Religioniſque Catholicæ, maior quàm ad te, laus peruentura ſit. Vides præterea pro tuâ prudentiâ, iſtius belli exitu, vel proſpero vel aduerſo, non ſolùm iſtius Regni, ſed etiam totius Reipublicæ Chriſtianæ, ſalutem vel exitium contineri. Proinde dare te operam oportet, vt concordibus omnium Chriſtianiſſimi Regis miniſtrorum animis, ſaluti publicæ, Deique Omnipotentis honori, tantoperè periclitanti ſubueniatur. Quod te quidem neque anteà vmquam prætermiſiſſe, neque in poſterum prætermiſſurum eſſe, pro comperto habemus; ſed tamen circumſpectionem tuam rogamus, vt quam de rerum iſtarum proſpero ſucceſſu ſpem bonam concepimus, eam, quantum in ſe eſt, conſeruare atque etiam augere ne deſiſtat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die primo Auguſti, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA XXX.

Clericorum Seminarium ex Tridentini Concilij Decreto ritè inſtitui præcipit: idq́ue ad Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem, Eccleſiæ vtilitatem pertinere oſtendit.

Dilectis Filiis, Decano & Capitulo Eccleſiæ Elborenſis.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm Venerabilem Fratrem noſtrum, iſtius Eccleſiæ Archiepiſcopum, de inſtituendo in ſuâ Eccleſiâ Seminario, nuper per litteras noſtras hortaremur (quod quidem Seminarium, ex ſacri Tridentini Concilij Decreto, iam pridem inſtitutum eſſe oportebat;) faciendum eſſe exiſtimauimus, vt eodem tempore, vos quoque de tam vtili, tamq́ue Deo Omnipotenti accepto opere adiuuando moneremus. Scitis enim inſtituendorum Seminariorum eam eſſe rationem, vt, niſi qui in Capitulo Diœceſiq́ue ſunt, vnà cum Archiepiſcopo vel Epiſcopo ſuo eâ de re conſentiant, difficilis admodum ſit eorum inſtitutio: Epiſcopum autem eoſq́ue qui ſub illius regimine continentur, cùm ſemper conuenit beneuolentiâ ſe mutuâque charitate complecti, tum præcipuè de his quæ ad Eccleſiæ vtilitatem pertinent, decet eſſe concordes: vt communi conſenſu, quæ in rem Eccleſiæ ſunt, ſedulò prouidean-

uideantur; quæ autem nocitura ſunt, prudenter caueantur. Quid enim aliud eſt, vos neceſſariam ad inſtituendum Seminarium impenſam recuſare, quàm priuatim cupiditati veſtræ ſeruire, ipſius autem Eccleſiæ vtilitatis nullam rationem habere velle? Quòd ſi hoc vobis placet, placeat etiam nullam eſſe apud vos, qualem Tridentinum Concilium eſſe voluit, puerorum ſanctam religioſamq́ue inſtitutionem; placeat, veſtros Clericos, reliquoſq́ue Sacerdotes indoctos atque illiteratos eſſe: quod quantoperè Ordini Sacerdotali turpe ſit, neminem eſſe veſtrûm qui ignoret exiſtimamus. Itaque vos, pro officij nobis ab Omnipotenti Deo commiſſi ratione, monemus, hortamur, &, quatenus opus ſit, vobis mandamus, vt ad inſtituendum in Eccleſiâ iſtâ Seminarium, Archiepiſcopo veſtro opem auxiliumq́ue veſtrum præſtetis; detisq́ue operam, vt tam ſanctum tamq́ue vtile opus pro parte veſtrâ quamprimùm perficiatur. In quo ſi officio ipſi veſtro vobisq́ue ſatisfacere velitis, illud curare debebitis, vt præteriti temporis negligentiam executionis celeritate corrigatis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IX. Auguſti, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXI.

Catholicæ religionis ſtudium Epiſcopo Zagabriæ gratulatur; atque vt Paſtoralis curæ munera diligenter obeat, hortatur.

Venerab. Fratri, Georgio Epiſcopo Zagabriæ.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Chriſtianæ charitatis affectus, Paſtoraliſque ſeruitutis commune nobis cum Venerabilibus Fratribus & Epiſcopis noſtris vinculum, non ſinit nos expertes eſſe eius lætitiæ, quam de illorum virtute conceptam, animo percepimus. Itaque cùm de tuâ eximiâ in Deum Omnipotentem pietate, Religioniſque Catholicæ ſtudio, ac diuini honoris zelo, multa conſtanti plurimorum famâ ad nos allata eſſent; faciendum eſſe exiſtimauimus, vt non ſolùm quantoperè hæc nobis grata accidiſſent, tibi ſignificaremus, ſed tibi quoque de eis gratularemur. Vera autem gratulatio eſt, quam non præſentis temporis aut neceſſitas temporalis extorquet, aut terrena commendat vtilitas; ſed quæ de ſanctis boniſque operibus ſuſcepta, cæleſtis mercedis gloriam ſibi propoſitam habet. Quòd enim in gubernando cuſtodiendoque grege, fidei tuæ ab Omnipotenti Deo commiſſo, eam prudentiam vigilantiamque adhibes, vt bonorum operum tuorum fama,

ma, iſtis Pannonici Regni finibus non contenta, huc ad nos vſque perferatur, hoc gaudendum eſſe in Domino cognoſcimus. Itaque gratias agimus Redemptori noſtro, qui inter cetera pietatis ſuæ dona, ita Fraternitatem tuam Catholicæ Religionis amore incendit; vt quidquid ad eius conſeruationem propagationemque pertinere cognoſcit, id & diligenter & alacriter exequi non deſiſtat. Quamuis autem eum, qui, adiuuante Deo, ita ſit animatus, ſuperuacuum videatur eſſe magis hortari: tamen, quia te, inter ceteras tuas virtutes, fraternæ quoque hortationis verba libenter ſuſcipere exiſtimamus; idcircò hortamur, vt quam ingreſſus es ad cælum ferentem viam, ab eâ ne iter tuum deflectas, donec eò quò contendis peruenias. Sit Clero populoque tibi commiſſo, vitæ tuæ ſanctitas, regula atque norma, ad quam actiones moresque ſuos vterque ſtudeat conformare. Mali vitiorum pœnam, boni virtutum præmium, ſibi à te expectandum eſſe intelligant. Hæreticorum venena ne gregem tuum inficiant, quantâ potes diligentiâ contende. Quo minùs ea ſemper agas, quæ Deo beneplacita ſunt, nullius te hominis metus deterreat. Nemo mercedem tuam euacuet. A nobis autem omnia fraternæ charitatis indicia ſemper expectato. de quâ noſtrâ erga te propenſione, cum hoc dilecto Filio, Franciſco Dietaleuio, copioſiùs egimus; qui tibi has noſtras litteras reddet, cui fidem habebis. Datum Romæ

apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. Auguſti, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXII.

Nitriæ Epiſcopi in Paſtorali munere ſtrenuè obeundo diligentiam collaudat; ipſumque, ut in eo quod cœpit, ſedulò perſeueret, grauiter hortatur.

Venerabili Fratri, Paulo Nitriæ Epiſcopo.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Redemptori noſtro gratias agere debemus, quòd de tuo diuini honoris zelo, de tuâ in cuſtodiendo grege tibi credito vigilantiâ, ſingularique in Deum Omnipotentem pietate, magis magiſque indies ad nos perferuntur, quæ animum noſtrum multis curarum oneribus laborantem magnâ ex parte recreare valeant. Quâ in re verum eſſe illud experti ſumus, bonorum opinionem, quaſi vnguenti odorem, ad longinquos etiam populos manare: neque enim ſacerdotalis tuæ virtutis laus iſtis Pannonici Regni finibus contineri potuit; ſed ad remotiores populos, atque ad nos quoque peruenit: quos procul ab iſtis terris poſitos, non tamen à te, locorum longinquitas diſiunxit. Quòd verò in ipſo propè infidelium conſpectu poſitus, atque inter hæreticorum multiplices laqueos collocatus, Eccle-

ſiæ

ſiæ tuæ officium, quod debes, præſtas, gregemq́ue tuum, quantum potes, à luporum inſidiis cuſtodis, hoc perfectæ virtutis ſignum eſt: quamuis enim nullibi malos inueniri, ſed vbique bonos eſſe expetendum ſit; tamen boni ipſi, ſi ſine malis fuerint, perfectè boni eſſe non poſſunt: ipſa enim malorum admiſtio, quid aliud quàm purgatio bonorum eſt? Quocircà debitum tibi fraternæ noſtræ ſalutationis officium perſoluentes, Fraternitatemq́ue tuam debitis in Domino laudibus proſequentes, hortamur, vt eum, quem cœpit, pietatis curſum conſtanter teneat, & vſque ad perfectum diem creſcere non deſiſtat; vt, quamdiu Dei voluntate in hoc cæleſtis exilio patriæ detinetur, tamdiu bonorum operum agere merita non deſinat: ſic enim in remunerationis die, tantò inſignius erit gloriæ præmium, quantò hîc maius laboris ſtudium fuerit. Clerum populumq́ue tuum, quemadmodum in Dei timore viuere debeat, tuorum morum tuæq́ue vitæ in primis exemplum inſtituat. Totâ mentis contentione lucrum animarum Omnipotenti Deo facere feſtina. Malorum prauitatem compeſce, bonorum operum ſtudioſos confirma: incipientes hortationibus paterniſq́ue monitis excita. Denique, quod de vniuerſali Eccleſiâ dictum eſt, panem otioſus non comede. De nobis autem volumus, te omnia tibi fraternæ charitatis indicia polliceri, quemadmodum dilectus hic Filius Franciſcus Dietaleuius, qui tibi

has noſtras litteras reddet, copioſiùs explicabit, cui fidem habebis. Omnipotens Deus te, chariſſime Frater, pro nobis orantem cuſtodiat, & ad cæleſtia regna perducat. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. Auguſti, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXIII.

Sedulam Epiſcopi Agriæ operam in Paſtorali officio egregiè præſtando commendat; atque, vt benè cœpit, pietatis curſum teneat, animarumque ſibi commiſſarum ſaluti diligenter conſulat, hortatur.

Venerabili Fratri, Antonio Epiſcopo Agriæ.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inpulit nos ſingularis tua in Deum Omnipotentem pietas, & eximius Catholicæ fidei zelus, atque in cuſtodiendo grege tibi credito vigilantia, quæ multorum fide dignorum ſermonibus ad nos perferuntur, vt has ad te litteras, fraterni erga te amoris noſtri indices, dandas eſſe exiſtimaremus: quibus non modò hæc, quæ agis, gratiſſima nobis eſſe intelligeres, ſed etiam de tot tantiſque donis, in te à Redemptore noſtro collatis, tibi gratularemur. Magnum eſt Dei beneficium, ſi Epiſcopus quocumque loco poſitus, Eccleſiæ ſuæ, ad Dei gloriam, animarumque ſibi creditarum ſalutem,

lutem, præeſſe ſciuerit: qui verò in ipſo propè infidelium conſpectu, atque inter hæreticorum inſidias quaſi ſcorpiones locatus, Eccleſiam ſuam ita moderatur & regit, vt, quantum fieri poteſt, eam & à luporum fraudibus defendat, & bonorum operum exemplis doctrinâque ſalutari paſcere ſtudeat; hunc virum perfectâ quadam cæleſtique virtute præditum eſſe oportet. Quò magis te, quem & hæc & alia multa, quæ in rem Eccleſiæ tuæ ſunt, præſtare accepimus, magnis debitiſque in Domino laudibus proſequendum eſſe cognoſcimus, atque proſequimur; hortantes Fraternitatem tuam, vt, quod à Sapiente de iuſtorum ſemitâ dictum eſt, eam videlicet quaſi lucem ſplendentem procedere, id tu virtutis tuæ perſeuerantiâ comprobes, teque præſentibus non contentum meritis, ſemper ad vlteriora extendas. Sit vita tua Clero populoque fidei tuæ commiſſo, tamquam exemplar quoddam ſanctitatis, ad imitandum propoſita: te non minùs mali timeant, quàm boni diligant: alteri te manſuetum, alteri ſeuerum cognoſcant. Nullius te hominis aut metus aut auctoritas, ab eo quod bonum honeſtumque eſt, deterrere valeat. Eſto de animarum lucro ſolicitus: pietatem, hoſpitalitatem, miſericordiam ſectare: terrena mundanaque contemne, vt ad cæleſtia atque æterna peruenire merearis. De nobis autem fac iſta exiſtimes, nullum eſſe tam eximium noſtræ erga te fraternæ charitatis teſtimonium, quod

virtu-

virtuti iſti tuæ deberi non exiſtimemus; quemadmodum dilectus hic Filius, Franciſcus Dietaleuius, copioſiùs exponet, qui tibi has etiam litteras noſtras reddet: quem & libenter vidimus, & ea quæ nobiſcum locutus eſt, eâ quâ decuit benignitate cognouimus; eique fidem habebis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Auguſti, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXIV.

Palatino Siradiæ ad Catholicæ Religionis cultum conuerſionem gratulatur; atque vt in ſuſcepto veræ pietatis conſilio perſiſtat, & alios ab erroribus ad rectam ſalutis viam reuocare ſtudeat, hortatur. Vide lib. III. *cap.* XII. *& lib.* IV. *cap.* XIII. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Alberto Palatino Siradiæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores facti ex litteris dilecti Filij Vincentij Portici, noſtri & Sedis Apoſtolicæ apud Sereniſſimum Poloniæ Regem Nuntij, te, adiuuante Deo, relictis publiceq; abiuratis hæreticæ prauitatis erroribus, Catholicæ Fidei veritatem agnouiſſe, ab eodemq; Nuntio, vnitati fidelium, Sacramentiſque Eccleſiæ, reſtitutum eſſe; prætenire nullo modo potuimus, quin has ad te litteras noſtras daremus,

remus, quibus & tibi de tanto diuinæ miſericordiæ munere gratularemur, & noſtram eâ de re conceptam in Domino animi lætitiam ſignificaremus. Et quidem ſi verè in Domino gaudere lætarique volumus, iis maximè de rebus gaudendum lætandumque nobis eſſe, de quibus in cælo (in quo perfectum gaudium habitat) vel ipſius Redemptoris noſtri teſtimonio gaudere ſolent Angeli, compertum habemus. Quis enim aut fidelis Paſtor, inuentâ quæ perierat oue, amicis viciniſque ſuis conuocatis, non ſummoperè gaudeat; aut bonus Pater, redeunte domum filio, qui peregrè profectus erat, peccaſſeque ſe in cælum & coram eo confitente, adducto vitulo ſaginato ſplendidè & magnificè non epuletur, gaudiumque ſuum ſymphoniâ choriſque non teſtetur? Nec verò dubitare debes, dilecte Fili, Romanam hanc omnium Eccleſiarum Magiſtram Eccleſiam, cui nos indigni præſidemus, tuam & omnium Chriſti fidelium Matrem, tanto de tuâ ad ſe reuerſione gaudio exultare, quanto ob tuum à ſe olim diſceſſum mœrore affecta fuerat. Quocircà te, qui illi ac nobis tantæ auctor es lætitiæ, quibus ſatis dignis laudibus proſequamur, non facilè reperire poſſumus: non enim te ipſum ſolum animamque tuam ſaluam feciſti; ſed aliis quoque nobilibus illuſtribuſque in iſto Regno viris, quid faciendum ſit, exemplo tuo oſtendiſti. Quis enim, Alberto Laſchio, Siradiæ Palatino, viro non minùs nobilitate, quàm

virtute inſigni, omnibus animi corporisque bonis ornatiſſimo, publicè, vt par fuit, Dominum Redemptoremque noſtrum confitente, hæreticamque prauitatem deteſtante, id facere erubeſcat; quod ipſe fecit, qui tantam ſibi tamque inſolitam laudem ab omnibus Chriſti fidelibus eſt conſecutus? Quamuis autem pro certo habeamus, Omnipotentem Deum, quo adiuuante reſipuiſti, tibi in fidei Catholicæ confeſſione conſtanter perſeueranti, eâdem quâ cœpit miſericordiâ ſemper affuturum: tamen, vt ipſi noſtram de ſalute tuâ ſolicitudinem paternam tibi ſignificemus, & commiſſo nobis ab Omnipotenti Deo officio fungamur, te non ſolùm ad eamdem Catholicam fidem, quam nuper tantâ cum tuâ laude profeſſus es, firmiter retinendam, perpetuoque amplectendam hortamur; ſed ad alios quoque, qui ab eâ errauerunt, ad eam, quantum facere potes, verbis & bonorum operum exemplis reuocandos, excitamus: vt quam à Deo miſericordiam conſecutus es, eamdem proximis tuis in eodem, quo tu aliquando fuiſti, cæcitatis errore verſantibus, impendas. quod quidem te facturum eſſe non dubitauimus; ſed hac noſtrâ paternâ adhortatione, eius rei deſiderium noſtrum teſtificari voluimus. Omnipotens Deus te, dilecte Fili, cuſtodiat, tibique quotidie magis gratiam ſuam augeat. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX. Auguſti, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA XXXV.

Beneficiorum vacaturorum reſeruationes, & plura Beneficia cum animarum curâ obtinendi ac non reſidendi facultatem dari non licere. *Vide lib.* III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ Illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pluribus Maieſtatis tuæ litteris, quas non vnis neque diebus neque menſibus datas, eodem ferè tempore accepimus, rerum ipſarum potiùs quàm litterarum ſuarum ordine ſeruato, reſpondebimus. Et primùm, quod de Beneficiorum animarum curam non habentium reſeruatione dilecto Filio Simoni Præpoſito Miechouienſi concedendâ ad nos ſcribit; Maieſtati tuæ perſuaſum eſſe volumus, nos & noſtræ erga illam paternæ beneuolentiæ, & ſuæ maiorumque ſuorum inclytæ memoriæ Regum erga nos ſanctamque hanc Sedem obſeruantiæ, tantum tribuere, vt in Beneficiis quæ vacare contigerit conferendis, magnam ſemper ſuæ non ſolùm commendationis, ſed etiam voluntatis rationem ſimus habituri: Beneficiorum verò vacaturorum reſeruationes, toto Pontificatus noſtri tempore, neque cuiquam

conceſſimus, neque concedendas eſſe arbitramur; quòd eas, ſaluâ conſcientiâ, concedi non poſſe pro comperto habemus. Quod verò aliis litteris Maieſtas ſua à nobis petit, & quod ſemel de pluribus Beneficiis obtinendis, & de non reſidendo, à felic. record. Pio IV. Prædeceſſore noſtro, & à nobis ipſis, Gneſnenſi Prouinciæ, ad certum finitumq́ue tempus (quod præteriiſſe dicitur) indultum eſt, id vt iterùm prorogare atque indulgere velimus; hoc poſtulatum eiuſmodi eſt, vt in eo Maieſtati tuæ, ſaluâ conſcientiæ noſtræ ſecuritate, ſatisfacere nullo modo ampliùs poſſimus. Nam præterquam quòd his rebus, quæ temporis cauſsâ indulgentur, adhiberi modum æquum eſt; illud præterea nobis videndum eſt, ne quid contra animarum nobis ab Omnipotenti Deo commiſſarum ſalutem cuiuſquam rogatu indulgeamus. Quomodo enim animarum ſaluti à nobis conſulitur, ſi eos quos Deus Paſtores curatoresq́ue earum conſtituit, à proprij gregis cûrâ longè abeſſe non modò patimur, ſed etiam concedimus? nam plurium obtinendorum Beneficiorum facultatis concedendæ eadem ratio eſſe videtur, vt nec ſine animarum pernicie, nec ſine Eccleſiarum ſeruitutis detrimento, concedi poſſit: aut enim curam animarum habent, quæ, pluribus vni eidemq́ue homini Beneficiis mandandis, propterea negligitur, quia vnus pluribus rectè fideliterq́ue regendis Beneficiis par eſſe non poteſt; aut reſiden-

tiam

tiam ſeruitutemque expoſcunt, quæ pluribus adhiberi locis eodem tempore non poteſt. In Beneficiis autem ſimplicibus, quæ neque curam animarum gerunt, neque reſidentiam expoſcunt, Maieſtati tuæ ſatisfacere volumus: cui etiam de reuocando ſuo beneplacito circa Decanatum Plocenſis Eccleſiæ gratificamur, noſtramque ad Maieſtatis tuæ voluntatem, vt ſcribit, benignè accommodamus; ſperantes eum iuuenem, cui Maieſtas tua prædictum contulit Decanatum, adiuuante Deo, talem perpetuò fore, qualem eſſe ad nos ſcripſit. Sequitur nunc, vt Maieſtati tuæ de Æmilio Maluetio reſpondeamus; cuius nobis cauſſam, quam aduerſus Fucaros habet, diligentiſſimè commendauit. quæ quidem Maluetiorum familia apud nos quoque eo loco eâque exiſtimatione eſt, quâ eſſe debet, & quâ illam apud multos Principes eſſe ſcimus; cuius etiam nonnullorum operâ vſi ſumus, atque vtimur in his copiis, quas ad chariſſimum nobis in CHRISTO Filium Francorum Regem Chriſtianiſſimum auxilio miſimus, in bello, quod aduerſus hæreticos Regnique ſui rebelles gerit. Sed quod de ipſius Æmilij cauſsâ ſpeciatim ad nos ſcribit, pro certo habeat Maieſtas tua, nos, vt par eſt, iuſtitiam tantoperè ab Omnipotenti Deo his qui iudicant commendatam, ſic diligere, vt ea apud nos nullius egeat commendatione. Quod reliquum & extremum eſt, dilectum Filium Staniſlaum Canonicum Cracouienſem, quem

à ſecretis ſuis Maieſtas tua Neapolim ad res ſuas agendas miſit, cùm ad nos veniſſet, & libenter vidimus, & quæ nobis ſuo nomine retulit, eâ quâ decuit benignitate cognouimus; pro noſtro erga Maieſtatem tuam amore paterno daturi ſemper operam, vt quibus rebus cum Domino poterimus, Maieſtatis tuæ deſideriis ſemper ſatisfaciamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Septembris, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXVI.

Super pluribus Eccleſiaſticis Beneficiis obtinendis & reſidentiâ diſpenſare recuſat; & vt terrena deſpicientes, ad cæleſtia & æterna bona reſpiciant & aſpirent, Poloniæ Epiſcopos hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Venerabilibus Fratribus, Iacobo Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato nato, Regni Poloniæ Primati, & reliquis eiuſdem Regni Epiſcopis Lublini in Comitiis congregatis.

VEnerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Litteras veſtras XVI. Iunij Lublini datas accepimus; quibus à nobis poſtulauiſtis, vt cum Eccleſiarum veſtrarum Clero ſuper

pluribus

pluribus Beneficiis non obtinendis, & ſuper reſidentiâ (quæ duo nuper ſacroſancti generalis Tridentini Concilij Decretis ſancita ſunt) Apoſtolicâ auctoritate vel diſpenſare, vel eorumdem Decretorum executionem in longius tempus differre velimus. Quibus quidem veſtris poſtulatis, saluâ conſcientiâ noſtrâ, ſatisfacere non poſſumus, ob eas cauſſas, quas ad Sereniſſimum quoque Regem veſtrum ſcripſimus; qui eâdem de re diligentiſſimè nobiſcum per litteras egit. Earum autem cauſſarum ſumma hæc eſt, quòd & in his, quæ temporis cauſsâ ſemel ad certum finitumque tempus indulta ſunt, adhiberi modum decet, ne res in infinitum ſerpat: & nos pro commiſsâ nobis ab Omnipotenti Deo animarum omnium ſolicitudine, diligenter attendere debemus, ne quid contra earum ſalutem atque vtilitatem concedamus: cuius nos rei culpam certè non effugeremus, ſi hæc, quæ à nobis petitis, vobis concedenda eſſe iudicaremus. Quocircà Fraternitates veſtras vehementer in Domino hortamur, vt ſui officij memores, rerumque terrenarum curam remittentes, ad cæleſtia & æterna reſpiciant atque aſpirent. Conſiderate, hominibus Sacerdotibus, quorum vita ceteris ad benèviuendum tamquam exemplar quoddam propoſita eſſe debet, nihil minùs quàm rerum fragilium & caducarum cupiditatem conuenire. Si enim animus veſter ibi eſt vbi eſſe debet; non humana, neque ea quæ hîc apud nos ſunt,

ſunt, ſed cæleſtia, & quæ ſurſum ſunt, ſapere debetis. nam, ſi quæ vobis laborum præmia in cælis repoſita ſint, diligenter attendetis, omnia ea quæ in terris quæritis, præ illis vilia exiſtimabitis. Inardeſcat ergo animus veſter ad ea quærenda quæ verè bona ſunt: ne, dum bonorum vmbram ſectamini, ſolida & ſincera bona amittatis. Eſtote potiùs de veſtris animabus, quàm de terrenis commodis, Fratres, ſoliciti, & commiſſo fidei veſtræ gregi vigilantiam quam debetis impendite: cupiditati & ceteris occultis aduerſarij noſtri fraudibus & ſuggeſtionibus reſiſtite: Omnipotenti Deo populum, cui præeſtis, reſignate; vt commiſſum vobis Sacerdotale officium, ante Iudicis æterni conſpectum, non ad pœnam, ſed ad coronam proficiat. Hæc vobis ſcripſimus, non ſolùm animarum veſtrarum ſaluti pro commiſſo nobis munere prouidentes, ſed etiam nobis ipſis, Omnipotentis Dei iudicium pertimeſcentes; vt vno eodemque tempore, hoc noſtro erga vos fraterno officio, veſtræ noſtræque ſaluti, ſicut decet, conſuleremus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Septembr. M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVII.

Antonium Poſſeuinum Ieſuitam à calumniis vindicat.

Venerabili Fratri noſtro, Fabio Epiſcopo Calatino, noſtro & Sedis Apoſtolicæ in Galliâ apud Regem Chriſtianiſſimum Nuntio.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quidam peruerſitatis filij, ſuggerente diabolo Chriſtiani nominis hoſte, ſuperioribus diebus improbiſſimum rumorem Aueniōne fusè diſſipauerunt, Antonium Poſſeuinum Ieſuitam, ſermonibus, quos, dum hîc eſſet, variis de rebus ad Religionem pertinentibus nobiſcum habuiſſet, duo nobis perſuadere conatum fuiſſe: primum, vt in Auenionenſi ciuitate noua Inquiſitionis hæreticæ prauitatis ratio ad Hiſpaniæ modum introduceretur; alterum, vt Sodalitates illius ciuitatis, quas vocant Diſciplinantium, abolerentur. Tertium adiecerunt, eumdem nobis multos de hæreſi ſuſpectos indicaſſe. Quæ omnia falſa, & ad perniciosiſſimam hominum libidinem, ad excitandos tumultus conficta, non ſatis habuerunt Auenione in vulgus proferre, ſed & eadem per totam ferè Galliam, & aulam quoque Regiam, vt accepimus, ſparſerunt; hominemque pium, nec minùs vitæ ſanctitate quàm doctrinâ præſtantem, eò redegerunt,

vt aliquibus iſtius Regni ciuitatibus ſatis tutò ſe committere non poſſit. Quo quidem nos & hominis incommodo, & rei indignitate permoti, non ſolùm, vt quantum in nobis eſt, ab huiuſmodi illum infamiâ liberaremus, ſed etiam vt veritati teſtimonium pro noſtro Paſtorali officio perhiberemus, has ad te noſtras litteras dandas exiſtimauimus: quibus Fraternitati tuæ ſignificaremus, tantum abeſſe, vt prædictus Antonius Poſſeuinus quidquam earum rerum, quæ ſibi ab hominibus, vel hæreticis, vel inuidioſis, vel ſeditioſis, certè improbis, obijciuntur, nobis perſuadere conatus ſit; vt pro certo habeamus, illum de his rebus ne cogitaſſe quidem, nedum nobiſcum aliquid egiſſe. quod non ſolùm ad dilectum Filium noſtrum Georgium Cardinalem Armeniacum, Cardinalis Borbonij in Legatione Auenionenſi collegam, ſcripſimus; ſed etiam ad ipſos Auenionenſes Conſules, cùm eorum litteris, eâdem de re ad nos ſcriptis, reſponderemus, eoſque & ipſum Cardinalem ad inquirendos eiuſdem falſi rumoris auctores puniendoſque hortati ſumus. Hæc ad te ſcribere voluimus, vt, cùm à nobis id quod verum eſt didiciſſes, calumniatorum falſitatem tutiùs redarguere, hominemque pium, & in vineâ Domini diligenter pro ſuâ parte laborantem, ab inuidiâ falſi criminis vindicare noſtrarum litterarum teſtimonio poſſis. Quod te, quantum in te eſt, facere volumus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo

nulo Piſcatoris, die XI. Septembris, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXVIII.

Eccleſiæ Mediolanenſis iuriſdictionem, & Carolum Cardinalem Borromeum, eius Eccleſiæ Archiepiſcopum, defendit. *Vide lib.* III. *cap.* XIV. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Gabrieli à Cueua, Duci de Albuquerque, Status Mediolanenſis Gubernatori.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Grauiter, nec minùs quàm rei magnitudo poſtulat, affecti ſumus, ex eo quod de exitu controuerſiæ inter dilectum Filium Carolum Cardinalem Borromeum & Canonicos ſanctæ Mariæ à Scala, anteà quoque ad nos allatum, ex litteris Nobilitatis tuæ primâ die Septembris datis, etiam cognouimus, quibus de eâ re diligenter atque accuratè admodum ad nos ſcripſit. Id autem multas ob cauſſas; primùm quidem, quia Cardinalatus dignitatem, nobis atque huic Apoſtolicæ Sedi coniunctiſſimam, ab hominibus Eccleſiaſticis (qui eam ab aliis oppugnatam defendere ac reuereri debuerunt) contemptam dolemus. Deinde quia improborum hominum audacia (apud quos

hæ inter Eccleſiaſticos homines diſcordiæ, præcipuè adiunctis vtrimque excommunicationibus, valdè ſecundis auribus accipiuntur) ex huiuſmodi rerum euentu magis confirmatur, ſic vt ad maiora quotidie audenda eis animus addatur; præſertim ſi ſe ſummorum Principum vel gratiâ vel auctoritate tutos futuros eſſe ſperare poſſe videantur. Vt interim illud taceamus, nullum tam honorabili Eccleſiæ membro contemptus detrimentum inferri potuiſſe, quod non eodem tempore ad nos ſanctamque hanc Sedem redundaret. Oportebat quidem Canonicos, ſi quid pro Eccleſiæ ſuæ iure tuendo aduerſus Cardinalem iuris habeant, cum eo non vi aut armis, ſed aut iudicio, aut his quæ legibus conſtituta ſunt remediis experiri: neque enim vel proteſtandi, vel aliæ iuris viæ illis deeſſe poterant. Quod eò magis facere debuerunt, quia, vt accepimus, Cardinalis viſitandæ illius Eccleſiæ poſſeſſionem obtinet. Sed quoniam illi, Chriſtiani nominis aduerſario id ipſum ad perturbandam Ordinis Eccleſiaſtici concordiam ſuggerente, eò progreſſi ſunt, quò, ſalua eorum modeſtiâ, ipſiuſque Cardinalis dignitate, progredi non debebant; nos, pro commiſſo nobis ab Omnipotenti Deo officio, improbitatem hominum reprimere volentes, prætermittere ſine culpâ non poſſumus, quin eoſdem Canonicos, perinde ac meruiſſe videntur, iuſtâ correctione afficiendos curemus. quam quidem ad rem Nobilitatis tuæ auxilium,

lium, ſi opus fuerit, nobis defuturum non eſſe exiſtimamus; tantum abeſt, vt eam alienæ culpæ à debitâ pœnâ vindicandæ indulgere velle arbitremur. Quod autem ad ea pertinet, quæ inter Nobilitatem tuam, eumdemque Cardinalem, controuerſa ſunt, breuî Nuntium noſtrum iſtuc miſſuri ſumus, qui noſtram mentem, animique noſtri ſenſum copioſiùs ei exponat; quæque iſtius Prouinciæ regimini non minùs quàm Iuri Eccleſiaſtico tuendo vtilia ſunt, ad Nobilitatem tuam noſtro nomine deferat. Quod verò ad eam litterarum tuarum partem pertinet, in quâ Cardinalem quaſi pertinacem, & in conſiliis ſuis præcipitem videri Nobilitas tua vult: quamquam verbis tuis eam, quam par eſt, fidem habeamus; tamen cùm illius actiones atque conſilia eius temporis recordamur, quo, viuente felicis recordationis Pio IV. prædeceſſore noſtro auunculo eius, Reipublicæ Chriſtianæ atque Eccleſiæ negotia tractabat; nihil tale de illo nunc aut ipſi exiſtimare poſſumus, aut tunc ab aliis exiſtimatum eſſe intelleximus: ſi enim talis eſſet, fieri non potuiſſet, quin tam diuturni temporis ſpatio, quo rem Eccleſiaſticam gubernauit, aliquod eius naturæ ſpecimen dediſſet. Illud quidem nobis durum videtur, cùm Deus iſti ciuitati Paſtorem eâ quâ eſt morum integritate ſanctitateque præditum dederit, qui nihil aliud quàm animarum fidei ſuæ commiſſarum ſalutem quærit, qui vitia tollere, & mores deprauatos, quan-

tum in ſe eſt, corrigere conatur; ei tamen ab his qui ipſum diligere & magnificare debuerant, vitio illa dari, quæ tantum ab illo abſunt, quantum ipſe ab omni non modò viti[illegible], ſed vitij ſuſpicione abeſt. Sed profectò illud verum eſt, quod ipſa Veritas Apoſtoli voce docuit, his omnibus, qui piè ac ſanctè in Chriſto Domino noſtro viuere volunt, paratas eſſe perſecutiones: quarum tamen fructus dulcis eſt, & finis glorioſus, illis quidem, qui eas libenter pro eius nomine patiantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die X. Septembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XXXIX.

Eumdem Carolum Borromeum Cardinalem, Mediolanenſem Archiepiſcopum, in cauſſâ Eccleſiaſticæ iuriſdictionis defendit; Ducemque, vt Eccleſiam illæſam eſſe velit, hortatur. Vide lib. III. *cap.* XIV. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Gabrieli à Cueua, Duci de Albuquerque, in Statu Mediolani Locum-tenenti Regio.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, & ſalubriora in Domino conſilia. Ad ea, quæ duabus epiſtolis tuis die XXVIII. Septembris datis ad nos ſcripſiſti, ita reſpondebimus,

debimus, vt Apoſtolicæ vocis noſtræque perſonæ ſimul memores, poſthabitâ omni contentione, neceſſaria tantùm attingamus: reliqua enim in eiſdem epiſtolis eiuſmodi ſunt, vt non tam diligenter excutienda, quàm paternâ quadam diſſimulatione prætermittenda eſſe videantur. Nos enim quemadmodum Nobilitatem tuam verè & ex animo diligimus; ſic quæ ad eam ſcripturi ſumus, hæc non minùs pro animæ ſuæ ſalute, quàm pro veritate iuſtitiâque tuendâ ſcripta eſſe volumus, atque vt talia Nobilitati tuæ probari vehementer cupimus; Deumque Omnipotentem oramus, vt cordi tuo aperiat, quanto hæc ad te paternæ charitatis ardore ſcripſerimus. Et primùm quidem ab eâ parte litterarum tuarum, in quâ de ipſius Cardinalis moribus & inſtitutis tam multa ſcripſiſti, reſponſionis noſtræ initium ducentes, tibi verè conſtanterque affirmamus, nos, niſi illius vitam, mores, conſilia, conſiliorumque vias penitus cognitas haberemus, ex his quæ ſcribis, animo valdè ſuſpenſo atque incerto futuros fuiſſe: ſed quoniam quò illius cogitationes actioneſque omnes ſpectent, & quibus ad eas miniſtris adiutoribuſque vtatur, exploratiſſimum nobis eſt; in eam ſententiam venire cogimur, vt hæc omnia antiquo illo Chriſtiani nominis hoſte callidè moliente excitata eſſe exiſtimemus: cuius proprium eſt, concordiam oppugnare, coniuncta diſſociare, recta deprauare: qui cùm, te mutuâ cum Cardi-

Cardinali concordiâ coniuncto, quàm multa præclara egregiaque opera effici poſſent, iam inde ab initio proſpexiſſet; inueteratæ malitiæ ſuæ non oblitus, omnia turbare ac miſcere cœpit: tantò enim ille fraudis fallaciarumque vias ſubtiliùs exquirit, quantò Dei ſeruos cæleſti patriæ inhiare ardentiùs cognoſcit. ſic Iudæos ipſos inuidiâ inductos in Domini Redemptorisque noſtri athletas, per homines fallacibus inſidiis deceptos, ad multiplicia tormenta nefariasque neces adduxit. Sed quemadmodum omnes impios illos conatus admirabilis quædam diuini conſilij ſapientia in ipſius conſultoris caput vertit, ſuoque eum gladio iugulauit; ſic cauere te oportet, qui inter homines viuis, ne per homines à callidiſſimo hoſte tenteris, néve, quod Regiæ iuriſdictionis tuendæ cauſsâ rectè te facere nunc exiſtimas, id occulto quodam diuinæ prouidentiæ conſilio in eius potiùs exitium redundet. De cauſsâ autem contra Canonicos Scalenſes inſtituendâ & cognoſcendâ, quod à nobis tantoperè contendis, dolemus rem eſſe huiuſmodi, in quâ neque precibus, neque poſtulatis tuis, ſaluâ Sedis Apoſtolicæ vetere conſuetudine, morem gerere poſſimus: apud quam vt cauſſæ maiores cognoſcerentur, ſemper obſeruatum eſt; maior autem cauſſa eſſe non poteſt quàm illa, in quâ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis res agitur: quo Ordine nullus nobis & Sedi Apoſtolicæ coniunctior eſſe ab omnibus intelligitur. Nam quòd dilectus Filius

lius chariſſimi in CHRISTO Filij Regis Catholici apud nos Orator nobis litteras Apoſtolicas ſub plumbo obiecit, quibus à felicis recordationis Leone X. prædeceſſore noſtro decretum eſſe vult, ne iſtius Mediolanenſis Prouinciæ cauſſæ extra iſtam ditionem cognoſcantur; id tametſi, vt ille dicit, omnino ita eſſet, tamen cùm rerum à Pontificibus prædeceſſoribus noſtris pro temporum varietate conceſſarum moderatio ad nos pertineat; nihil nouum aut iniquum faceremus, ſi eiſdem conceſſionibus (rerum præſentium conditione ita poſtulante) derogaremus. ſed nullâ tamen derogatione in hac cauſsâ opus eſt; eiſdem enim Apoſtolicis litteris, non ſolùm Cardinalium cauſſa, qualis hæc eſt, ſed etiam beneficiales liquidiſſimè excipiuntur. Quòd verò eiſdem litteris Nobilitas tua minatur, ſe iuriſdictionis Regiæ tuendæ cauſsâ, Cardinalem ipſum non modò è ciuitate, ſed etiam ex iſtâ Mediolanenſi ditione eſſe eiecturam: quamquam ad hoc ipſum quid iuſtè & pro æquitate reſpondeamus, nobis deeſſe non poſſit; tamen, ceteris omiſſis, pro noſtrâ paternâ in te beneuolentiâ illud te tantummodò monemus, vt etiam atque etiam videas quid agas, néve ſciens ac prudens eò progrediaris, vnde tibi poſteà nullus aut difficilis admodum reditus pateat. Caue ne, quod tuendæ Regiæ iuriſdictionis cauſsâ tibi faciendum putas, cuius nomen tantoperè amplecteris, id tibi in contrarium cadat, quemadmodum

aliis multis cecidit. Illud etiam conſidera, ne tibi idem accidat, quod non ita multis anteà annis alteri contigiſſe vidimus: qui cùm eiuſmodi iſtius ciuitatis Archiepiſcopum factum eieciſſet, in cenſuras Eccleſiaſticas incidit: cui non multò pòſt, Oratore ad felicis recordationis Paulum IV. prædeceſſorem noſtrum miſſo, cùm in itinere eſſet, eiuſdem Pontificis verbis denuntiatum eſt, ne Romam veniret; ſi veniſſet, eum capi atque in carcerem conijci iuſſurum: cumq́ue is poſteà, ſuffragante quodam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, placato Pontifice, vnà cum abſolutione ad Vrbem veniendi, legationeq́ue ſuâ fungendi, poteſtatem accepiſſet; antequam aut de impetratâ veniâ certior fieri, aut Pontificis conſpectum intueri poſſet, mortem occubuit; diuinâ nimirum hac prouidentiâ operante, vt tali exemplo ceteros ab huiuſmodi rebus audendis deterreret. Nam ipſi quidem Cardinali nihil glorioſius accidere poteſt, exilio ob Eccleſiæ ſuæ libertatem iuraq́ue tuenda per vim irrogato: cui ſi etiam pro eâdem cauſsâ ſanguinem fundere contingeret, præclarè ſecum Deum Omnipotentem egiſſe exiſtimaturus eſt. Tuâ verò intereſt, ne per indignationem aliquam rem eò deducas, vt quod Cardinali à te paſſum eſſe ſalutare & glorioſum apud Deum Omnipotentem Rempublicamq́ue Chriſtianam futurum eſt, id te in eum feciſſe tibi apud Deum atque homines pernicioſum turpeq́ue ſit; quippe quod in annali-

annalibus iſtius ciuitatis ad perpetuam tui nominis ignominiam mandabitur. Hæc non minùs pro amore in te noſtro, quàm pro commiſſo nobis ab Omnipotenti Deo Paſtorali officio, tibi ſcribenda eſſe iudicauimus. Speramus autem Nobilitatem tuam in hac ipsâ re, & in ceteris quæ ad Eccleſiaſticam libertatem dignitatemque augendam & conſeruandam pertinent, id eſſe facturam, quod eximiæ ſuæ pietati Religioniſque Catholicæ zelo conſentaneum fuerit. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Octobris, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XL.

Patriarcham Antiochenum Epiſcopalis curæ onus deponere cogitantem à conſilio reuocat, ad illudque ſtrenuè ſuſtinendum hortatur.

Ven. Fratri, Ioanni Patriarchæ Antiocheno.

LItteras tuas XVI. Kalend. Auguſti ſcriptas accepimus; ex quibus conſilium tuum de onere Epiſcopalis curæ deponendo cognouimus. Quâ in re conceptum à te ipſo quidem ob præſentium temporum calamitates, Epiſcoporumque ignauiam, animi dolorem, vtpote à diuini honoris zelo profectum, & amauimus vehementer, & in Domino commendauimus. Eſt enim Apoſtolicæ ſolicitudinis

ſignum haud obſcurum, ſi quis pro parte ſuâ populorum peccatis ingemiſcit, ſi Præpoſitorum deſidiam dolet, ſi denique ſcandalis, quæ vbique cernit, vritur; conſilium tamen tuum probare nullo modo potuimus, quia omnibus in eâ vocatione manendum eſſe ab Apoſtolo didicimus, in quâ vocati ſunt. Te verò ad Epiſcopatum, Deo vocante, contra voluntatem etiam tuam perueniſſe, & tu ipſe in tuis litteris fateris, & nos pro comperto habemus: cuius onere depoſito, vide ne non tam illud depoſuiſſe quàm abieciſſe, neque tam Eccleſiæ tuæ conſuluiſſe quàm officium tuum prodidiſſe, munuſque ab Omnipotenti Deo tibi aſſignatum deſerüiſſe videaris: præſertim cùm cauſſæ, quas ipſe tui conſilij affers, non ad recedendum, ſed ad permanendum in eâ, in quâ à Deo poſitus es Eccleſiæ tuæ cuſtodiâ, potiùs te impellere debeant. Quid enim? ſi multa impedimenta Epiſcopali muneri rectè adminiſtrando obijciuntur, idcircóne deficere animo ac viribus, an non potiùs fortiter reſiſtere debes? Sed fac non impedimenta ſolùm & moras ad benè agendum afferri, ſed etiam terrorem, minas, mortem denique intentari; illicóne tamquam miles ignauus armis abiectis ſtationem tibi creditam deſeres? quin potiùs ſacerdotali vigore aſſumpto, ſtare in fortitudine, poteſtatibus mundi ex aduerſo aſcendere, & pro domo Domini murum opponere debes, ne viuus, hoc eſt ſciens, in infernum deſcendas. Illud

etiam

etiam Frater conſidera, cuiuſlibet eſſe hominis ad nauis gubernacula ſedentis, tranquillo mari, ſecundis flatibus curſum dirigere: efferueſcentibus autem vndis, aduerſantibusque ventis, ſic clauum moderari, vt curſum teneas, & in portum venias, id verò ſpecimen eſt ſpectatæ virtutis. Quòd ſi in iſto cui præpoſitus es munere adminiſtrando, aut parum tibi proficere, aut non tantum quantum velles gregi tibi credito prodeſſe videris; noli ob eam cauſſam diutiùs triſtari, neque id, quod te feciſſe decet, prætermittere. noſtrum enim eſt currere; diuinæ autem poteſtatis eſt, nos, vbi ei placuerit, ad victoriæ palmam perducere: etſi enim agri Dominici cultores ſumus, tamen neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Nam quod ad alterã Epiſtolæ tuæ partem attinet, in quâ ad hoc, quo fungeris, munus obeundum te ineptum infirmumque eſſe ſcribis, primùm hæc tua prædicatio magnum virtutis iuſtitiæque tuæ ſignum eſt: iuſtus enim in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Deinde, vt hoc tibi concedamus, non idcircò tamen ſequitur, vt tuum de Epiſcopatu deponendo conſilium probare debeamus. Quamuis enim tu infirmus, Deus tamen, qui te ad illud munus vocauit, omnipotens eſt: in eo ſperare fiduciamque tuam reponere debes: qui enim Abraham contra ſpem filium dedit, is potens eſt tibi pro iſtâ Eccleſiâ laboranti ſpiritualium frugum incrementa

donare, & earumdem vberrimos fructus multiplicare. Quocircà Fraternitatem tuam, vt bono fidentique in Deum animo ſit, fraternè monemus; eamque ad ſui gregis curam, ad Cleri populique ſibi commiſſi deprauatos mores corrigendos, ad tollendos abuſus, ad veterem piè ſanctéque viuendi diſciplinam reuocandam hortamur. Ob hæc autem ſi quid aut aduerſi pateris, aut hominum vel gratiâ impediris vel terrore turbaris; hæc omnia patienter & æquo animo tibi ſuſtinenda eſſe ſcito: qui enim cordis tui inſpector eſt Deus, laborum tuorum iuſtam tibi mercedem reddet. A nobis autem omnia, ad exequendum iſtud tibi ab Omnipotenti Deo iniunctum munus, paternæ noſtræ beneuolentiæ, poteſtatisque à Domino nobis conceſſæ auxilia ſemper expectato. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXI. Septembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLI.

Regem Chriſtianiſſimum, quòd Gaſparem Colignium, hæreticorum ducem, omnibus, quos vſurpabat, honoribus ac titulis ſpoliatum condemnauerit, aliumque in eius locum, virum Catholicum, Regni Admiralium conſtituerit, valdè commendat; atque vt reliquos hæreticos à Galliâ profliget aut tollat, hortatur.

Chariſſi-

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In hoc graui periculoſoque bello, quod Maieſtas tua aduerſus nefarios Catholicæ Religionis hoſtes Regnique ſui rebelles non minùs piè ab initio ſuſcepit, quàm conſtanter poſteà geſſit, tam diuque gerit, multa & egregia eximiæ ſuæ in Deum Omnipotentem pietatis & fidei Catholicæ ſtudij ſigna oſtendit; pro quibus & anteà Redemptori noſtro gratias ſemper egimus, & nunc quoque agere non deſiſtimus: ſed tamen, inter tot præclara ſuæ bonitatis deuotionisque indicia, illud certè minimum non obtinet locum, quòd execrandum illum ac deteſtabilem hominem, ſi modò homo appellandus eſt, qui ſe pro iſtius Regni Admirante gerit, diabolicæ fraudis miniſtrum, hæreticorum omnium ducem & ſigniferum, diſſenſionis inteſtinique belli concitatorem, iuſtiſſimâ Concilij Pariſienſis ſententiâ publicè condemnandum, honoribus omnibus ſpoliandum, debitisque ei iam diu ignominiæ inſignibus notandum afficiendumque curauit; in eiusque locum virum maximè Catholicum, multisque, vt audiuimus, virtutibus inſignem ſuffecit. Quo quidem facto non ſolùm (quod omnium rerum caput

put eſt) diuinam gloriam , quemadmodum decuit,
omnibus rebus prætuliſti , acerrimumq́ue Catholi-
cæ Religionis hoſtem inſectando, Deum ipſum co-
ram toto Chriſtiano orbe confeſſus es; ſed etiam ce-
teris Catholicis Principibus ad idem contra ſui quo-
que Regni hæreticos exemplo tuo audendum au-
ctor fuiſti : bonis & veræ Religionis ſtudioſis ani-
mos addidiſti ; improbis & hæreticis dolorem ſimul
& timorem incuſſiſti : omnibus denique hominibus
oſtendiſti apertè, te, vt par eſt, in Dei cauſſam de-
ſcendiſſe. Quæ res, quoniam & Redemptoris noſtri
gloriam primùm quærimus, & Maieſtatem tuam
ex animo diligimus, eiuſq́ue laudibus vehementer
fauemus, nobis adeò grata accidit, vt huius rei te-
ſtes has ad te noſtras litteras dandas eſſe exiſtimaue-
rimus : quibus tam egregium factum debitis in Do-
mino laudibus proſequentes, Maieſtatem tuam,
quamuis ſuâ ſponte ad omnia præclara opera ſatis
incitatam, ad teſtificandam tamen noſtram erga il-
lam paternam beneuolentiam, hortamur, vt quo ani-
mo contra nefarios hæreticos Catholicam Religio-
nem in ſuo Regno defendendam ſuſcepit, eodem
aduerſus eoſdem pium iuſtiſſimumq́ue bellum ge-
rere perſeueret : cuius quidem belli ab Omnipoten-
tis Dei miſericordiâ celerem glorioſamq́ue Maieſta-
ti tuæ victoriam precamur. Datum Romæ apud
S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Octobris,
M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTO-

EPISTOLA XLII.

Hæreſes, & iræ diuinæ flagella vnde maximè prouocentur, oſtendit. Clericos, vt vitam quiſque ſuam ad priſtinam morum ſanctitatem reuocent, diuinorumque Sacramentorum vſum piè frequentent, ac bono exemplo ſint, hortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo & Canonicis Eccleſiæ Valentinæ in Galliâ.

Dilecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Reipublicæ Chriſtianæ miſerias multiplicesque calamitates, tot prauiſſimarum hæreſum ſchiſmata, tot populorum aduerſus proprios Principes bella, fames, peſtilentias, & cetera diuinæ iræ flagella, vbique in populum Chriſtianum intenta cernentes; in eam mentem ſententiamque venire cogimur, vt hæc omnia mala non ſolùm propter populi Chriſtiani, ſed multò etiam magis propter Clericorum & Eccleſiaſticorum hominum peccata, nobis meritò euenire exiſtimemus. Scriptum eſt enim: Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Atque vtinam, quemadmodum vbique peccatis creſcentibus, & abundante

 malitiâ,

malitiâ, perſpicuum eſt legem Domini derelictam, eius mandata minimè fuiſſe cuſtodita; ſic ijdem illi qui peccauerunt aliquando reſipiſcant, ſeque toto corde ad Deum conuertant, peccatorumque pœnitentiam agant: ne, quod grauiſſimum eſt, in flagellis poſiti, flagellis digna committere perſeuerent. Nos certè, qui ad hoc Apoſtolicæ ſeruitutis opus, quamuis imparibus viribus, ſubeundum à Deo vocati ſumus, nullum pro Paſtorali noſtrâ ſolicitudine prætermittere officium debemus, quod Clericos, qui vbique Eccleſiarum ſunt, ad veterem viuendi regulam priſtinamque morum ſanctitatem reuocare, diuinarumque rerum ſtudio atque amore inflammare poſſe videatur. Quia verò inter cetera Chriſtianæ pietatis incitamenta Sacramentorum frequentiam, quæ quibuſcumque Eccleſiaſticis hominibus à ſacro generali Tridentino Concilio tantoperè commendatur, parum adhuc quidem apud iſtam Eccleſiam vſitatam eſſe accepimus; idcircò eiuſdem ſacri Tridentini Concilij Decretis inhærentes, ſimplices Clericos atque inferiorum Ordinum gradibus initiatos hortamur, vt ſingulis menſibus ſemel ſaltem confeſſori ab eorum Ordinario approbato peccata ſua confiteantur, & communionem laicalem eâ, quæ tantum decet Sacramentum, reuerentiâ ſuſcipiant. Quod idem vt bis ſingulis menſibus faciant, Diaconos & Subdiaconos hortandos, paternisque noſtris vocibus inuitandos eſſe exiſti-

exiſtimauimus. Presbyteros autem monemus, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri IESV CHRISTI vehementer in Domino obteſtamur, vt qui animarum curæ præpoſiti non ſunt (hi namque frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, celebrare debent) ſaltem ſemel in hebdomadâ ſalutare Miſſæ ſacrificium faciant. Meminerint autem qui in Miſſarum ſolemnibus celebrandis negligentes ſunt, & fideles viuos, & in CHRISTO defunctos, qui nondum plenè purgati ſunt, ſalutaribus ab ſe ſuffragiis fraudari. Nec verò quiſquam, qui ad Presbyteratus Ordinem peruenerit, minùs frequenter celebrandi culpam vanis & plerumque commentitiis impedimentis prætexat; ſed viuorum mortuorumque animarum ſaluti inſeruiat, omnia quæ obſtant ſedulò remouere conetur. Qui verò Canonicatus Præbendas ſiue alias Eccleſiaſticas obtinent dignitates, hos paternè monitos volumus, vt ſuæ vocationis memores, ſanctè, piè ac religiosè viuere ſtudeant; & quò frequentiùs peccata ſua confiteri, & ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere aſſueuerint, eò ſe Omnipotenti Deo acceptiùs famulaturos eſſe ſciant. Non enim fructuoſiſſimarum poſſeſſionum reditus ad licentiam voluptatumque illecebras ſectandas acceperunt; ſed vt pro peccatis populorum humiles aſſiduasque preces ad Deum & Redemptorem noſtrum funderent, & pro temporalibus ſpiritualia bona tribuerent. Quid enim aliud

qui Eccleſiaſticis bonis fruuntur, quàm populorum peccata manducant? Vniuersè autem omnes in quocumque Eccleſiaſtico Ordine conſtitutos admonemus & hortamur, & per Omnipotentem Deum obteſtamur, vt meminerint ſibi potiſſimùm onus hoc eſſe impoſitum, vt Sacrificiis, ieiuniis bonisq́ue operibus Deum populorum peccatis meritò iraſcentem placabilem efficiant, ſacerdotaliumq́ue virtutum ardentes in manibus lucernas habentes, laicis ad benè, piè iuſteq́ue viuendum lumen præferant: hoc enim facientes, & ipſi ſuo officio fungentur, & eius rei nomine à nobis non mediocrem gratiam inibunt. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Octobris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLIII.

Gaſparem de Coligny, hæreticorum ducem, iuſtè damnatum gratulatur; idq́ue Galliæ rebus ſalutare fore oſtendens, Reginæ pietatem commendat.

Chariſſimæ in CHRISTO Filiæ noſtræ Catharinæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non facilè verbis conſequi poſſumus, quantâ animi lætitiâ affecti ſimus, ex eo quòd chariſſimus in CHRISTO Filius

Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, natus tuus, hominem vnum omnium fallaciſſimum, execrandæque memoriæ, Gaſparem de Coligny, qui ſe pro iſtius Regni Admirante gerit (quo potiſſimùm conſiliario, ſcelerumque omnium architecto tota iſta peſtilentiſſimi belli flamma eſt excitata) iuſtiſſimâ Pariſienſis Senatus ſententiâ condemnandum, honoribus omnibus priuandum, debitiſque iam diu turpitudini ſuæ ignominiæ notis, vnà cum totâ familiâ, afficiendum curauit; in eiuſque locum virum maximè Catholicum, nec minùs pietate quàm fortitudine nobilitateque inſignem, ſuffecit. In eâ re Maieſtas ſua iuſtitiæ ſatisfecit; reliquos eiuſdem ſceleris ſocios, improbiſſimos homines, nefarioſque hæreticos, ab improbitate ſuâ hoc exemplo deterruit; bonis Catholiciſque viris animos addidit: ceteris autem Principibus, quid in ſimilibus rebus agendum ſit, oſtendit. Quia verò & hoc & cetera omnia, quæ ab eo non minùs piè quàm conſtanter quotidie geruntur, tuo potiſſimùm conſilio adminiſtrari compertum habemus; idcircò faciendum nobis eſſe exiſtimauimus, vt quantoperè ea res nobis grata acciderit, his deditâ operâ ad te ſcriptis litteris ſignificaremus. Caue autem putes, chariſſima in CHRISTO Filia, quidquam Deo gratius acceptiuſque fieri poſſe, quàm cùm illius hoſtes apertè pio Catholicæ Religionis ſtudio oppugnantur: tunc enim Omnipotentem Deum coram hominibus confitemur,

tunc illius gloriam quærimus, cùm, poſthabitis omnibus humanarum rerum rationibus, apertè in eius cauſſam deſcendimus. Quod quoniam, adiuuante Deo, Maieſtas tua, & in hac ipſâ re, & in ceteris omnibus, vt par eſt, Chriſtianiſſimamque Reginam decet, ſibi faciendum eſſe iudicauit; ſperare debet, Omnipotentem Deum hanc ſuam erga ſe pietatem egregiâ tam diuturni belli victoriâ aliquando remuneraturum. Quod nos, diuinâ freti miſericordiâ, ſic ſperamus, vt pro eâ tamen impetrandâ aſſiduas ad Redemptorem noſtrum preces fundere non deſiſtamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Octobris, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLIV.

Marchioni de Villars delatum honorem gratulatur; atque, vt ſuſceptis pro Catholicâ Religione laboribus ac periculis, ad cæleſtia præmia ſemper aſpiret, hortatur.

Dilecto Filio, nobili viro, N. Marchioni de Villars, Regni Franciæ Admiranti.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm non ſine magnâ animi noſtri lætitiâ accepiſſemus, chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum, pro ſuâ ſingulari erga Deum Omnipotentem

tem pietate, Catholicæque Religionis zelo, Gaſpare de Coligny (qui ſe pro iſtius Regni Admirante gerit) perditionis filio, iuſtiſſimâ Pariſienſis Senatus ſententiâ condemnato, honoribuſque omnibus ſpoliato, te in eius locum totius Regni Admirantem ſuffeciſſe; duplici ex eâ re in Domino gaudio affecti ſumus: tum quòd Catholicæ Religionis acerrimum hoſtem, perturbatorem publicæ tranquillitatis, qui omnia ſua conſilia hæreticus cum hæreticis ſemper ſibi conſocianda eſſe putauit, proditionis hæreſeoſque crimine atque omni dedecore infamem, iuſtâ perpetuæ ignominiæ animaduerſione notatum, omnique honore priuatum gaudemus: tum quòd te virum Catholicæ fidei ſtudioſiſſimum, nec minùs, vt audiuimus, pietate quàm fortitudine nobilitateque inſignem, in eius locum ſuffectum eſſe lætamur. cuius quidem lætitiæ noſtræ teſtes has ad te litteras dandas eſſe exiſtimauimus; quibus & de iſto ampliſſimi honoris gradu non magis Nobilitati tuæ gratulamur quàm nobis gaudemus: & te pro noſtrâ paternâ beneuolentiâ hortamur, vt officij tui memor, quòſcumque labores, quæcumque pro Catholicâ Religione pericula ſubieris, eorum tibi mercedem maximam in cælis repoſitam eſſe intelligas; ſemperque ita exiſtimes, qui pro tuendo ſanctiſſimæ Fidei cultu mortem occumbunt, eos non de vitâ ad mortem, ſed de morte ad vitam tranſire. Sonet ſemper illa Saluatoris noſtri vox in auribus tuis, quâ

&

& eos qui animam ſuam ament, illam perdituros; & qui perdiderint, illam inuenturos eſſe nos admonuit. Quæ omnia quamquam pro tuo eximio Catholicæ Religionis ſtudio tibi nota eſſe, teq́ue ad omnia egregia opera paratum, pro comperto habeamus; tamen ad teſtificandam tibi paternam erga te voluntatem noſtram, Nobilitati tuæ ſcribenda eſſe iudicauimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Octobris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLV.

Partam ad Moncōnturium de hæreticis victoriam gratulatur; Regemq́ue, vt bellum ſtrenuè proſequatur, hæreticisq́ue inexorabilem ſe præbeat, incitat. Vide lib. II. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores facti primùm ex litteris Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Carcaſſonenſis, deinde Epiſcopi quoque Caiacenſis, noſtri & Sedis Apoſtolicæ apud Maieſtatem tuam Nuntij, de optatiſſimâ victoriâ, quam ineffabilis Omnipotentis Dei miſericordia tibi tam neceſſario Reipublicæ Chriſtianæ tempore conceſſit,

ſit, ſublatis ad cælum manibus Redemptori noſtro gratias egimus: qui quos iuſtè caſtigare peccantes tot tantorumque malorum peſte voluit, eos miſericorditer proculdubio tamquam bonus Paſtor parcendo, occidere noluit; vt, quò nos tam diuturni belli calamitas iuſtiùs afflixiſſet, eò miſericordiùs diuinæ ſuæ bonitatis indulgentia victoriâ nobis donatâ recrearet. Auxit autem magnoperè voluptatem noſtram huius Vrbis publica lætitia; quæ ad primum & adhuc dubium tantæ victoriæ nuntium, ſic vt domeſticâ quadam clade inteſtinoque bello erepta, gaudio exultauit & exultat. Reſtat nunc, vt Maieſtas tua tam ſecundis rebus nihil de priſtinâ ſuâ diligentiâ, ſtudio perſeuerantiâque remittat; nec communibus hoſtibus ſpatium det ad confirmandos animos viresque iterùm colligendas; ſed victoriâ vtatur, & luctuoſiſſimo bello aliquando tandem finem imponat. Quam quidem ad rem Maieſtatem tuam ſic hortamur, vt maiori ſtudio maiorique animi contentione hortari non poſſimus. Quia verò ſcimus non defuturos eſſe, qui vel amicitiæ vel propinquitatis vel etiam pietatis nomine, Maieſtatem tuam pro multis tuorum Deique Omnipotentis hoſtium deprecentur; illud pro paternâ rerum tuarum curâ, & pro officio noſtro monemus, ne illorum te precibus flecti ſinas, quo minùs de illis iuſta ſupplicia ſumas, quæ legibus ſtatuta ſunt: ne, ſi priuatis quibuſuis rationibus adductus plus carni

aut ſanguini quàm iuſtæ vltioni tribueris, Saulis exemplo aduerſus te ira Dei eò grauiùs exardeſcat, quò maiora tibi ſuæ bonitatis beneficia indulſerit. Quid enim hoc aliud eſſet, quàm Dei beneficium, victoriam ſcilicet ipſam irritam facere: cuius quidem victoriæ fructus in eo poſitus eſt, vt per iuſtam animaduerſionem nefariis hæreticis, communibus hoſtibus de medio ſublatis, priſtina iſti Regno pax tranquillitasque reſtituatur. Nec verò, vano pietatis nomine obiecto, te eò vſque decipi ſinas, vt condonandis diuinis iniuriis falſam tibi miſericordiæ laudem quæras: nihil eſt enim eâ pietate miſericordiâque crudelius, quæ in impios & vltima ſupplicia meritos confertur. Quòd ſi Maieſtas tua veterem iſti Regno gloriam, potentiam dignitatemque reſtituere vult, illud in primis ſtudere debet, vt ab omnibus populis ditioni ſuæ ſubiectis vna fidei Catholicæ profeſſio teneatur, ea quæ à primo ferè Chriſtianæ Religionis exordio ad hæc vſque tempora integra permanſit: quàm diu enim in his quæ fidei Catholicæ ſunt, in duas partes claudicatum fuerit, tam diu diſſenſionibus inteſtinisque diſcordiis & Maieſtas tua afflictabitur, & Regnum non conquieſcet. Huius autem rei tam ſalutaris obtinendæ cauſsâ, & de his qui contra Deum Omnipotentem & Maieſtatem tuam ſcelerata arma ſumpſerunt, ſupplicium ſumere, & hæreticæ prauitatis Inquiſitores per ſingulas ciuitates conſtituere, & reliqua

qua

quà omnia facere debet, quibus tam afflictæ iſtius Regni res, adiuuante Deo, tandem aliquando recreari, & in priſtinum ſtatum reſtitui poſſint. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX. Octobris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLVI.

Coſmo Florentiæ Duci victoriam de hæreticis in Galliâ partam piè gratulanti gratias agit; indeq́ue perceptam lætitiam ſuam, quòd ad eam victoriam Ducis auxilia non mediocriter contuliſſent, auctam eſſe oſtendit. Vide lib. II. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Coſmo Duci Florentiæ & Senarum.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quòd victoriam chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Regi Francorum Chriſtianiſſimo magnâ Omnipotentis Dei miſericordiâ de communibus hoſtibus conceſſam, Nobilitas tua nobis, imò veriùs toti Reipublicæ Chriſtianæ, proximis ſuis litteris gratulatur; in eâ re Principis officio functa eſt, non minùs erga nos officioſi, quàm pij: de quo, quas debemus, Nobilitati tuæ gratias agimus; quæ tali gratulatione non modò ſuam erga nos ſanctamq́ue hanc Sedem Apoſtoli-

cam obſeruantiam amanter declarauit; ſed quibus potiſſimùm de rebus Principi Catholico diuinæque gloriæ cupido lætandum ſit, prudenter iudicauit. Nobis certè ad illud gaudium, quod de tantâ victoriâ cepimus, non parua acceſſio facta eſt ex eâ lætitiâ, quam te accepiſſe ex tuis ad nos litteris ſignificas; multis illam quidem iuſtiſſimisque de cauſſis ſuſceptam; non parum tamen ex eo quòd propter auxilia Regi Chriſtianiſſimo miſſa non parua eius ad te lætitiæ pars meritò peruenit. Quod verò tantum diuinæ miſericordiæ munus noſtris potiſſimùm orationibus acceptum refers; quæ ſint officij noſtri partes, pro eo loco, quo nos, licet indignos, Deus eſſe voluit, præclarè intelligere videris: cui quidem officio, vt pro virium noſtrarum imbecillitate ſatisfaciamus, nullos vmquam labores, nulla pericula deuitare parati ſumus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Octobris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLVII.

Cardinali Borbonio relatam de hæreticis victoriam gratulanti reſpondet, atque vt belli reliquias eius ſuaſu Rex proſequatur, contendit. Vide lib. II. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Carolo

Carolo Cardinali Borbonio, Legato Apoſtolico.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Gratiſſimæ nobis fuerunt litteræ tuæ quinto Octobris die ad nos datæ, quibus de optatiſſimâ victoriâ tam neceſſario Reipublicæ Chriſtianæ tempore de communibus hoſtibus ab Omnipotenti Deo non magis nobis quàm toti populo Chriſtiano conceſsâ gratularis. Quod quidem tuum erga nos officium non ſolùm eo nomine acceptiſſimum nobis fuit, quòd tuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiæ nobis exploratiſſimè teſtimonium attulit, non neceſſarium ſed iucundum; verùm etiam quia compertum habemus, te, vt tam egregia de Omnipotentis Dei hoſtibus Chriſtianiſſimique Regis rebellibus victoria obtineri poſſet, conſilio & auctoritate pro parte tuâ non mediocriter ſemper adiuuiſſe. Quorum quidem tuorum pro Catholicæ Fidei defenſione ſuſceptorum laborum, atque etiam pro eo quòd omnibus tuis priuatis neceſſitudinibus, quemadmodum æquum fuit, Religionis cauſſam antepoſuiſti; ea circumſpectionem tuam æterna manent præmia, quæ ab Redemptore noſtro omnibus his parata ſunt, qui pro eius gloriâ nullum diſcrimen, nullas contentiones, ac ne mor-

tem quidem ſibi defugiendam eſſe exiſtimauerunt. Victoriam verò ipſam quòd noſtris potiſſimùm orationibus acceptam refers, quamquam in aſſiduâ pro populo Chriſtiano deprecatione noſtras præcipuas eſſe debere partes non ignoramus; non tamen precibus noſtris tantum tribuimus, vt illis ab Omnipotenti Deo afflictis & propè deſperatis iſtius Regni rebus miſericordiam nos impetraſſe putemus: in quâ impetrandâ aliorum quoque Dei ſeruorum deprecationes maximè apud eumdem Deum valuiſſe pro certo habemus. Illud reſtat, quod Chriſtianiſſimum Regem ſtudioſiſſimè facturum eſſe in tuis litteris ſcribis, vt ſcilicet belli reliquias perſequatur, ſuasque & Dei iniurias, quemadmodum æquum eſt, vlciſcatur; id vt quamprimùm fiat, circumſpectio tua pro ſuâ parte contendat. Quâ de re, quia & aliàs circumſpectioni tuæ & proximis litteris ad Regem Reginamque Chriſtianiſſimam diligenter ſcripſimus, plura in præſentiâ non ſcribemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Nouembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLVIII.

Regis victoriam de hæreticis reportatam gratulantis pietatem commendat. Matrimonij inter ipſum Regem & Iſabellam Cæſaris filiam contrahendi poteſtatem ſe feciſſe oſtendit. Vide lib. II. cap. IX. Vitæ PII V.

Chariſſi-

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Carolo, Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Rectè iudicauit Maieſtas tua in ſuis litteris ſeptimo die Octobris datis, quibus de optatiſſimâ victoriâ non magis ſibi quàm toti populo Chriſtiano magno Omnipotentis Dei beneficio concesſâ nobis gratulatur, gratulandi cauſſas ſibi non ſolùm nobiſcum, ſed etiam cum Republicâ totâ Chriſtianâ eſſe communes. In eo officio priſtinam Maieſtatis tuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiam, nobis anteà quoque ſpectatiſſimam, recognouimus; eique de tam illuſtri ſuæ erga nos voluntatis ſignificatione gratias agimus, quas debemus: quodque eam ipſam victoriam totam diuinæ bonitati refert acceptam, in eâ re eximiam ſuam erga Redemptorem noſtrum pietatem vehementer in Domino commendamus. Quæ verò Venerabilis Frater Epiſcopus Cenomannenſis, Maieſtatis tuæ apud nos Orator, ad eamdem victoriam pertinentia ſuo nomine expoſuit, quæque de re ipsâ geſta narrauit, ea nobis perinde ac debuerunt gratiſſima fuerunt. Diſpenſationem autem Apoſtolicam, quam ad minorem natu filiam chariſſimi in CHRISTO Filij Maximiliani Romani Imperatoris electi

in matrimonium ducendam ſibi neceſſariam alteris litteris ſecundâ die Octobris datis, Maieſtas tua à nobis poſtulauit, de quâ etiam idem ſuus Orator diligentiſſimè ſuo nomine nobiſcum egit; Maieſtati tuæ libenter admodum conceſſimus, talem inter duos longè nobiliſſimos potentiſſimosque orbis Chriſtiani Principes affinitatem Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitati, hæreſibusque extirpandis, vtiliſſimam fore putantes: Deum autem Omnipotentem oramus, vt miſericorditer nobiſcum agens, eas ex hoc matrimonio ad populum Chriſtianum vtilitates peruenire velit, quas nos in ipſius conceſſione diſpenſationis potiſſimùm ſpectauimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Nouembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA XLIX.

Æthiopes ad ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiam redire cupientes, Regisque Luſitanorum auxilia contra Turcas poſtulantes, Regiis copiis iuuari poſtulat. *Vide lib.* III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sebaſtiano Regi Portugalliæ Illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ex Venerabi-

nerabilis Fratris noſtri Æthiopiæ Patriarchæ Catholici, tum ex aliorum quoque fide dignorum litteris cognouimus, gentem illam, poſteaquam Patriarcham à ſe poſtulatum, ſibique, annitente in primis Sereniſſimo Rege Ioanne auo tuo, à Sede Apoſtolicâ datum recipere noluit; multis variiſque calamitatibus, Omnipotentisque Dei flagellis eruditam, magnâ animorum mutatione factâ, non pauca interdum neque obſcura pœnitentiæ, atque ad Apoſtolicæ Sedis vnionem reuertendi voluntatis ſigna oſtendere: nec ſolùm Catholicos ipſos, ſed etiam ex Primatibus ſchiſmaticis nonnullos præ ſe ferre, valdè ſe ad eam rem Maieſtatis tuæ populorumque Regno tuo ſubiectorum, quo, poſtquam ad vnitatem Eccleſiæ redierint, à Turcarum Maurorumque incurſionibus tuti eſſe poſſint, opem auxiliumque deſiderare; vt ſperandum ſit, Maieſtate tuâ illuc Duces ſuos cum copiis mittente, gentem illam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ mandata facturam. Quæ res, ſicuti magnum in Domino gaudium nobis attulit, bona hæc conſentientium in eamdem ſententiam Primatum populorumque ſigna cernentibus; ſic etiam non mediocrem animo noſtro curam iniecit, ne vllum erga eos, quantumuis longè à nobis poſitos, populos voluntatis noſtræ paternæ officium prætermittamus. mater enim & cuſtos bonorum omnium charitas, abſentes non exiſtimat eos quos oculis mentis habet præſentes: nam ſi ille

Paterfamilias filium ſuum, qui in regionem abierat longinquam, quamuis à longè venientem, tamen conſpexit, eique ad ſe reuertenti magnâ cum animi lætitiâ occurrit; quantò magis nos communis omnium Chriſtianorum populorum Patris perſonam ſuſtinentes, tot filios ad Eccleſiaſticam vnionem redire volentes, reſpicere debemus? Quam ob rem Maieſtatem tuam ad ſuſcipiendam hanc Æthiopicam expeditionem vehementer in Domino hortamur: ſicut enim eius gentis conuerſio & conſeruatio, quemadmodum intelligimus, rebus tuis Indicis magnam afferre poteſt vtilitatem; ſic eiuſdem ad alias infideles nationes, Maieſtate tuâ negligente, defectio iis valdè nocere poteſt. Expeditio ipſa præterea eximiâ Maieſtatis tuæ in Deum Omnipotentem pietate, ſingularique propagandæ Catholicæ Religionis ſtudio digna eſt: quæ ſi potiſſimùm à Maieſtate tuâ honoris diuini totque animarum ſalutis cauſsâ ſuſcipiatur, ſperandum eſt, Redemptorem noſtrum non ſolùm his quæ præcipuè ad ſui nominis gloriam diriguntur, ſed reliquis etiam tuis inceptis bonos proſperoſque ſucceſſus pro ſuâ miſericordiâ daturum. Denique, ſi hoc feceris, idipſum præſtabit, cuius cauſsâ Sereniſſimis Regibus inclytæ memoriæ progenitoribus ſuis, earum nationum, quotieſcumque Euangelij prædicationi reſtiterint, ſubigendarum ius conceſſum eſt. In primis autem ab Omnipotenti Deo, nobiſque ipſis, qui hoc populorum

pulorum ſalutis cauſsâ ardenti animo deſideramus, maximam gratiam inibit. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Decembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA L.

Vt Regem ad Æthiopicam expeditionem pro gloriâ Dei, Chriſtianæque Reipublicæ ſalute, ſuſcipiendam adiuuet, Henricum Cardinalem Portugalliæ hortatur.

Henrico S.R.E. Cardinali, Portugalliæ nuncupato.

DIlecte Fili noſter; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper ex Venerabilis Fratris noſtri Æthiopiæ Patriarchæ Catholici litteris, aliorumque fide dignorum relatione cognoſcentes, Æthiopum gentem, poſt multas variasque calamitates, quibus noſtris ſuisque peccatis facientibus iam inde maximè ab eo tempore afflicta eſt, quo Patriarcham ſuperioribus annis à ſe poſtulatum, & à Sede Apoſtolicâ conceſſum, recipere noluit; magnâ animorum mutatione factâ, multa neque dubia pœnitentiæ ſigna oſtendere; ſic vt ſperandum ſit, chariſſimo nobis in CHRISTO Filio, Rege nepote tuo, Duces illuc cum copiis mittente, populos illos ad vnitatem Eccleſiæ reuerſuros, Sedisque Apoſtolicæ mandata facturos; Maieſtatem ſuam litteris

proximè ad eam ſcriptis ad ſuſcipiendam Æthiopicam hanc expeditionem hortati ſumus: quia verò inceptum adeò ſanctum, Deoque Omnipotenti acceptum, te potiſſimùm pro tuâ in Redemptorem noſtrum pietate, & pro eo quo iſtic fungeris Apoſtolicæ Legationis munere, decet adiuuare; idcircò te quoque noſtris litteris vehementer in Domino hortandum eſſe exiſtimauimus: vt ad eamdem rem Sereniſſimi Regis animum, propoſitâ illi propriâ communique Chriſtianæ Reipublicæ vtilitate, & (quod his omnibus rebus maius eſt) æternæ remunerationis præmio incitare velis. Intelligimus enim ab hominibus rerum illarum peritis, expeditionem hanc ſuſceptam, & ad eum quem ſperamus exitum Deo adiuuante perductam, magnam Sereniſſimi Regis nepotis tui rebus Indicis vtilitatem, omiſſam verò atque neglectam eiſdem magnum detrimentum afferre poſſe. Res ipſa eſt prætereà, non ſolùm Reipublicæ Chriſtianæ ipſo recuperandæ talis tantæque prouinciæ titulo glorioſa, ſed etiam tot animarum pretioſo Chriſti Domini noſtri ſanguine redemptarum ad vnionem Eccleſiæ reuocandarum nomine fructuoſa: vt circumſpectio tua, eiuſmodi ſuadendâ expeditione, nullam neque vtiliorem Sereniſſimo Regi, neque Deo Omnipotenti acceptiorem operam nauare poſſit. Niſi eximium tuum propagandæ Catholicæ Religionis ſtudium exploratum nobis eſſet, circumſpectionem tuam pluri-

pluribus verbis ad eamdem rem conſilio auctoritateque ſuâ apud Regem adiuuandam hortaremur: ſed quia compertum habemus, eam in rebus ad Omnipotentis Dei cultum gloriamque pertinentibus nullius hortatione indigere; idcircò plura in eam ſententiam ſcribere ſuperſedentes, Deum Omnipotentem humiliter rogamus, vt his, quæ ad ſui nominis gloriam diriguntur, proſperos ſucceſſus largiri pro ſuâ miſericordiâ dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Decembris, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA LI.

Coniugium inter Regem Portugalliæ & Margaritam Valeſiam quamprimùm iungi procurat; ac Regis conſilium de ſubigendâ Africâ, Regniq́ue militaribus Ordinibus reſtituendis, commendat. Vide lib. IV. *cap.* III. *&* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sebaſtiano Regi Portugalliæ Illuſtri.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quo in ſtatu ſit matrimonij tui cum chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſorore negotium; non ſolùm intelleximus ex litte-

ris tuis XXIV. Octobris die ad nos datis, ſed etiam ex dilecti Filij Oratoris apud nos tui, Maieſtatis tuæ nomine, ſuper eâdem re nobiſcum habito ſermone cognouimus: quia verò, quemadmodum & eidem Oratori tuo diximus, & aliàs Maieſtati tuæ ſcripſiſſe meminimus, ex tali inter te & Chriſtianiſſimum Regem affinitatis coniunctione magnam ad Rempublicam Chriſtianam vtilitatem peruenturam eſſe ſperamus; idcircò totum hoc negotium quamprimùm ex ſententiâ confici vehementer in Domino deſideramus. Quam ob cauſſam ad id & anteà Maieſtatem tuam ſemper hortati ſumus, & nunc quoque magnoperè hortamur. Certè, quod magni Reges in primis ſpectare ſolent, neque clariori genere ortam vxorem ducere poſſe vidêris, neque probitate, morum ſanctitate, pietatiſque ſtudio præſtantiorem; præſertim chariſſimo nobis in CHRISTO Filio Rege Catholico hanc ipſam affinitatis coniunctionem conciliante; quo neque aptiorem vllum conciliatorem, neque potentiorem, neque tibi ipſi coniunctiorem habere potes. quem quidem ſperamus in tractando hoc negotio, tuorum quoque commodorum, rerumque iſtius Regni, eam, quam par eſt, rationem eſſe habiturum. Quæ cùm ita ſint, cumque in tali matrimonio ea quæ potiſſimùm ſpectantur, omnia inſint; decet te, chariſſime in CHRISTO Fili, etiamſi nonnihil aliarum non ita magni momenti rerum in conditione tibi

propo-

propoſitâ deeſſet, id nequaquam tanti æſtimare, vt propterea aut à tali contrahendo matrimonio abſiſtas, aut totam huius ipſius negotij concluſionem minùs vrgeas; ſed potiùs, communis Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatis cauſsâ, aliquid de iure deſiderioque tuo in rebus non magni ponderis remittas: quod te, pro tuâ ſingulari in Deum Omnipotentem pietate, facturum eſſe non dubitamus. Quæ verò aliis tuis litteris XII. Octobris datis de tuo Catholicæ Religionis adiuuandæ propagandæque ſtudio teſtificatus es, ſimiliter quæ de ſubigendâ Africâ ad nos ſcripſiſti, ea perinde nobis ac debuerunt gratiſſima fuêre: nec ſolùm eximium tuum diuini honoris zelum, vt par eſt, debitis in Domino laudibus commendamus; ſed etiam Africæ ſubigendæ conſilium tuum valdè probamus, tibique eius rei nomine benedictionem noſtram impertimur, Deum Omnipotentem nunc rogantes, & in poſterum humiliter rogaturi, vt earum rerum, quæ ad ſui nominis gloriam à te diriguntur, proſperos tibi ſucceſſus pro ſuâ miſericordiâ largiri dignetur. De reformandis autem tribus iſtius Regni militaribus Ordinibus, quod à nobis Maieſtas tua fieri vult, in re tam iuſtâ, quemadmodum decet, voluntati poſtulatiſque tuis ſatisfacere parati, totum hoc reformationis negotium vt ex tuâ ſententiâ quamprimùm conficiatur, ſtudioſè curabimus; pro noſtrâ erga te paternâ beneuolentiâ, tuâque in nos & erga hanc

ſanctam

ſanctam Sedem Apoſtolicam obſeruantiâ, ſedulò operam daturi, vt, quantum cum Domino poterimus, tuis ſemper honeſtis deſideriis ſatisfaciamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. Decembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA LII.

Prouincialis Concilij Goani decreta examinanda, & quatenus opus fuerit approbanda, librumque ad ſe miſſum libenter accepiſſe nuntiat: Archiepiſcopum, vt Paſtorali officio ſuo ſtrenuè fungi pergat, hortatur: Fratres Dominicanos, Franciſcanosque, & Ieſuitas in infidelium conuerſione laborantes confirmat. Vide librum III. *cap.* V. *Vitæ* PII V.

Ven. Fratri, Gaſpari Archiepiſcopo Goano.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Prouinciale Concilium in iſtâ ciuitate à Fraternitate tuâ celebratum, eiusque librum ad nos miſſum libenter accepimus: teque hoc tam pio Eccleſiaſticæ diſciplinæ vel corrigendæ vel conſeruandæ, tamque neceſſario functum eſſe officio, vehementer in Domino gauiſi ſumus: ſtudium tuum, operam, diligentiam, Religionisque Catholicæ zelum, tum in conuertendis ad verum Omnipotentis Dei cultum infidelibus, tum in his qui

qui conuerſi ſunt, ſanâ fideliq́ue doctrinâ inſtituendis, debitis in Domino laudibus commendantes, Fraternitatem tuam ad hæc & ſimilia Paſtoralis ſolicitudinis munera conſtanter exercenda, & in cuſtodiâ tibi creditâ perſeuerandum vehementer hortamur: nihil enim nobis gratius accidere poteſt, quàm cùm intelligimus, tuo ceterorumq́ue Fratrum Coëpiſcoporum noſtrorum labore ac vigilantiâ nouos quotidie animarum fructus in æterna horrea afferri, nouosq́ue Eccleſiæ Catholicæ palmites creſcere. Quorum quidem tuorum laborum quamuis ampliſſimum æternæ beatitudinis præmium in cælo tibi repoſitum ſit, illud quod etiam omnibus bonis fidelibusq́ue Omnipotentis Dei miniſtris paratum eſt; tamen nos ipſi quoque tuis honeſtis deſideriis ſatisfacere, tibiq́ue quæcumque cum Domino poterimus, fraternæ noſtræ beneuolentiæ atque amoris officia præſtare parati ſumus. Quia verò ex chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Portugalliæ Regis litteris intelligimus, Fratres quoque S. Dominici, & S. Franciſci, ſimiliterq́ue Ieſuitas, in eâdem infidelium conuerſione pro ſuâ parte ſedulò laborare; idcircò Fraternitatem tuam illis benedictionem noſtram impertiri, ſimulq́ue eis ſignificare volumus, hos quos pro animarum ſalute diuinâque gloriâ labores ſuſcipiunt, præterquam quòd copioſam in cælo mercedem ſunt habituri, nobis quoque gratiſſimos eſſe. Quod autem ad ipſum Concilij

tui Prouincialis librum ad nos miſſum pertinet, nos eum congregationi Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quos eiuſmodi Conciliorum examini præpoſuimus, legendum dedimus; vt, ſi quid in eo corrigendum ſit, diligenter conſiderent. Quod cùm illi fecerint, tum Fraternitatem tuam de omnibus rebus certiorem fieri curabimus. Omnipotens Deus te, Venerabilis in CHRISTO Frater, pro nobis orantem cuſtodiat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die primâ Ianuarij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA LIII.

Regem Portugalliæ hortatur, vt quæ pro Religione iuſtitiáque tuendá præſtare inſtituerat, proſequatur; ciuitatémque Oliſiponem à peſtilentiâ liberâtam eſſe gratulans, inde maximas Deo gratias agit. Vide lib. IV. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Sebaſtiano Regi Portugalliæ Illuſtri.

EXplicare verbis, chariſſime in CHRISTO Fili, non poſſumus, quantoperè litteris tuis XXIV. Octobris die datis in Domino delectati ſimus, quibus de commendatâ à Maieſtate tuâ Venerabilibus Fratribus noſtris iſtius Regni Epiſcopis morum corre-

correctione, de edictis pro libertate Eccleſiaſticâ non impediendâ propoſitis, de tuo in iuſtitiâ erga infimos tenuioresque homines ſeruandâ ſtudio ac diligentiâ, deque aliis rebus tuis non minùs amanter quàm copiosè ad nos ſcripſiſti: in quo non ſolùm rerum ipſarum, de quibus nos feciſti certiores, commemoratio magnam nobis, vt par fuit, lætitiam attulit; ſed etiam tuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiæ ſignificatio gratiſſima fuit. Harum rerum nomine ſingularem tuam in Deum Omnipotentem pietatem debitis in Domino laudibus commendantes, Redemptori noſtro gratias agere non deſiſtimus, qui in tot Reipublicæ Chriſtianæ procellis tantum in tuâ virtute ardentiſſimoque honoris diuini zelo præſidium ſolatiumque nobis reſeruauit. Quòd enim, vt ſcribis, primus inter tot Chriſtianos Catholicosque Reges eſſe voluiſti, qui Epiſcopis ceterisque Eccleſiaſticis miniſtris iuriſdictionis ſibi à ſacro Tridentino Concilio conceſſæ liberè exercendæ facultatem in Regno tuo permitteres, eâque ipsâ re reliquis Chriſtianis Principibus oſtenderes, quantam aduerſus Eccleſiaſtica decreta mandataque Apoſtolica reuerentiam adhibere debeant; in eo, quæ ſint optimi atque ex Deo regnantis Regis partes, præclarè videris intelligere: cuius maximè proprium eſſe debet, reddere quæ Dei ſunt Deo, quæ autem Cæſaris, hoc eſt temporalis Poteſtatis ſunt, ea ſibi tantummodò retine-

re. Qui enim inter Deum atque homines medius à Patre conſtitutus eſt Chriſtus Dominus noſter, is vtriuſque Poteſtatis officia propriis cuiuſque muneribus & dignitatibus ita diſtinxit, vt & Chriſtiani Principes ad æternam vitam conſequendam Sacerdotibus indigerent, & Sacerdotes ad ea quæ iuris ſui ſunt exequenda Principum miniſterio vterentur. Felices proculdubio tam Sacerdotes quàm Principes futuri, ſi vtrique in officio ſibi commiſſo Omnipotenti Deo conſtanter inſeruierint. Quod quoniam diuinæ præceptum conſtitutionis Maieſtas tua tam fideliter cuſtodit; non eſt quòd propterea vllam aut iuriſdictionis imminutionem, aut Regiæ ſuæ poteſtatis detrimentum pertimeſcat: quin potiùs ſperare debet, Omnipotentem Deum, in Sacerdotibus ſuis à Maieſtate tuâ ſe, vt æquum eſt, coli honorarique cernentem, Regni tui fines magis magisque indies propagaturum, nouaſque nationes Imperio tuo adiecturum. Hoc magnus ille Imperator Conſtantinus, quem Maieſtas tua egregiè imitatur, intellexit: qui cùm ad firmanda Imperia & Regna nihil tam valere cognoſceret, quàm verum illius cultum per quem Reges regnant; magnâ ſemper erga Dei Sacerdotes, quæ Maieſtati tuæ benè cognita eſſe putamus, ſingularisque cuiuſdam obſeruantiæ reuerentiæq; ſigna oſtendit. Docente enim Domino didicerat, qui Sacerdotes audirent, eos Deum audire: qui eos ſpernerent, Deum

ipſum

ipſum ſpernere. Apoſtolum etiam, cum Domino ipſo conſentientem, dicentem audierat: Quapropter qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. Eadem pietatis virtus in Theodoſio Imperatore fuit, qui tantum beato Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo tribuit, vt cuiuſdam à ſe admiſſi facinoris gratiâ cùm Eccleſiam ingredi prohiberetur, non ſolùm hoc ipſum patienter atque humiliter pertulerit, ſed indictum ſibi ab eodem Epiſcopo pœnitentiæ modum deuotus exceperit. Quæ quidem nos exempla non idcircò collegimus, vt ad eorumdem rectè factorum imitationem Maieſtatem tuam hortaremur, quam omnium Chriſtianarum virtutum ſtudio ſponte ſuâ ſatis incenſam hortationibus noſtris non indigere compertum habemus; ſed vt ea quæ Chriſtianæ pietatis ſtudio in Dei Sacerdotes benignè fecit, &, vt ſperamus, Deo adiuuante, factura eſt, hæc ipſa auctoribus etiam magnis piiſque Principibus ſe feciſſe in Domino gauderet. Reliqua quæ iuſtitiæ æqualiter omnibus ditioni tuæ ſubiectis populis conſeruandæ cauſsâ à te partim inſtituta, partim perfecta, partim perficienda ſcribis; magna illa quidem ſunt, & perinde nobis eſſe debent grata, eorumque nomine tibi quam poſtulas benedictionem noſtram impertimur, ſed maiora tamen æternæ beatitudinis præmia tibi à Redemptore noſtro propoſita habes: quæ enim Deus iuſti-

tiæ cultoribus in cælo præparauit, hæc neque oculus vidit, neque auris humana audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt. quæ quidem Maieſtatem tuam oculis fidei intuentem, in conſeruandâ iuſtitiâ, prohibendis vindicandiſque maleficiis, bonis ſanctiſque viris beneficio complectendis, defatigari non oportet. Peſtilentiam verò è ciuitate Oliſiponenſi iam abiiſſe, & quamdiu fuit Maieſtatem tuam non attigiſſe; eis autem quos mori contigit, nihil ad animarum ſalutem defuiſſe, in eâque re ſingularem quamdam Dei ſeruorum quos nominas charitatem extitiſſe, magnoperè in Domino gauiſi ſumus; eiuſque rei cauſsâ Omnipotenti Deo gratias, quas debemus, egimus, atque agimus: qui quoniam, quos diligit, corripit, agendæ illi ſunt gratiæ; quia quos caſtigare peccantes, tot tantorumque morborum, vt ſcribis, peſte voluit, hos proculdubio tamquam bonus Paſtor occidere noluit. De rebus autem ſuis Indicis, quòd nos Maieſtas tua certiores fecit, eâ re priſtinam ſuam erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiam deuotionemque recognouimus, ſperamuſque Deum Omnipotentem pro ſuâ miſericordiâ, eximiâque Maieſtatis tuæ in ſe pietate, feliciores quotidie rerum in eis regionibus ſucceſſus illi daturum: quod nos aſſiduis precibus ab eo precari non deſiſtemus. Omnipotens Deus te, chariſſime in CHRISTO Fili, incolumem in hac vitâ diu cuſtodiat, & in alterâ

ad

ad æternæ beatitudinis præmium peruenire concedat. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die primâ Ianuarij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA LIV.

Reginam Scotiæ in cuſtodiâ ab Eliſabethâ in Angliâ detentam & afflictam conſolatur. Vide lib. III. *cap.* VIII. *&* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimæ in CHRISTO Filiæ noſtræ, Mariæ Reginæ Scotiæ Illuſtri.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lectis litteris Maieſtatis tuæ XV. Octobris die datis, quibus de toto ſtatu calamitateque tuâ nos certiores feciſti, non ſecùs ac debuimus animo commoti, vehementer tuis ærumnis doloribuſque condoluimus: ſed quia compertum habemus, Maieſtatem tuam Religionis Catholicæ tuendæ conſeruandæque cauſsâ in eas quas commemorat miſerias incidiſſe; non mediocriter dolorem noſtrum ea conſolatio leuauit, quòd te, quam Redemptor noſter beatam appellat, nos miſeràm agnoſcere aut nominare non poſſumus. Quomodo enim miſera es, quæ propter iuſtitiam tot perſecutiones pertuliſti? quæ pro vero Omnipotentis Dei cultu retinendo tot labores

perferre,

perferre, tot adire pericula non dubitaſti? quæ denique, ob Fidei Catholicæ ſingulare ſtudium proprio Regno profuga, cuſtodias & carcerem non horruiſti? quæ quamquam perpeſſu difficilia, dura atque aſpera ſenſus ipſe noſter humanus experiatur; tamen hæc omnia diuinæ bonitatis amor, qui ſupra omnia dulcis eſt, dulcia reddere poteſt. Quamuis igitur Maieſtatem tuam, chariſſima in CHRISTO Filia, procul à patriâ in alterius poteſtate poſitam, rerum amiſſarum dolor proprijq́ue Regni cura conturbet: tamen quia non honor, non Regna, non temporales diuitiæ quærendæ ſunt, quæ relinquuntur; ſed ſi bona quærimus, illa diligenda ſunt, quæ perpetuò ſumus habituri; ſi autem mala pertimeſcimus, ea ſunt timenda, quæ à reprobis ſine vllo malorum fine tolerantur; idcircò neque defatigari malis debes, neque de bonis deſperare: potens enim Deus, qui & Dauidem de manu Saulis & Apoſtolum Paulum de ore leonis liberauit, te quoque ex tot calamitatibus ereptam in proprium Regnum reſtituere. Quod vt fiat, nos pro parte noſtrâ quibuſcumque rebus poterimus, quemadmodum anteà quoque fecimus, parati ſumus adiuuare. Quâ de re cum vtriſque quos ſcribis Regibus agendum noſtro nomine diligenter curabimus; eiſq́ue ſalutem tuam, Regniq́ue tui incolumitatem, vt debemus, vehementer commendabimus; parati ea omnia tibi paternæ noſtræ voluntatis officia ſemper præſtare, quæ

tuo

tuo iſto forti inuictoque animo, Catholicæque fidei flagrantiſſimo ſtudio digna ſunt: Omnipotentemque Deum precibus in humilitate noſtri cordis rogaturi, vt tibi tot calamitatibus laboranti ſuccurrere, fortitudinemque in aduerſis rebus perſeuerantiamque miſericorditer largiri dignetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IX. Ianuarij, M. D. L X X. Pontificatus noſtri anno quarto.

APOSTOLICARVM PII QVINTI PONT. MAX. EPISTOLARVM LIBER QVARTVS,

Continens Epiſtolas anni quinti eius PONTIFICATVS.

EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM.

Pacem cum hæreticis & rebellibus componere diſſuadet, eosque armis compeſcendos eſſe oſtendit. Vide lib. II. *cap.* VI. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo, PIVS Papa V.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi Maieſtatem tuam nihil non piè conſiderare, ac prudenter facturam eſſe putabamus, in eâ præſertim

ſertim re, quæ non minùs ad ſuam Regniq́ue ſui ſalutem, quàm ad totius Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem pertineret: tamen hominum famâ conſtantiq́ue rumore permoti, quo de pace inter Maieſtatem tuam & hæreticos, communes omnium Catholicorum hoſtes, ſuosq́ue rebelles, propediem conuenturâ ad nos afferebatur; pro officio noſtro, & paternâ rerum ſuarum curâ, prætermittere non potuimus, quin eam his noſtris litteris moneremus, vt etiam atque etiam conſideret, diligenterq́ue attendat, quid agatur. Nam ſi vllam inter ipſam atque aduerſarios ſuos componi poſſe pacem videremus, quæ vel Religionis Catholicæ cauſſam ſubleuatura, vel iſtius Regni diuturno bello vexati tranquillitati vllo modo eſſet conſultura; non vſque adeò aut perſonam nobis ab Omnipotenti Deo impoſitam obliuiſceremur, aut officij noſtri immemores eſſemus, vt non ad eam quamprimùm conficiendam omnem noſtram operam auctoritatemq́ue interponeremus. Sed quia nullam luci cum tenebris communionem, nullamq́ue Catholicis cum hæreticis niſi fictam inſidiiſq́ue plenam compoſitionem eſſe poſſe, & nos ipſi intelligimus, & Maieſtas tua multoties experta eſt; idcircò tum de tuâ, tum de communi Reipublicæ Chriſtianæ incolumitate fideiq́ue Catholicæ conſeruatione ſolicito animo eſſe cogimur. Quibus etiam adducti cauſſis Maieſtatem tuam hortamur, vt potiùs animum

ſuum ipſum per ſe excelſum & ad omnia præclara paratum erigat, induſtriamq́ue acuat ad iſtius inteſtini belli reliquias conficiendas, ad ſuas Omnipotentiſq́ue Dei iniurias iuſtiſſimis armis vlciſcendas, ad Regnum denique iſtud nefariorum hæreticorum ſceleratiſſimâ conſpiratione labefactatum, ſibi poſteriſq́ue ſuis firmandum & ſtabiliendum. Cuius rei eò maiorem habere debes ſpem, quòd dubitare non potes, Deum ipſum noſtrum, qui te ſuâ miſericordiâ ex tot tantarumq́ue inſidiarum periculis tam ſæpè eripuit, qui geminatam victoriam de tuis communibuſq́ue hoſtibus conceſſit, tibi rectis ſenſibus eunti, & pro Religionis Catholicæ cauſsâ pugnanti affuturum eſſe. Quòd ſi ille pro nobis, quis contra nos? In quo oportet Maieſtatem tuam nihil nouum aut inuſitatum agere; ſed quod hucuſque fecit, id etiam in poſterum facere: hoc eſt, relictis omnibus terrenarum rerum ſiue cogitationibus ſiue voluptatibus, quibus à rebus agendis auocari poſſet, in hanc vnam curam incumbere, neque aures ſuas quorumuis hominum alia ſuadentium ſermonibus præbere; ſed noſtris paternis conſiliis acquieſcere, chariſſimæq́ue nobis in CHRISTO Filiæ Reginæ Chriſtianiſſimæ matris ſuæ, ceterorumq́ue qui Maieſtati tuæ ex animo conſultum volunt, verba audire: multa enim ac varia, iſti quâ Maieſtas tua eſt ætati, à peſſimis conſultoribus pericula impendent: quæ non aliter, quàm Dei Om-

nipo-

nipotentis ope, fideliſſimisq; illorum conſiliis, vitare poterit. Hæc abundantiâ quadam noſtri erga eam paterni amoris ad Maieſtatem tuam ſcripſimus: quæ quoniam ab optimo animo, ſalutis dignitatisque tuæ cupidiſſimo, profecta ſunt, Maieſtati tuæ non iniucunda fore ſperauimus; cui ab Omnipotenti Deo perfectam, cumulatiſſimamque de communibus hoſtibus victoriam precamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Ianuarij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA II.

Eiuſdem Argumenti.

Chariſſimæ Catharinæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamuis eximia tua in Deum Omnipotentem pietas, nobis in tantâ rerum iſtius Regni perturbatione ac varietate perſpectiſſima, dubitare nos vetet, quidquam iſthic iudicio niſi maturo religioſoque conſilio actum iri: tamen conſtanti hominum famâ nuntiisque permoti, quibus de pace inter chariſſimum natum tuum, & hæreticos Dei hoſtes, iſtiuſque Regni rebelles, propediem conuenturâ huc afferebatur; pro officio noſtro paternâque rerum iſtarum ſolicitudine prætermittere non potuimus, quin

ſuper eâ re ſententiam noſtram apertè, vt ſolemus & debemus, ad Maieſtatem ſuam ſcriberemus. quod cùm feciſſemus, viſum eſt nobis eâdem de re ad Maieſtatem quoque tuam ſcribere. Nos ſi aliquam inter Chriſtianiſſimum Regem, & nefarios hæreticos, communes hominum Catholicorum hoſtes, pacem eſſe poſſe cognoſceremus, quæ & Catholicæ Fidei cauſſam in meliore ſtatu collocatura, & iſtius Regni tranquillitati conſultura eſſet; non ita pacis nomen horremus, quam ab Omnipotenti Deo tantoperè nobis commendatam eſſe meminimus, vt non ipſi ante alios omnes illius auctores fieri vellemus. Sed, ſicut compertum nobis eſt nullam eſſe ſatanæ cum filiis lucis communionem; ita inter Catholicos quidem & hæreticos nullam compoſitionem, niſi fictam fallaciiſque pleniſſimam, fieri poſſe, pro certo habemus. Quâ de re ne Maieſtas tua quidem dubitare debet, quæ idipſum multoties in iſtâ improbiſſimorum hominum hæreticorum nefariâ coniuratione experientiâ didiciſſe potuit. Quæ cùm ita ſint, Maieſtatem tuam, cuius de Religionis Catholicæ cauſsâ ſenſus nobis probatiſſimus eſt, cuiuſque, poſt Deum, virtuti, prudentiæ, diuiniique honoris zelo omnes proſperos rerum iſtarum ſucceſſus acceptos referimus; ſuperuacaneum quodam modo videtur eſſe, quidquam vel monere vel hortari: ſed tamen, quia vehementer nos nobiliſſimi iſtius Regni cura ſolicitos

habet,

habet, & Maieſtati tuæ hæc paternæ noſtræ voluntatis officia pro ſuâ erga nos ſanctamque Sedem reuerentiâ gratiſſima eſſe compertum habemus; idcircò eam hortamur, vt, quemadmodum hucuſque fecit, bono fortique animo ſit, neu curis laboribuſque pro Fidei Catholicæ conſeruatione Regnique iſtius incolumitate ſuſcipiendis defatigetur; Regemque ipſum Chriſtianiſſimum natum ſuum, ad conficiendas inteſtini belli reliquias, ad iuſtiſſimas de communibus hoſtibus pœnas ſumendas, ad firmandum ſibi poſteriſque ſuis Regnum nefariorum hæreticorum impio bello labefactatum, incendat atque hortetur: &, quoniam illi, quâ nunc Chriſtianiſſimus Rex eſt, ætati multa à peſſimis conſultoribus pericula imminent, maternâ ſolicitudine prouideat, ne illius animus, aut cuiuſquam peruerſis ſuaſionibus à rerum gerendarum curâ ad voluptatis illecebras traducatur, aut aliorum potiùs quàm tua conſilia audiat. Speramus enim, ſi hæc fecerit, tuiſque fideliſſimis monitis obtemperauerit, Omnipotentem Deum, qui illum è tot inſidiarum periculis ereptum incolumem ſeruauit, pleniſſimam illi Maieſtatique tuæ, vtriuſque pietate, de communibus hoſtibus victoriam pro ſuâ miſericordiâ daturum. Quod vt faciat, nos certè aſſiduis precibus ab eo petere non deſiſtemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Ianuarij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTO-

EPISTOLA III.

Eiuſdem Argumenti.

Henrico Duci Andegauenſi.

Dilecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cogit nos hominum fama, quæ de pace inter chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum fratrem tuum, & hæreticos ipſius rebelles, communeſque omnium Catholicorum hoſtes, propediem conuenturâ conſtanti rumore huc affertur; pro commiſſo nobis, quamuis indignis, Apoſtolicæ ſeruitutis officio prouidere, ne quod in tantâ re, quæ non minùs ad iſtius Regni, quàm ad totius Reipublicæ Chriſtianæ rationes pertinet, debitum paternæ noſtræ ſolicitudinis munus prætermittamus. Hæc nos compulit cauſſa, vt ad Nobilitatem tuam has litteras ſcriberemus, quibus idem illi, quod Regi Chriſtianiſſimo fratri ſuo, ſignificamus, nos quia exploratum habemus nullam Catholicis cum hæreticis eſſe communionem, idcircò illud etiam intelligere, nullam inter Maieſtatem ſuam Chriſtianiſſimam & hæreticos pacem niſi ſimulatam inſidiiſque pleniſſimam eſſe poſſe. Id ipſum Nobilitatem quoque tuam pro ſuâ pietate cognoſcere non dubitamus; quæ eorumdem hæreticorum perfidiam in iſto bello

lo adminiſtrando experta, quid de illis iudicandum ſit, facilè ſtatuere poteſt. Quia verò te potiſſimùm decet Religionis Catholicæ cauſſam Regniq́ue iſtius incolumitatem adiuuare, qui vtramque aduerſus improbiſſimorum hæreticorum nefarium bellum iuſtiſſimis armis magnâ cum tuâ laude tutatus es; idcircò Nobilitatem tuam hortamur, vt ne quid ipſa de ſuâ in perſequendis iſtius inteſtini belli reliquiis diligentiâ remittat, Regemq́ue ipſum Chriſtianiſſimum fratrem ſuum ad idem excitare atque hortari ne deſinat. Nihil certè facere poteſt, quo erga Deum Omnipotentem gratior iudicari poſſis; qui ideò Nobilitatis tuæ gloriam geminis victoriis illuſtrauit, vt eſſet, qui ſuas ſuorumq́ue iniurias non minùs piis aduerſus hæreticos, quàm iuſtis aduerſus rebelles armis vlciſceretur. Quòd ſiqui tibi aliud perſuadere conantur, hos pro comperto habeas, non modò tuæ Regisq́ue Chriſtianiſſimi fratris tui ſalutis hoſtes eſſe, ſed etiam gloriæ tuæ inuidere, Regnumq́ue iſtud in ſeruitutem redigere conari. Quod ne fiat, debes, quantum in te eſt, operam dare, quemadmodum te ſemper facturum eſſe pro certo habemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Ianuarij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA IV.

Eiuſdem Argumenti.

Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro Apoſtolicæ ſeruitutis officio ab Omnipotenti Deo nobis, quamuis indignis, commiſſo, animi noſtri conſcientiæ eâ quâ poſſumus ratione ſatisfacere cupientes, prætermittere nullo modo debemus, quin Maieſtatem tuam his noſtris litteris paternè moneamus, vt in eâ pace, quæ inter te atque hæreticos Dei hoſtes, tuosq́ue rebelles, vel iam conueniſſe vel propediem conuentura eſſe dicitur, conficiendâ etiam atque etiam diligenter videat, quid agat. Nos enim ab omnibus priuatarum rerum noſtrarum rationibus liberi, ſolùm Dei cauſſam, tuamq́ue & iſtius Regni ſalutem, præ oculis habentes, exploratâ re, id quod certiſſimum ſimul ac veriſſimum eſt monemus, talem pacem, non pacem, ſed maiorum iſtius Regni malorum cauſſam fore. Hoc ſi qui ſunt qui aliter credant, quiq́ue Maieſtati tuæ ſecùs perſuadere conentur, hi, credat nobis, aut ipſi ſe decipiunt, aut Maieſtatem tuam aſſentatione corrupti decipiunt: qui tametſi falſo vtilitatis nomine obiecto, Religionis Catholicæ Maieſtatisq́ue tuæ inſuper

per exiſtimationis obliti, neque Deum neque Maieſtatem tuam reuerentur; tamen illud ſaltem conſiderare deberent, eiuſmodi pace conficiendâ Maieſtatem tuam infeſtiſſimos ſibi hoſtes ex aperto latrocinio in domum ſuam non ſine maximo inſidiarum periculo eſſe accepturam. quibus etiamſi, (quod non ſpectamus) ad inſidiandum Maieſtati tuæ voluntas deeſſet; tamen Deus, iuſto diuinæ ſuæ prouidentiæ iudicio, eam illis mentem immittet, vt hac maximè ratione Religionis ſuæ præ vtilitate propriâ neglectæ pœnas expoſcat. Quantum autem, quamque horribile ſit in Dei viuentis manus incidere, qui non ſolùm corruptos hominum mores bellis emendare, ſed propter Regum populorumque peccata Regna conterere, eaque ab antiquis Dominis ad alios transferre ſolet, id manifeſtius eſt, quàm vt hoc exemplis docere neceſſe ſit. Quæ, vt cetera deeſſent omnia, tamen ad faciendam huius rei fidem, vel ipſa ſola temporibus noſtris Græcia ſufficeret; quæ propter Religionis Catholicæ contemptum, amiſſo veteris nobilitatis ſplendore, in duriſſimam infidelium ſeruitutem eſt redacta. Itaque Maieſtatem tuam hortamur, & per Omnipotentem Deum obteſtamur, vt ceterorum exemplis edocta, diligenter cauere velit, ne aduerſus ſe Regnumque ſuum diuinæ animaduerſionis furorem exſuſcitet. Hæc nos Maieſtatem tuam, pro officio noſtro, proque illâ quâ ipſam in Domino

proſequimur paternâ charitate, monere voluimus: quæ ſi paternis noſtris monitis acquieuerit, erit id cùm Maieſtati tuæ vtiliſſimum, tum nobis gratiſſimum: ſin minùs, nos tamen in malis dolorem noſtrum, communionis Reipublicæ Chriſtianæ cauſâ ſuſceptum, hoc ipſo ſaltem conſolabimur, quòd nullum eorum officiorum prætermiſerimus, quæ pro ſuſceptâ communis omnium patris perſonâ Maieſtati tuæ in eiuſmodi re præſtare debebamus; cetera quæ à nobis prouideri non poſſunt, diuinæ miſericordiæ gubernanda relicturi, Deumque Omnipotentem pro Maieſtatis tuæ Regnique iſtius incolumitate, quod vnum nobis supereſt, humiliter rogaturi. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Aprilis, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA V.

Eiuſdem Argumenti.

Carolo Cardinali à Lotharingiâ.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamuis de pace, quæ inter chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Francorum Regem Chriſtianiſſimum & hæreticos Dei hoſtes, Maieſtatisque ſuæ rebelles, cùm ſæpè aliàs, tum quàm maximè hoc tempore conuentura

eſſe

eſſe exiſtimatur, quid ſentiamus, liberè ad Maieſtatem ſuam, & ad circumſpectionem quoque tuam anteà ſcripſerimus; tamen, cùm intelligamus nihilominùs eam in præſentiâ conuenturam eſſe exiſtimari, prætermittere noluimus, quin circumſpectionem tuam, cuius & conſilio & prudentiâ omnia iſtius Regni negotia adminiſtrari compertum habemus, moneamus, vt etiam atque etiam videat, & diligenter conſideret, quid agatur. Nos enim ab omnibus, aut rerum noſtrarum, aut cuiuſquam alterius priuatis rationibus liberi, ſolamque Religionis Catholicæ cauſſam, cum Regis Chriſtianiſſimi ſalute atque vtilitate iſtius Regni coniunctam, præ oculis habentes, re exploratâ iudicamus, nullam Catholicis cum hæreticis pacem niſi fictam aut ſimulatam eſſe poſſe; ſed ſub nomine ſpecioſo pacis inſidioſiſſimum proditionis fraudiſque maleficium latêre: quo illi Chriſtianiſſimum Regem nihil tale metuentem, aut de improuiſo adoriri, aut dolis ac fallaciis circumuenire, Regnoque & vitâ ſpoliare cupiunt. Hoc autem ſi qui ſunt qui aliter credant, eos nos aut præteritarum iſtius Regni rerum parum memores ipſos falli, aut Maieſtatem ſuam fallere velle arbitramur. Regem illum Chriſtianiſſimum opprimere, & perfidioſè circumuenire, non pacem habere volunt. Quod ex eo Maieſtas ſua cognoſcere poterit, quòd quotieſcumque auxilia externa habere poterunt, ipſi primi pacis fœdera rupturi

ſint. Quâ quidem pace quid Christianiſſimo Regi, totique iſti Regno pernicioſius aut periculoſius accidere poteſt? quâ confectâ, primùm quidem Religioni Catholicæ, quod maximum accipere poteſt, vulnus infligitur: deinde eiuſdem Regis dignitati & exiſtimationi turpiſſima ignominiæ labes aſpergitur: poſtremò infeſtiſſimis hoſtibus ad occultas inſidias & coniurationes aditus aperitur. Quibus quidem audendis rebus, etiamſi illis voluntas deeſſet; tamen Deus iuſto prouidentiæ ſuæ iudicio eam illis mentem immittet, vt hac maximè ratione neglectæ ſuæ Religionis pœnas, ab his qui eam neglexerunt, expoſcat. Quocircà circumſpectionem tuam hortamur, & per Deum Omnipotentem obſecramus, vt memor pietatis, quam Omnipotenti Deo Religioniq́ue Catholicæ debes, memor fidei quam turbulentiſſimis iſtius Regni temporibus egregiam præſtitiſti ſemper, memor eius quam ſuſtines perſonæ, eiuſmodi de pace conſilia atque actiones diſturbare ac diſijcere coneris, nec vllo modo aut Catholicam Fidem, talem tantamq́ue in iſto Regno plagam accipere, aut Chriſtianiſſimi Regis ſalutem, iſtiuſq́ue Regni incolumitatem in tale tantumq́ue diſcrimen adduci patiaris. Erit hoc circumſpectionis tuæ officium tali tempore Omnipotenti Deo acceptiſſimum, fideique tuæ conſtantiâ digniſſimum; nobis autem ipſis, qui de iſtius ſucceſſu pacis pro Paſtorali noſtrâ ſolicitudine maximè labo-

laboramus, gratiſſimum. Ad quod pluribus te quoque verbis hortaremur, niſi pro comperto haberemus, te in eo quod ad Religionis Catholicæ defenſionem, Regisque Chriſtianiſſimi ſalutem tantoperè pertinet, nullas officij tui partes eſſe prætermiſſurum. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA VI.

Ineundæ cum hæreticis pernicioſæ pacificationis conſilia reprobat; Cardinalemque Borbonium, vt id, quoad eius fieri poſſit, impediat, Catholicamque Religionem ſtrenuè pro munere ſuo protegat, hortatur.

Carolo Cardinali Borbonio.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod pro Paſtorali officio nobis, quamuis indignis, ab Omnipotenti Deo commiſſo, ſedulò fecimus, vt, quotieſcumque de pace inter chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Francorum Regem Chriſtianiſſimum & hæreticos Dei hoſtes Maieſtatisque ſuæ rebelles conuenturâ ad nos allatum eſt, de eâ ipſâ quid ſentiremus, liberè ad Maieſtatem ſuam, & circumſpectionem quoque tuam, ſcriberemus; id etiam hoc tempore, quo eamdem pacem conuenturam eſſe intelligi-

telligimus, prætermittere nullo modo potuimus: nam ſi quis eſt, qui aliquam inter Chriſtianiſſimum Regem & nefarios hæreticos, communes omnium Catholicorum hoſtes, pacem veram ac ſtabilem conuenire poſſe exiſtimet; is aut rerum iſtius Regni præteritarum immemor ſeipſum imprudenter decipit, aut earum memor Maieſtatem ſuam Chriſtianiſſimam perfidiosè decipit. Vt enim nulla poteſt eſſe ſatanæ cum filiis lucis communio; ita nec inter Catholicos quidem & hæreticos vlla pacis compoſitio, niſi ficta fallaciarumque pleniſſima, fieri poteſt. Quâ de re nemo ſanæ mentis eſt qui dubitare poſſit, qui modò improbiſſimorum hæreticorum nefarias coniurationes contra Regis Chriſtianiſſimi caput Regnique incolumitatem anteà ſæpè initas recordetur. Opprimere illum Regem ſub falſo ſpecioſoque pacis nomine, eumque Regno ac vitâ ſpoliare, non pacem habere volunt. Quod ex eo Maieſtas ſua cognoſcere poterit, quòd quotieſcumque illi auxilia externa habere poterunt, primi pacis fœdera rupturi ſunt: quibus audendis rebus, etiamſi illis, quod non putamus, voluntas deeſſet; tamen Deus iuſto prouidentiæ ſuæ iudicio eam illis mentem immittet, cùm viderit in huiuſmodi pace, quâ Religioni Catholicæ, maximum quod accipere poteſt, vulnus infligitur, nullam diuini ſui honoris ab his qui debebant habitam eſſe rationem. Quid enim aliud in tali pace, prærter-

quam

quam Religionis Catholicæ in iſto Regno interitus, Regis Chriſtianiſſimi dignitatis & exiſtimationis labes, eiuſdemque ſalutis manifeſtum diſcrimen continetur? Quæ cùm ita ſint, circumſpectionem tuam hortamur, & quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus requirimus, vt pacis tam ignominioſæ, tamque pernicioſæ conſilia & actionem totam impedire ac diſturbare velit; & his qui illam Regi Chriſtianiſſimo perſuadere conantur, fortiter ſe opponere ſtudeat: hoc enim officium primò quidem Omnipotenti Deo debet, de cuius Religione ſanctiſſimâ vel retinendâ vel amittendâ in iſto Regno agitur; deinde Chriſtianiſſimo Regi, cuius Maieſtas in rerum ſuarum gubernatione tuo potiſſimùm conſilio tuâque fide nititur; poſtremò etiam perſonæ, quam ſuſtinet. Quam quidem ad rem pluribus quoque te verbis hortaremur, niſi hæc ipſa ſatis eſſe putaremus, niſique firmiter ſperaremus, te in his rebus, quæ ad Fidei Catholicæ Regiſque Chriſtianiſſimi ſalutem ac dignitatem tantoperè pertinent, nullas officij tui partes eſſe prætermiſſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA VII.

Factam inter Regem & rebelles hæreticos pacem, vt Regi Regnoque, & Catholicæ Religioni infauſtam & pernicioſam improbat; Cardinalemque ad munus ſuum in ipſius Religionis tutelâ ſtrenuè præſtandum cohortatur.

Carolo Cardinali Borbonio.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non tam facilè verbis explicare circumſpectioni tuæ animi noſtri dolorem poſſumus, quem ex iſtius inter Chriſtianiſſimum Regem & hæreticos pacificationis nuntio accepimus, quàm tu, pro tuâ prudentiâ, id exiſtimare potes: quantùm enim nobis & bonis omnibus dolenda, quàm periculoſa, quamque Maieſtati ſuæ Chriſtianiſſimæ pœnitenda ſit ea pacificatio, in quâ victi hæretici victori Regi tam nefarias tamque exitiales Catholicæ Religioni leges impoſuerunt, ſine lacrymis exequi non poſſumus. Qui quidem Rex, vtinam, id quod veriſſimum manifeſtiſſimumque ſimul eſt, intelligere potuiſſet, maiora ſibi confectâ hac pace ab hæreticorum occultis inſidiis atque fallaciis, quàm, durante bello, ab eorumdem aperto latrocinio pericula imminere; numquam in eam ſententiam adductus eſſet, vt vllam cum perfidioſiſſimis

ſiſſimis hominibus, infenſiſſimiſque hoſtibus, pactionem ſibi tutam eſſe exiſtimaret. Quò magis verendum eſt, ne & ipſum Regem, & eos qui huiuſmodi pacificationi ſunt aſſenſi, dederit Deus in reprobum ſenſum, vt videntes non viderent, & audientes non audirent, ea quæ & videnda & audienda fuerunt. Quæ quamuis ita ſint, & peccatis noſtris facientibus, eas quas numquam putaueramus, in Chriſtianiſſimo Regno Religionis Catholicæ labes videre cogamur; non tamen animo deficimus, ſed fortitudinem noſtram ad Deum cuſtodimus, memores eius nos vices in terris, quamuis indignos, gerere, qui cuſtodit veritatem in ſæculum, neq; confundit ſperantes in ſe. Quò autem peiore loco iſtius Regni res ſunt, quàm quo adhuc fuerunt, eò magis te & reliquos, qui in eo ſunt, principes viros, & orthodoxæ Fidei ſtudioſos excitandos, officijque ſui admonendos eſſe putamus. Ex quorum numero cùm circumſpectionem tuam nemini pietate diuinique honoris zelo concedere pro comperto habeamus; faciendum nobis eſſe exiſtimauimus, vt eam turbulentiſſimo iſtius Regni tempore ad fidem ſeruandam, ad reſiſtendum hæreticis, ad bonum contra eos certamen certandum, his litteris hortaremur. Meminiſſe autem debes, te vnum eſſe ex numero Venerabilium Fratrum noſtrorum, qui è noſtro gremio, & huius ſanctæ Catholicæ ac Romanæ Eccleſiæ ſinu prodieris, qui te ſanctiſſimo iure-

iurando adhibito ad profundendum pro eius defenſione ſanguinem obſtrinxeris: idcircò enim purpuream veſtem indueris, vt vel hoc ipſo ſigno eius charitatis admonearis, quam in defendendâ orthodoxâ Religione Redemptori noſtro, atque eius ſanctiſſimæ Eccleſiæ, cuius honorabile membrum factus es, præſtare debes. Hæc igitur cogitans, & in eo fiduciam tuam reponens, cuius dextera inuenitur ſuper omnes qui illum oderunt, fac in illo virtutem, vocationem tuam firmiter tene, Catholicam Religionem quouis periculo propoſito defende, hæreticorum conatibus, quantum potes, obſiſte; Omnipotentis Dei cauſſam ſuſtine, & quibus potes auxiliis iacentem in iſto Regno Religionis Catholicæ ſtatum erigere ſtude. Quod ſi feceris, non ſolùm laboris tui fructum, æternæ præmium remunerationis, à Redemptore noſtro accipies; ſed etiam apud homines gloriam & laudem conſequêris: ſi verò (quod abſit) officium tuum, tam neceſſario tempore, quauis de cauſsâ prætermiſeris; non ideò tamen deerunt Omnipotenti Deo viæ, quibus cauſſam ſuam defendat, præſertim multorum, qui in iſto Regno reliqui ſunt, hominum populorumque Catholicorum precibus adiuuantibus. Tu verò, niſi hoc tempore Deo ac Religioni, perſonæque tuæ, atque huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, quod debes perſolueris; fruſtrà ad hoc agendum aliud tempus requiſiturus es. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo

nulo

nulo Piſcatoris, die XXIII. Septembris, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA VIII.

Eiuſdem Argumenti.

Carolo Cardinali à Lotharingiâ.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores facti de pacificatione inter chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Francorum Regem Chriſtianiſſimum & hæreticos initâ (ſi modò pacificatio appellanda eſt ea, in quâ tam nefariæ tamque exitiales Religioni Catholicæ leges ab hominibus improbiſſimis Maieſtati ſuæ Chriſtianiſſimæ ſunt impoſitæ) magnum cepimus animo dolorem; talem ſcilicet, qualem par fuit, nos ex tantâ Regni iſtius anteà non minùs rei militaris, quàm Religionis laude florentiſſimi calamitate accipere. Nos enim ita exiſtimamus, maiorem ex tali pacificatione Regnum iſtud plagam accepiſſe, quàm quantam ſuperioribus annis acceperit, ex quo tempore inteſtinis hæreticorum ſeditionibus laborare incepit. Regi autem ipſi Chriſtianiſſimo maiora nunc ab hoſtium fraude atque inſidiis, manente tali pace, imminere pericula arbitramur, quàm ea fuerunt, in quibus, durante bello, verſari viſus eſt. Quamuis autem, peccatis

noſtris facientibus, in eum locum adducta res ſit, vt eas, quas numquam putaueramus, in Regno Chriſtianiſſimo Religionis Catholicæ labes videre cogamur; non tamen idcircò animo deficimus, memores nos in eo ſpes noſtras omnes collocatas habere, cuius vices in terris quamuis indigni gerimus: in quo qui ſperant, non confunduntur ab exſpectatione ſuâ. Sed quò peiore loco res iſtius Regni ſunt, quàm quo hucuſque fuerunt, eò te & reliquos, qui in eo ſunt, principes viros, Religionis Catholicæ ſtudioſos, excitandos monendosque arbitramur, vt orthodoxam Fidem, hæreticorum malitiâ & Catholicorum ſegnitie quotidie in deterius labentem, quantum eſt in vobis, ſuſtentetis, fidem ſeruetis, bonum certamen aduerſus noſtri Redemptoris hoſtes certetis. Quod officium ſi quis vmquam Omnipotenti Deo atque huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ præſtare debuit, tu certè is es; propterea quòd à Deo tot ſpiritualibus temporalibusque bonis ornatus, à ſanctâ autem hac Sede Apoſtolicâ tot honoribus beneficiisque ſis affectus, vt æquum ſit, eam his turbulentiſſimis temporibus potiſſimùm à tuâ virtute atque conſtantiâ ſibi præſidium ac ſolatium expectare. Meminiſſe debes, te vnum eſſe è numero Fratrum noſtrorum, qui è gremio noſtro, & Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum magiſtræ ſinu prodieris: qui idcircò purpuream iſtam veſtem indueris, vt ab eâ illius iuriſiurandi admonearis,

quod

quod ſanctæ huic Romanæ Eccleſiæ, eiuſque Maximis Pontificibus præſtitiſti; quo ſcilicet te ad profundendum pro eâ ſanguinem, ſi opus fuerit, obſtrinxiſti. Hoc igitur cogitans, & in eo ſpem tuam repoſitam habens, qui ſuper timentes ſe miſericordiam ſuam corroborauit, ſuſtine Dominum: honorificum miniſterium tuum & vocationem tuam ne deſeras: Catholicam fidem, quouis propoſito periculo, conſtanter defende: hæreticorum conatibus, quantum potes, reſiſte. Quod ſi feceris, quemadmodum te facturum eſſe pro certo habemus, non ſolùm ab Omnipotenti Deo laboris tui fructum, æternæ remunerationis mercedem, accipies, ſed etiam apud homines tam præclaræ actionis nomine laudem maximam conſequêris: ſi verò, quod abſit, aliter feceris, illud cogita, res iſtius Regni quamquam peſſimo loco ſint, non adeò tamen deſperatas eſſe, vt eas iacentes ac ferè oppreſſas, miſericors & miſerator Dominus, multorum qui adhuc in eodem Regno reliqui ſunt, fidelium Catholicorumque hominum ac populorum precibus exoratus, excitare atque erigere non poſſit: cuius te coadiutorem non fuiſſe, tam tibi ignominioſum in poſterum, quàm omni quó vixeris tempore ærumnoſum eſt futurum. Nam Deo quidem, cuius inueſtigabiles viæ ſunt, non deerit facultas vel ex ipſis lapidibus filios Abrahæ ſuſcitandi. Tu, ſi hoc tempore officium vocationemque tuam deſerüeris, nec
aliud

aliud tempus habere poteris, in quo Religioni Catholicæ, perſonæ tuæ, nobis atque huic Sedi Apoſtolicæ, quod debes, perſoluere poſſis. Hæc ideò pluribus verbis ad circumſpectionem tuam ſcripſimus, quia id & rei ipſius magnitudo poſtulare nobis viſa eſt, & quia nullas officij noſtri partes ipſi prætermittere voluimus, qui te ad id faciendum hortabamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Septembris, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA IX.

Epiſcopum Herbipolenſem hortatur, ne quempiam à Catholicâ Religione alienum, aut hæreſis ſuſpectum, in illius Eccleſiæ Sacerdotum Collegium recipi permittat.

Ven. Fratri N. Epiſcopo Herbipolenſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia nuper ad nos allatum fuit, quoſdam à fidei Catholicæ profeſſione alienos, conatos eſſe ad Eccleſiæ tuæ Capitulum Collegiumque per factionem obrepentes aſpirare; idcircò tum præſentis indignitate rei, tum futuri quoque periculi magnitudine commoti, dilectis Filiis Capitulo eiuſdem Eccleſiæ litteras dedimus, quibus eis diſtrictè præcipientes mandauimus, ne quem à Religione Catholicâ alienum, ſiue alioquin hæreſis ſuſpectum, quantumuis illuſtrem aut potentem,

in

in Capitulum Collegiumque iſtius Eccleſiæ vllo modo recipiant; eâ de re viſum nobis eſt ad Fraternitatem quoque tuam ſcribere, eamque, vt facimus, in Domino hortari, vt pro Paſtorali ſolicitudine quam debet Eccleſiæ ſuæ, hoc noſtrum mandatum obſeruari cuſtodirique curet. Contra quod ſi quid factum fuiſſet secùs, fieríve contigerit, id omne irritum atque inane eſſe decernimus. Facile omnino eſt, ad hæreticorum prauitatem præcauendam, malorum initiis ſubſiſtere; ſed ſi patefacto ſemel ipſorum improbitati aditu corroborata fuerint, difficillimum tot tantarumque hæreſum naſcentibus malis occurrere; quibus dein confirmatis medicinam inuenire non poſſumus. Hoc igitur & exemplo admonitus, & fraternis noſtris hortationibus excitatus, in eam curam ſedulò incumbe, vt inimico homini ad ſuperſeminanda zizania omnes vias omneſque aditus intercludas: à quo quidem officio Eccleſiæ tuæ præſtando nullius te aut periculi denuntiatio deterreat, aut quorumuis potentum vel offenſio reuocet, vel gratia illiciat: memor, ſi quid ſecùs feceris, aut quod faciendum fuit omiſeris, de eo æterno illi Iudici reddendam eſſe rationem; qui non ſecundùm faciem iudicaturus eſt, ſed ex ſingulorum merito vnumquemque noſtrûm æternâ vel pœnâ vel præmio remuneraturus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Februarij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

Oo EPISTO-

EPISTOLA X.

Comites Catholicam Religionem contra Eliſabetham in Angliâ vindicare conantes benignè conſolatur, eorumque pios conatus & ſtudia valdè commendat. Vide lib. III. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Dilectis Filiis, Thomæ Comiti Northumbriæ, & Carolo Comiti VVeſtemerlandiæ in Angliâ.

DIlecti Filij, nobiles viri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex litteris veſtris VIII. Nouembris die ad nos datis, quibus XVI. Februarij ad nos allatis ſubitò reſcripſimus, iſtius florentiſſimi Regni miſerias & calamitates, ne anteà quidem nobis incognitas, certiùs ſubtiliusque cognoſcentes, eo animi dolore affecti ſumus, quem & eorum malorum quæ in vobis patimur indignitas, & paternus noſter erga vos ceterosque Catholicos in iſto Regno viros animus nobis afferre debuit. Nam præter illud commune Paſtoralis charitatis officium, quo in omnium Chriſti fidelium, ſingularumque Prouinciarum in quibus nomen colitur Chriſtianum, ſalute vel calamitate lætari aut dolere debemus; præcipuâ quadam amoris beneuolentiæque prærogatiuâ erga iſtud Regnum afficimur, quòd beatiſſimi Gregorij Romani Pontifi-

cis prædeceſſoris noſtri poſt Deum Omnipotentem operâ atque induſtriâ à cultu lignorum ac lapidum aliquando ad Chriſtianam Fidem conuerſum, moribus doctrinâque Catholicâ per idoneos viros iſthuc ab eo miſſos inſtitutum eſſe meminimus; quodque egregiam fidem deuotionisque ſinceritatem Apoſtolicæ Sedi præſtare conſueuerat. Itaque quantoperè veſtris Regnique iſtius malis his, quæ eiſdem litteris non minùs verè quàm miſerabiliter deplorauiſtis, doleamus ac conturbemur, non facilè verbis conſequi poſſemus. Dolemus tot tantaque nefariarum hæreſum venena, tamque mortifera Reipublicæ Chriſtianæ vulnera, in noſtri Pontificatus tempora potiſſimùm incidiſſe: conturbamur, quia de veſtro ceterorumque Catholicorum periculo ſoliciti eſſe cogimur. ſed tamen cùm eius orationis efficaciam recordamur, qui pro B. Petro, ne eius deficeret fides, rogauit, quique Eccleſiam ſuam in tribulatione dilatans, eò admirabiliùs occulti ſui conſilij prouidentiâ gubernat, quò magis eam perturbationum fluctibus cernit agitari; non deſperamus, quin quod aliis temporibus factum eſſe accepimus, idem noſtris quoque, adiuuante Domino, fieri poſſit: vt quæ hæreticorum inualeſcente perſecutione ſæpè viſa fuerit conculcari, hæc eadem, Domino cum eâ ſignum in bonum faciente, in antiquæ felicitatis ſtatum redeat; & in eo incrementum accipiat, in quo viſa ſit detrimentum pertuliſſe. Ecce

enim nunc, qui ex veteribus noua, & ex nouis vetera facit, Dominus noſter Iesvs Christvs, per vos chariſſimos viros non minùs generis nobilitate quàm Catholicæ pietatis ſtudio inſignes, veterem Eccleſiæ Romanæ Regnique iſtius coniunctionem renouare & confirmare fortaſſe conſtituit; ac propterea mentem iſtam veſtræ Fidei Catholicæ zelo digniſſimam vobis iniecit, vt vos, Regnumque iſtud ex turpiſſimâ muliebris libidinis ſeruitute ereptum, ad priſtinam huius ſanctæ Romanæ Sedis obedientiam reuocare tentaretis. Quem quidem pium ac religioſum animi veſtri conatum, ſicut æquum eſt, debitis in Domino laudibus commendantes, & eâ, quam petitis, benedictione noſtrâ proſequentes, Nobilitates veſtras ad noſtram huiuſque ſacroſanctæ Sedis, cuius ſe auctoritati ſubijciunt, poteſtatem tutelamque confugientes, eâ quâ decet benignitate recipimus atque excipimus: hortantes vos in Domino, & quo maiore poſſumus animi noſtri ſtudio rogantes, vt in hac tam egregiâ voluntate laudabilique inſtituto veſtro conſtanter perſeueretis: pro comperto habentes, Omnipotentem Deum, cuius perfecta ſunt opera, quique vos ad benè de Religione Catholicâ in iſto Regno merendum excitauit, vobis auxilio ſuo affuturum. Quòd ſi etiam in aſſerendâ Catholicâ Fide, huiuſque ſanctæ Sedis auctoritate, mors eſſet vobis oppetenda, profundendúsque ſanguis; multò præ-

ſtat

ſtat pro Dei confeſſione glorioſæ mortis compendio ad æternam vitam conuolare, quàm turpiter & ignominioſè viuentes impotentis feminæ cupiditati cum animæ veſtræ detrimento ſeruire. Nolite enim putare, dilecti Filij in CHRISTO, malè cum illis vel Epiſcopis vel Principibus iſtius Regni Catholicis, quos nominatis, actum eſſe: qui, quoniam à Fidei Catholicæ confeſſione deficere noluerunt, aut in carceres coniecti aut aliis ſuppliciis immerentes affecti ſunt: horum enim conſtantiam, etiam nunc recenti, vt arbitramur, beati Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis exemplo confirmatam, nemo ſatis pro dignitate laudare poteſt. Hanc eamdem vos quoque imitati, forti conſtantique animo eſtote, nec vllorum periculorum denuntiatione aut minis ab incepto deſiſtite: potens eſt enim Deus, in quo ſpem veſtram repoſitam habere debetis, qui Pharaonis currum & exercitum eius proiecit in mare, aduerſariorum ſuorum vires potentiamque frangere, ſic vt per vos priſtina Religio & antiqua dignitas iſti Regno reſtituatur. Quod quidem vt fiat, nos non ſolùm his quæ poſtulatis apud eos quos vultis Chriſtianos Principes fungendis officiis adiuuabimus; ſed etiam eâ pecuniæ ſummâ in præſentiâ conferendâ, quam pro noſtris viribus petentibus vobis ſuppeditare poterimus; quemadmodum à dilecto Filio Roberto Rodulfo clariùs & copioſiùs intelligetis; daturi quoque operam, vt aliquantò etiam

maiorem, quàm quantum virium noſtrarum imbecillitas ferre poteſt, conferamus, piumque conatum veſtrum omnibus, quibus cum Domino poterimus rebus facultatibusque noſtris, prompto atque alacri animo adiuuemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX. Februarij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XI.

Regem Francorum ad ſociale fœdus contra Turcas ineundum cohortatur. Vide lib. IV. *Vitæ* PII V.

Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Præſentium temporum calamitates, perturbatiſſimumque Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum, & tot mortifera Religionis Catholicæ vulnera intuentes, tanto animi dolore afficimur, vt vitam ipſam, quam ducimus, acerbam nobis & grauem experiamur: quippe iam inde à principio ſuſcepti à nobis ſummi Apoſtolatus officij, Reſpublica Chriſtiana, peccatis noſtris id facientibus, tot vbique bellorum incendiis exarſit, tot crudeliſſimorum hæreticorum aduerſus proprios Principes nefariis coniurationibus vexata eſt, & adhuc vexatur, vt Catholica ipſa Fides, & Chriſtiana Religio in extremum diſcrimen adducta,

cta, numquam conquietura eſſe videatur. Impletum temporibus noſtris Regij Prophetæ videmus oraculum, atque aduerſus Omnipotentem Deum, & Chriſtum Redemptorem noſtrum, ſanctiſſimamque illius Eccleſiam, omnes qui ſunt hæreticos, ſchiſmaticos atque infideles conueniſſe cernimus. Quem diuini honoris zelo vel mediocriter accenſum, quem communis Chriſtianorum populorum ſalutis parum etiam ſtudioſum, tot tantorumque malorum obiecta mentis oculis facies non commoueret? Quali igitur quantoque animi mœrore nos affici putas, ad quos, propter totius orbis Chriſtiani ſalutem animarum ab Omnipotenti Deo nobis commiſſam, talium tantorumque malorum dolor & cura præcipuè pertinere dignoſcitur? quis enim infirmatur, & nos non infirmamur? quis ſcandalizatur, & nos non vrimur? Ne quis autem veteribus malis nouæ calamitatis cumulus deeſſet, ecce nunc immaniſſimus Turcarum Tyrannus, claſſe maximâ inſtructâ, magnis equeſtribus pedeſtribusque copiis collectis, bellum ingenti conatu aduerſus Chriſtianos molitur; ruptoque fœdere, quod ipſi ad hanc diem cum Venetis fuit, Chriſtianis Regibus atque Regnis exitium, agris vaſtitatem, vrbibus minatur incendium. Nos autem quid agimus, chariſſime in CHRISTO Fili? An vicinorum populorum & Principum tectis mox Turcico bello arſuris, donec ad nos flamma perueniat, expectamus? Præteriit illud

illud tempus, cauſſæ etiam ipſæ ampliùs non ſunt, ob quas cum communi Chriſtiani nominis hoſte maiores tui amicitiam ſibi potiùs habendam quàm bellum gerendum eſſe exiſtimarunt: quæ ſi etiam adhuc eædem manerent; tamen eſſet Chriſtianiſſimi Regis Maieſtatis, communis Reipublicæ Chriſtianæ ſalutis quàm Regni proprij incolumitatis maiorem habere rationem, neque his qui Dominum oderunt amicitiâ coniungi, ne propter impiorum amicitiam diuinam in te ipſum iram prouocares. Nunc verò eò deducta res eſt, vt, niſi communi Chriſtianorum Principum conſilio atque ope, communi totius orbis Chriſtiani periculo ſubueniatur, cadendum ſit in miſerrimam turpiſſimamque crudeliſſimi Tyranni ſeruitutem. Quod ne eueniat, Maieſtatem tuam pro ſuâ in Deum pietate, & honeſtiſſimo Chriſtianiſſimi Regis ſuſcepto à ſe cognomine, præcipuè decet adiuuare; cumque chariſſimo nobis in CHRISTO Filio Hiſpaniarum Rege Catholico, ad quem de hac ipsâ re diligentiſſimè ſcribimus, ac Venetorum Republicâ, ceteriſque Chriſtianis Principibus, aduerſus communes hoſtes fœdus inire. à quo ineundo, ne iſtius quidem inteſtini hæreticorum belli, quo Regnum ſuum vexatur, cura deterrere Maieſtatem tuam debet. Quamuis enim domeſtico impedita tumultu, haud ita magnas vires ad propulſandum commune periculum afferre potuerit; tamen ineundo fœdere magnam

gnam Reipublicæ Chriſtianæ afferet vtilitatem. Audita enim modò tot Chriſtianorum Principum contra communem hoſtem belli ſocietas, ad retardandum ferociſſimæ gentis impetum, illiusque impium conatum frangendum, maximè valebit. Quæ cùm ita ſint, Maieſtatem tuam hortamur, & per Omnipotentem Deum obſecramus, vt noſtris paternis vocibus auditis, totius Chriſtiani populi ſalutem cùm tuâ quoque incolumitate coniunctam, in extremum diſcrimen adductam, pro tuâ parte ſubleuare contendas, ineundoque cum reliquis Chriſtianis Principibus fœdere, & quibuſcumque poteris rebus communi incendio obuiàm eundo, nullisque rebus prætermittendis, quæ ad Turcicum bellum à Chriſtianorum finibus propulſandum vtiles ſint; ſuam erga Deum Omnipotentem pietatem, diuinique honoris zelum, toti orbi Chriſtiano oſtendat: quod eam pro ſuâ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam reuerentiâ facturam eſſe magnoperè in Domino confidimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Martij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XII.

Regem Francorum à Turcicâ amicitiâ reuocat, & ad ſociale bellum contra Turcas ſuſcipiendum adhortatur. Vide lib. II. *cap.* IV. *& lib.* IV. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus litteras tuæ Maieſtatis proximè ad nos ſcriptas ſuper fœdere nobiſcum & cum reliquis Chriſtianis Principibus aduerſus communes omnium Chriſtifidelium hoſtes Turcas ineundo, ad quod eam ſuperioribus diebus in Domino vehementer hortati fueramus. In quibus quod Maieſtas tua ſcribit, facilè credimus, illam ſcilicet, tum publico Chriſtianæ, tum etiam priuato Reipublicæ Venetæ nomine magno dolore affectam eſſe, ob ea quæ de belli Turcici aduerſus eamdem Rempublicam apparatu ex noſtris litteris cognouerat: dolor enim ex communi populi Chriſtiani calamitate periculoque conceptus, ex omnibus Regibus Chriſtianiſſimis ad neminem magis quàm ad eum pertinere videtur, qui Chriſtianiſſimi cognomen, maiorum ſuorum præclariſſimis rebus contra infideles geſtis partum, per manus traditum accepit. In eiſdem tamen litteris aliquid fuit, quod nec ſine paruâ admiratione, nec

ſine

ſine magno dolore legimus; & de quo cum Maieſtate tuâ liberè, vt perſonam noſtram decet, expoſtulandum eſſe iudicauimus. Sic enim Maieſtas tua ſæuiſſimum & crudeliſſimum Tyrannum, eumdemque acerrimum hoſtem Chriſtianæ Religionis, Turcarum Imperatorem appellat; quaſi aut ille veri Dei expers omnino Imperator eſſe poſſit, aut ipſa præclariſſimi ſui cognominis oblita ſit. Nihil aliud eſt, chariſſime in CHRISTO Fili, Tyrannum & infidelem Imperatorem appellare, quàm malum bonum, & bonum malum dicere. An neſciat Maieſtas tua, ſe eiuſmodi nomine Omnipotentis Dei hoſtem appellantem, omnibus Chriſtifidelibus, qui audiuerint, offendiculum & ſcandalum obijcere? cuius amicitiam cum clariſſimis Regibus inclytæ memoriæ maioribus ſuis inchoatam, quòd ſe quoque publicæ Chriſtianorum vtilitatis cauſsâ retinere ſcribit, valdè nos Maieſtatem tuam in eâ re falli putamus: non enim facienda mala ſunt, vt inde eueniant bona. Quâ quidem culpâ carere non poterit Maieſtas tua, ſi vel ſui vel alterius cuiuſquam emolumenti cauſsâ cum infidelibus habendam ſibi eſſe amicitiam putauerit. Cur enim his qui Dominum oderunt, amicitiâ iungitur? cur maiorem in homine, & illo quidem infideli, quàm in Redemptoris noſtri prouidentiâ fiduciam ponit? Non enim Turcæ minùs nunc Dei hoſtes ſunt, quàm olim Benadad Syriæ Rex fuerit; cum quo Aſa Rex Iuda quo-

niam amicitiâ & fœdere coniunctus fuit, idcircò eiuſdem Omnipotentis Dei contra ſe irâ prouocatâ, multis aduerſus eum bellis inſurgentibus meruit affligi. Regnum ipſum tuum, chariſſime Fili, quot quantiſque bellorum inteſtinorum incendiis multos iam annos vexatum ſit, & adhuc vexetur, ipſe experiris: quibus quidem bellis ſi eiuſmodi Turcarum amicitiam cauſſam dediſſe dixerimus, non longè à vero abibimus: ſolet Deus talium peccatorum pœnas, patribus debitas, à filiis etiam quandoque eiuſmodi delictorum expertibus repoſcere; quantò magis repoſcet ab his, qui ipſi quoque facta parentum ſibi duxerint eſſe imitanda? Fruſtrà contra hæreticos bellum gerimus, ſi eodem tempore cum Turcis, non ſolùm pacem, ſed etiam amicitiam habemus. Quocircà Maieſtatem tuam, pro noſtrâ erga eam paternâ beneuolentiâ, etiam atque etiam monemus, & per Omnipotentem Deum obteſtamur, vt talem amicitiam quaſi quamdam peſtem fugiat. Fallitur enim, ſi exiſtimat, eum, qui omnium Chriſtianorum Principum communis hoſtis eſt, tibi ſoli eſſe amicum: ſimulat ille amicitiam, & iiſdem artibus, quibus tot opulentiſſimos in Europâ atque Aſiâ Reges deleuit, Maieſtatem tuam Regno ſpoliare cupit. Nullum illi Tyranno iuſiurandum, nulla fœdera ſancta ſunt: cuius rei documenta multa afferre poſſemus, niſi hoc belli Venetorum Reipublicæ nullâ de cauſsâ nuper indicti

dicti recentiſſimum exemplum haberemus: quo, niſi penitus cæçi ſint, admoneri poſſunt ceteri Principes, nullam apud gentem perfidiæ crudelitatisque pleniſſimam amicitiam tutam eſſe. Illa pars litterarum ſuarum gratiſſima nobis fuit, in quâ & de coniungendis mutuo inter ſe fœdere aduerſus communem hoſtem Chriſtianis Principibus conſilium noſtrum Maieſtas tua magnoperè laudat, & ad rem tam præclaram ac Reipublicæ Chriſtianæ tam ſalutarem conficiendam, omnes ſibi à Deo conceſſas vires liberaliſſimè nobis pollicetur ac defert; daturamque ſe diligenter operam eſſe profitetur, vt omnes agnoſcant, Maieſtatem ſuam Principem eſſe non minùs re quàm nomine Chriſtianiſſimum. Quod quidem quomodo præſtare poſſit, ſi cum infidelibus amicitiam habere voluerit, non videmus. Probauimus maiorem in modum maximum hoc ſuum erga Religionem ſtudium, animumque ad iuuandum Chriſtianam Rempublicam propenſum debitis in Domino laudibus vehementer commendauimus, & commendamus; Maieſtatem tuam hortantes, vt quemadmodum Chriſtianiſſimo Rege dignum eſt, eorum maiorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum pietatem militaremque virtutem ſibi imitandam proponat, qui pro Dei honore, pro fide ac Religione Chriſtianâ tuendâ ac propagandâ, tantas res in Europâ atque Aſiâ tamque præclaras geſſerunt: vt ſciant omnes gentes, propriam hanc

eſſe laudem Galliæ Regum, bella gerere cum infidelibus, eiuſque rei cauſsâ nullum certamen ſubterfugere, nullum periculum recuſare. quod Maieſtatem tuam, pro animi ſui magnitudine, diuinique honoris zelo, facturam eſſe pro certo habemus. Super his autem & aliis quibuſdam rebus Venerabili Fratri Fabio Epiſcopo Caiacenſi, noſtro & Sedis Apoſtolicæ apud Maieſtatem tuam Nuntio, quædam Maieſtati tuæ noſtro nomine exponenda mandauimus: cuius orationi vt perinde fidem habeat, ac ſi nos ipſos præſentes ſecumque loquentes audiret, Maieſtatem tuam rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Iunij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XIII.

Afflictæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum deplorat, vt Regem Hiſpaniarum ad opem Eccleſiæ ferendam, ac fœderis ſocietatem contra Turcas ineundam permoueat; idque ab eo etiam atque etiam petit. Vide lib. IV. *cap.* I. *& lib.* II. *cap.* VII. *Vitæ* PII V.

Philippo II. Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm præſentem Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum intentis in eum noſtræ mentis oculis intuemur, ita multa

vbique

vbique miſerabilia calamitoſaque nobis obijciuntur, vt ſæpè lacrymis animi noſtri dolorem, ob tot tantasque populi Chriſtiani miſerias calamitatesque ſuſceptum, teſtificantes, atque vnà cum Apoſtolo diſſolui cupientes, illud Eliæ Prophetæ vſurpare cogamur: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum quàm patres mei. Quippe in eiuſmodi tempora Pontificatus noſter incidit, vt in his viuere nos non ſolùm pigeat, ſed etiam quodammodò pudeat: etenim quocumque oculos vertimus, omnem vbique ferè Catholicæ Fidei integritatem corruptam, omnem veteris Eccleſiæ ſpeciem decoloratam, & quaſi ſublatam cernimus: ancillam videmus, quæ fuit libera, & Domina gentium. Atque, vt veteres populi Chriſtiani clades omittamus, nónne ipſi nos, vixdum ſuſcepto Apoſtolicæ ſeruitutis officio, Turcarum Tyrannum maximis copiis ad occupandas Hungarici Regni reliquias profectum, chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri Maximiliani in Imperatorem electi ceruicibus totiusque Germaniæ exitio imminentem, tantum-non oculis noſtris aſpeximus? Quòd niſi illam periculoſiſſimi belli flammam Redemptor noſter, ſeruorum ſuorum precibus exoratus, ipſius immaniſſimi Turcarum Imperatoris morte misericorditer extinxiſſet, facilè eodem incendio tota Germania conflagraſſet; patefactoque ab eâ parte ſemel in Italiam aditu, communes Chriſtianorum hoſtes eamdem

dem prouinciam ferro ac flammis vaſtantes vidiſſemus. Sed numquid ea quæ poſteà conſecuta ſunt tempora, pacatiora tranquillioraque fuerunt? minimè omnium: imò verò paulò pòſt Inferior Germania tuæ ditionis prouincia turbulentiſſimorum hæreticorum nefariâ conſpiratione petita, ex manibus tuis Regiis pænè eſt extorta. Horret animus memoriâ recolere, nedum oratione perſequi, ea quæ toto illo impiæ ſeditionis tempore in Deum & in ſeruos ipſius in eâ prouinciâ facinora ſunt admiſſa. Sacroſanctæ Dei Redemptoris noſtri IESV CHRISTI Eccleſiæ vel igni ſuccenſæ vel dirutæ vel pollutæ ſunt: Altaria diſiecta atque proſtratæ: Sanctorum imagines aut deletæ aut fœdatæ: Sacerdotes vexati aut interfecti: ſanguis innocentium effuſus: infandi mulierum virorumque cœtus paſſim habiti, nullo libidinis genere prætermiſſo: denique omni conatu ab impiis hæreticis actum eſt, vt ex animis omnium Catholica Religio radicitus extraheretur. Eodem ferè tempore in Galliâ haud diſſimilis hæreticorum furor & audacia, quas ibi turbas, quas ſeditionum flammas non excitauit? Chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Carolum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, arreptis de improuiſo armis, vnius vix horæ anticipatione ex ſceleratis eorum manibus fugâ elapſum abſcondere ſe coëgerunt: vrbes hæreſes ſuas profiteri nolentes diripuerunt: Catholicorum domos ſpoliauerunt: armis, cruore & luctu omnia reple-

repleuerunt. Eadem rurſus ibi ſcelerum flagitiorumque dedecora ſunt iterata: conculcatum Euangelium: abiecta ſacra: Epiſcopi ſacris veſtibus induti, per ludibrium in publicum acti, in puteos præcipitati: carnes Sanctorum beſtiis terræ ad deuorandum obiectæ: ipſi Sacerdotes ſummi Dei variis ſuppliciis excarnificati: Rex ipſe denique etiam inſidiis ſæpè petitus, diuino potiùs miraculo quàm humano conſilio adhuc ſtat, & in medio domeſticorum hoſtium poſitus, Regnum incolumitatemque obtinet precariò. Quid de florentiſſimo olim Angliæ Regno dicemus? in quod, feminâ, quæ ſe pro Angliæ Reginâ gerit, ſæuiſſimam tyrannidem exercente, quaſi in quamdam ſentinam omnium quæ vbique ſunt hæreſum ſordes confluxerunt: quæ, ſublato ſanctiſſimæ Miſſæ ſacrificio, Epiſcopis Catholicis in carcerem incluſis, nobilibus & honeſtis viris à conſiliis excluſis, ipſa ſe (quod dictu miſerabile, quodque horribile eſt) Anglicanæ Eccleſiæ caput appellauit. Hæc eadem fallaciſſima mulier, ſiue potiùs Reipublicæ Chriſtianæ labes, chariſſimam in CHRISTO Filiam noſtram Scotiæ Reginam, Regno fortuniſque omnibus ſpoliatam, captiuam detinet: ſuperbiſque edictis Catholicos ad profitendam hæreſim, veramque Fidem abnegandam, cogit; vnum illud præcipuè ſtudens, vt nullum in eo Regno Catholicæ Religionis veſtigium relinquatur. Ecce autem nunc, ne qua hiſce temporibus, peccatis noſtris id facien-

tibus, noua ſemper deſit calamitas, ſæuiſſimus Turcarum Imperator, claſſe maximâ inſtitutâ, magnis equeſtribus pedeſtribusq́ue copiis contractis, bellum ingenti conatu aduerſus Chriſtianos molitur; & rupto palàm fœdere, quod ei ad hanc diem cum Venetis fuit, Chriſtianis Regibus atque Regnis exitium, agris vaſtitatem, vrbibus minatur incendium. Nos autem tot tantarumq́ue ærumnarum futuri ſpectatores, quid adhuc viuimus, niſi aliquod labenti Reipublicæ Chriſtianæ præſidium afferre valemus? Sed quid agere poſſumus ſoli, non ſunt eiuſmodi noſtræ Sedisq́ue Apoſtolicæ vires, quæ tantæ communium hoſtium potentiæ reſiſtere queant. Socordiâ noſtrâ vſque adeò auctum eſt Turcarum Imperium, vt nonniſi magno Chriſtianorum Principum conatu, magnisq́ue claſſibus & exercitibus eorum impetus ſuſtineri poſſit. Quid igitur reſtat, niſi vt officij noſtri, cuius à Prophetâ admonemur, memores, venientem gladium, ſpeculatores à Domino conſtituti, populis ac Regibus annuntiemus, ne animarum quæ perierint ſanguis de manu noſtrâ requiratur? Futuram igitur calamitatem in tempore nuntiamus, exaltamus quaſi tuba vocem noſtram. Omnium nos quidem Chriſtianorum Principum, in primis autem tuam, chariſſime in CHRISTO Fili, opem auxiliumq́ue imploramus; Maieſtatemq́ue tuam, ad fœdus ſocietatemq́ue belli aduerſus potentiſſimum immaniſſimumq́ue hoſtem cum

reli-

reliquis Chriſtianis Regibus Principibuſque ineundam, hortamur atque excitamus. Non patitur periculi ante oculos poſiti magnitudo diutiùs differri communis ſalutis auxilia: in orbis angulum redacti ſumus; &, niſi per eos qui poſſunt communi conſilio Reipublicæ Chriſtianæ tam neceſſario tempore ſubueniatur, periculum eſt, ne quæ adhuc remanent Chriſtianorum populorum miſeræ reliquiæ, omnes in extremum diſcrimen adducantur. Et quoniam res ipſa iam anteà docuit, nullius Chriſtianorum Principum vires ſeorſum ab aliis Turcarum potentiæ pares eſſe poſſe, omnium verò ſimul collectas ad eorum impetum frangendum ſufficere; idcircò neceſſe eſt, communibus hoſtibus communi omnium Principum Chriſtianorum conſenſu atque ope reſiſtere. Quod vt fiat, Maieſtatem tuam, quæ inter ceteros orbis Chriſtiani Principes non minùs erga Deum Omnipotentem pietate quàm virium potentiâ excellit, potiſſimùm decet adiuuare. Vides, ferociſſimam gentem, tot tantiſque nationibus in ſuam poteſtatem redactis non contentam, inexplebili quadam dominandi cupiditate omnium Europæ Regum & Principum Regna ditioneſque ſpe & auaritiâ deuoraſſe. Si quid factura ſit, ſcire volumus, quid fecerit conſideremus. Aſiam omnem, & Libyam, & Græciam breuiſſimo temporis ſpatio occupauit: occupatâ Græciâ, in Hungariam, hoc eſt, in viſcera noſtra, gladium adegit; eamque

ferè totam ſibi ſubegit: hac verò ſubactâ, quæ ante hoc tempus Germaniæ atque Italiæ propugnaculum fuit, facillimus illi ad Italiam aditus eſt patefactus; per Iſtros & Forum Iulij terreſtribus copiis aperta eſt via: claſſis ex Velonâ breuiori quàm vnius noctis nauigatione Brunduſium peruenire poteſt. Errat, ſi quis putat bellicoſiſſimam nationem pecuniâ abundantem, & dominandi cupiditate inflammatam, vnquam eſſe quieturam: proximâ quaque victoriâ gradum ſemper ſibi ad aliam faciet, donec Occidentalibus Regibus ſublatis, deleto CHRISTI Euangelio, Mahumetis nefariam ſectam vbique terrarum conſtituat. Tu igitur, chariſſime in CHRISTO Fili, quem Omnipotens Deus tot egregiis virtutibus ornauit, tot opulentiſſimis Regnis ditauit, primus Chriſtianos Principes ad fœdus contra communes hoſtes ineundum hortare. ſequentur auctoritatem tuam ceteri Reges: nemo erit, qui commune periculum proprium non exiſtimet. Nos ipſi, quantum vires noſtræ ferre poterunt, pium tuum ceterorumque Principum conatum, quibus poterimus rebus, prompto atque alacri animo adiuuabimus. His omnibus rebus aſſiduas CHRISTO Domino noſtro preces addimus: miſerebitur noſtri, vti ſperamus, qui miſericordiæ fons eſt, nec populum ſuum in Turcarum manus venire permittet. Erit nobiſcum Deus, qui neque nos neque cauſſam ſuam deſeret. In eo faciemus virtutem, & ipſe inimicos

micos noſtros ad nihilum deducet. Non eſt abbreuiata Domini manus; & quamuis ob noſtra peccata illius à nobis miſericordia ſit elongata, tamen propitiabilis eſt Deus noſter, & multus ad ignoſcendum. Facilè eum obedientiâ placabimus, quem contumaciâ irritauimus: qui vt primùm viderit nos humili corde pro eius gloriâ fortiter pugnaturos, hoſtibus noſtris terrorem & fugam immittet. Intereà verò, dum Principes ad ſanctiſſimum aduerſus communes hoſtes pro communi omnium Chriſtianorum defenſione fœdus ineundum excitantur, dum arma, dum cetera ad bellum gerendum neceſſaria comparantur; Maieſtatem tuam rogamus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, vt primo quoque tempore claſſem quàm maximam comparare poteſt, in Siciliam mittat. Siue enim Turcæ Melitenſem expeditionem ſuſceperint, claſſis ipſa (quod alterius eiuſdem inſulæ obſidionis tempore factum eſt) in loco erit valdè ad deterrendos hoſtes noſtroſque confirmandos opportuno: ſiue Tunetum profecti, Guletam oppugnare maluerint; magnam eadem claſſis ad ſubueniendum in tempore Chriſtianis, caſtellum illud defendentibus, vtilitatem opportunitatemque habebit. Quòd ſi Cyprum, Venetorum inſulam (quemadmodum exiſtimatur) petentes, claſſe oppoſitâ, Chriſtianorum auxiliis aditum maris claudere conentur; eadem Maieſtatis tuæ claſſis cum Venetorum claſſe

coniuncta, hoſtibus noſtris aut maris aditum eripere, aut aliquâ fortaſſe meliore conditione cum eis nauali prælio confligere, victoriamque, Deo iuuante, obtinere poterit. Hoc verò à Maieſtate tuâ ſic poſtulamus, vt maiori animi noſtri ſtudio poſtulare non poſſimus: quippe qui, claſſe tuâ ſtationem in Siciliâ habente, aduerſariorum noſtrorum quemcumque conatum non mediocriter reprimi poſſe intelligimus; eamque rem in omnem partem vtiliſſimam eſſe cernimus. Moueat Maieſtatem tuam commune Reipublicæ Chriſtianæ, & proprium tuæ ſalutis dignitatisque periculum. Memento tuæ profeſſionis, cui te in Baptiſmate addixiſti: quantum Omnipotenti Deo eiuſque Eccleſiæ debeas, cogita; non ſolùm propterea quòd à Deo creatus, eiuſque vnigeniti Filij pretioſiſſimo Sanguine redemptus es, & ab eodem tot Regnis auctus; ſed etiam, quia à ſanctâ hac Apoſtolicâ Sede, communi omnium Chriſtifidelium matre ac magiſtrâ, maiores tui inclytæ memoriæ Reges magnis ſæpè beneficiis & glorioſiſſimo Catholici cognomine ſunt ornati. Stat ſancta Mater Eccleſia dolens ac gemens, tuamque præcipuè opem auxiliumque implorans. Matris voces niſi filius audiuerit, quis eas prætereà auditurus eſt? Stamus & nos, quibus Deus, licet indignis, animarum Eccleſiarumque omnium curam & ſolicitudinem commiſit; atque in his tot hæreſum tenebris, tot Turcarum procel-

procellis, obſcuriſſimæ noctis vigilias ſuper Dominicum gregem cuſtodientes, Chriſtianis Principibus, tibique in primis, aduentantium luporum clamorem lacrymis & gemitu ſignificamus. & ſicut ipſi pro commiſſo fidei noſtræ grege ab immaniſſimis hoſtibus defendendo omnia ſubire pericula, nullos labores ſubterfugere parati ſumus; ſic Maieſtatem tuam hortamur, & per Omnipotentem Deum obteſtamur, vt & claſſe ſuâ in Siciliam mittendâ, & fœdere cum reliquis Chriſtianis Principibus ineundo, & nullis rebus prætermittendis, quæ ad Turcicum bellum à Chriſtianorum finibus propulſandum vtiles eſſe poſſint, priſtinam ſuam erga Deum Omnipotentem pietatem diuinique honoris zelum toti orbi Chriſtiano oſtendat. Quod quamuis eam ſponte ſuâ facturam non dubitamus; tamen, vt & ipſi officio noſtro ſatisfaciamus, hoc paternæ noſtræ ſolicitudinis officium prætermittere non debuimus. Cetera verò ad hoc idem negotium pertinentia, quoniam omnia litteris mandari commodè non poſſunt, Maieſtati tuæ exponenda mandauimus dilecto huic Filio Magiſtro Ludouico de Torres, noſtræ Cameræ Apoſtolicæ Clerico, viro ob eximiam probitatem & egregiam erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam fidem nobis probatiſſimo, eiuſdemque tuæ Maieſtatis obſequentiſſimo addictiſſimoque vaſallo: quem huius ipſius negotij cauſsâ, deditâ operâ ad

ipſam

ipſam mittimus. Eius autem orationi ſuper his rebus, quas illi noſtro nomine exponet, vt parem fidem habeat, ac ſi nos ipſos præſentes ſecumque loquentes audiret, Maieſtatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Martij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XIV.

PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis Catholici ad PIVM V.

Pontificis conſilium approbat de fœdere contra Turcas; & ad hoc ipſe conſpirans, per quos Romæ id tractari ac confici mandauerit, oſtendit. Vide lib. IV. cap. I. & IV. Vitæ PII V.

Beatiſſime Pater, Ludouicus de Torres, Sanctitatis tuæ Cameræ Clericus, litteras tuas mihi reddidit, ſatisque fusè ac ſigillatim, quid cupias, & quàm gratum tibi accideret, ſi cum Venetâ Republicâ belli ſocietas iniretur, coràm explicauit. Quam ad rem dum Beatitudo tua me cohortatur, eximium planè Religionis ſtudium, quo ardet vtiturque iis rebus procurandis, quæ ad Dei Optimi Maximi cultum, & ad propagandam Catholicam fidem Chriſtianæque Reipublicæ ſalutem pertinent, apertè declarat. Quod quidem vel maximè proprium eius muneris eſt atque perſonæ, quam tua ſuſtinet Beati-

Beatitudo: quæ iure optimo Chriſtianorum Principum ſenſus ac vires ſanctiſſimo fœdere conſociandas eſſe arbitratur. Enimuerò Turcæ, Chriſtianæ Reipublicæ hoſtis acerrimi, ceterarumque infidelium gentium potentiâ ac inſolentiâ, ambitioneque in dies magis inſurgente, niſi Catholicorum Principum animi & opes coniungantur, ægrè admodum poterit aut illis obſiſti, aut ea detrimenta malaque vitari, quæ continenter inferunt Chriſtianis. Quocircà eum, quem ſemper apud me habebit, locum habuit ampliſſimum, mentemque meam in idipſum valdè propenſam ac paratam inueniet Sanctitatis tuæ cohortatio. Equidem quæ partes in eo ſunt meæ, vel ob eximia in me diuinitus collata beneficia, non ignoro. Et quamquam ob graues motus ac bella, quæ in Regnis ditionibusque meis nuper exarſerunt (quibus vel ſedandis vel auertendis cùm anteà diu, tum nunc maximè ſum vehementer implicatus) ad nouas expeditiones aut res gerendas, ſi minùs ingredi poſſim, iure videor excuſandus, cùm præſertim rebus meis modum aliquem & quietem afferre ſit omnino neceſſarium: nihilominùs, cùm plenè perſpiciam optimum propoſitum, ſanctumque conſilium, quo adducitur Beatitudo tua, & honeſtam cohortationem ac petitionem, quæ mihi tuo nomine facta eſt; pro ſummo quo teneor Sanctitati tuæ in his quæ mihi proponit obſequendi deſiderio, ad id conſpirare, atque hiſce rebus omnibus, quæ ad fœdus ipſum pertinent, quantum in me erit, nullo modo deeſſe conſtitui. Quâ de re quoque in eamdem ſententiam reſpondi cùm ipſi Ludouico, tum etiam viris ad

 hoc

hoc ipſum agendum à me delectis : quorum ego conſilio iudicioque prorſus acquieſcam. Et verò quoniam felicem huius explicationem conſilij vehementer cupio; vt etiam ea quæ nobis aliam eius rei tractandæ rationem ac viam ineuntibus ſuboriri prorogatio poſſet, diligenter caueatur; & potiſſimùm, quia propoſitum mihi eſt, omnia Beatitudinis tuæ ſuam ipſius præſentis auctoritatem interponentis operâ pertractari; admodum reuerendis in CHRISTO *Patribus Granuellano & Paceco Cardinalibus, & Ioanni Stunicæ meo & Senatori & apud Sanctitatem tuam Oratori, poteſtatem feci, mandauique, vt cum viris tum à Venetâ* Republicâ *delectis, tum iis quos ipſe decernere volueris, ſeſe coniungant, omninoque hoc ipſum negotium ad præſcriptam à me ſibi rationem conficiendum procurent. Faxit Deus Optimus Maximus, vt id conſilij exitum illum conſequatur & fructum, quem & ad eius nominis gloriam, & ad Chriſtianæ* Reipublicæ *ſalutem augendam valdè pertinere, Beatitudinique tuæ propoſitum eſſe non dubitamus. Ceterùm illud ſcribere non prætermittam, eiuſdem Ludouici præſentiam mihi pergratam fuiſſe; placuiſſeque vehementer, Sanctitatem tuam in hac ipsâ decernendâ legatione vſam eſſe illius operâ, quem eiuſmodi munere dignum eſſe cognouimus. Deus Dominus Beatitudinem tuam tueatur incolumem, illique dies vitæ, & proſperam Catholicæ Eccleſiæ adminiſtrationem adaugeat atque fortunet. Hiſpali,* XVII. *Kalend. Iunij,* M. D. LXX.

EPISTO-

EPISTOLA XV.

Studia Regis Catholici & officia de ineundo fœdere commendat.

Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non facilè verbis conſequi poſſumus, quantâ in Domino lætitiâ affecti fuerimus ex litteris Maieſtatis tuæ XVI. die Maij ad nos datis: quibus cognouimus, Maieſtatem tuam non ſolùm aduerſus communes omnium Chriſtianorum hoſtes Turcas cum Venetorum Republicâ fœdus inire paratam eſſe, ſed etiam, quantum in ſe eſt, idipſum exequi iam cœpiſſe, datâ poteſtate dilectis Filiis noſtris, Antonio tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Cardinali Granuellano, & Franciſco tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Cardinali Paceco, ſuo apud nos Oratori, vt & cum illis, qui à Venetorum Republicâ delegati fuerant,& cum eis, quos nos pro parte noſtrâ delegandos eſſe iudicauerimus, de eo ipſo fœdere ineundo apud nos agant. Quâ in re licet eximiam Maieſtatis tuæ erga Deum Omnipotentem pietatem, dignumque Catholico Rege Chriſtianæ Religionis zelum, ne anteà quidem nobis incognitum, recognouerimus: tamen animum iſtum tuum ad Rempublicam Chriſtianam ab imminentibus periculis defenden-

fendendam promptum atque alacrem perſpexiſſe, gratiſſimum nobis fuit; eiusque rei nomine eas quas debemus primùm quidem Omnipotenti Deo, deinde Maieſtati quoque tuæ, gratias agimus: quæ quòd (vt par fuit) potiſſimùm auctoritate interuentuque noſtro agi de hoc fœdere voluerit, in eâ quoque re priſtinam Maieſtatis tuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem obſeruantiam ac reuerentiam agnouimus. quam quidem nos, pro Apoſtolicæ ſeruitutis officio, ad tam egregiam voluntatem ſuam conſtanter retinendam hortaremur, niſi ex eiſdem litteris ſuis perſpexiſſemus, Maieſtatem tuam paternas hortationes noſtras eo animi ſtudio eâque alacritate accepiſſe, vt nullis aliis prætereà hortationibus locum reliquerit. Omnipotens Deus, chariſſime in CHRISTO Fili, det Maieſtati tuæ in ſuo timore ſemper proficere; eamque ad nominis ſui gloriam, vniuerſæque Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem diu, ſicut cupit, ſoſpitem incolumemque cuſtodiat atque conſeruet. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Iunij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XVI.

Ut Regiam claſſem contra Turcas Venetis auxilio mittat, Hiſpaniarum Regem hortatur. Vide lib. IV. *cap.* I. *Vitæ* PII V.

Philippo

Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm certiores facti ſimus, immaniſſimum Turcarum Tyrannum, totâ claſſe iam eductâ, cum vnâ illius parte Cypro imminere, cum alterâ verò oræ illi maritimæ præſidio eſſe; communis Reipublicæ Chriſtianæ periculo, reique magnitudine commoti, has ad Maieſtatem tuam litteras per tabellarium deditâ operâ ad eam miſſum ſcribendas eſſe iudicauimus; quibus illam in Domino vehementer hortamur, &, quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus, requirimus, vt illicò atque has noſtras litteras acceperit, dilecto Filio, nobili viro, Ioanni Andreæ Auriæ mandare velit, vt ſine vllâ exceptione, quamprimùm facere potuerit, ſe cum eâ claſſe, cui Maieſtatis tuæ nomine præeſt, ad Venetorum claſſem adiungat, quò faciliùs, coniunctis omnibus copiis, impium communium hoſtium conatum reprimere poſſimus. Quâ de re dilecto Filio Magiſtro Ludouico de Torres, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clerico, mandauimus, vt cum Maieſtate tuâ agat ſtudioſiſſimè atque inſtantiſſimè noſtris verbis: cuius orationi non modò vt fidem habeat, ſed etiam vt imminenti Chriſtianorum periculo pro ſuâ erga Deum Omnipotentem pietate quàm celerrimè occurrat, Maieſtatem tuam rogamus. Datum Romæ apud ſan-

ctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. Iunij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XVII.

PHILIPPI II. Regis Catholici ad Gabrielem à Cueua, Ducem Albuquercium, ditionis Mediolanenſis Gubernatorem.

Quid de præbendo Venetis auxilio, ac de fœdere ſanciendo ſtatuerit, oſtendit; iubetque, vt fœdus ipſum aliaque Regia negotia curet diligenter. Vide lib. IV. cap. I. Vitæ PII V.

CORdubâ in hanc vrbem cogitanti mihi præſtò fuit Ludouicus de Torres, Apoſtolicæ Cameræ Clericus, à Summo Pontifice legatus ad negotium ſacri fœderis cum Venetis contra Turcas faciendi, qui eius nomine mecum egit, orauitque, vti primo quoque tempore in ditione noſtrâ Sicilienſi quàm plurimas poſſem triremes, & item ex iis quæ ſtipendia noſtra faciunt, cogendas curarem, paratas ad id quod accidere facilè poſſet, Turcicâ claſſe hac æſtate (vt certò creditur) in expeditionem prodeunte. & quamquam per id tempus plurimis rebus aliis eram vehementer implicitus; tamen pro ſummo quo teneor Pontificiæ Maieſtati obſequendi deſiderio, atque in omnibus Chriſtianæ Reipublicæ difficultatibus, vt anteà ſemper facere conſueui, opem ei promptè ferendi, pergratum mihi

mihi accidit & ipſi Ludouico aures præbere, & præſtare id quod de triremibus colligendis Pontifex Summus expoſuit: ac propterea ſtatim Ioanni Andreæ mandandum decreui, vt cum noſtris omnibus ibi ſubſiſtentibus atque aliis ære noſtro merentibus triremibus in Regno Sicilienſi atque in illis oris præſtò ſit, rebus omnibus ineundæ ſocietatis in ſubſidium comparatis. Proinde mecum ille ſuper hac re fuſiùs verba fecit, deſcriptaſque mihi rationes, optimaque Pontificis conſilia detulit; quæ nos itidem, vt in hanc ſanctam belli ſocietatem nomen demus, apprimè debent impellere: cumque ſuper hac re multa iam diligenter exagitata ſint & conſulta, per ipſum Ludouicum Pontifici reſpondi, me ipſo cohortante in hoc fœdus cum Venetâ Republicâ contra Turcas percutiendum conſpirare decreuiſſe. Quod vt faciliùs primo quoque tempore conficiatur, Ioanni Stunicæ noſtro & Conſiliario & in Vrbe Oratori, atque Granuellano & Paceco Cardinalibus id negotij dedi tranſigendum; qui omnes coniunctis animis, tamquam procuratores noſtri, eâ de re agant cum iis viris, quibus eam curam Pontifex ipſe, & Veneta Reſpublica delegauerit. Ac propterea mandatum eius rei conficiendæ ad eos mittimus ſummâ cum poteſtate ac monitis de iis rebus, quæ in hoc genere vel præſcribendæ vel cauendæ eſſe videantur. Quâ de re te commonefaciendum eſſe putauimus, vt intelligas oportere te cum ipſo Ioanne Stunicâ, aliiſque à nobis delectis viris, optimè conuenire, eoſque identidem tibi admonendos eſſe rerum omnium quæ contingent, & eius item iuris, quod Principatus noſter

noſter Mediolanenſis in Venetos, eorumque ditiones, ſibi eſſe prætendit; præclareque factum iri, ſi per hanc occaſionem id controuerſiæ inter ipſos componatur. Idcircò etiam ipſi Stunicæ per litteras mandauimus, vt de eo, in quem pro tempore res hæc deducta fuerit, ſtatu te ſtatim certiorem faciat: vt, cùm primùm fœderis ipſius negotium fuerit expeditum, admoneat te de iis rebus, quas in iſtâ ditione noſtrâ eiuſmodi expeditionis in ſubſidium adornare oportebit, ſecundùm ea quæ ſuper ipsâ re decreta fuerint & conſtituta. Itaque mandamus tibi atque præcipimus, vt quæcumque in iſto noſtro Regno in ſequentem æſtatem noſtro nomine apparanda eſſe idem Stunica monebit, ea tempore antè capto parare velis atque diſponere; ac quidquid ſuper eâ re fiat, cures nobis renuntiari. Hiſpali, XVII. *Kalend. Iunij,* M. D. LXX.

EPISTOLA XVIII.

Ut Regiam claſſem cum Venetâ contra Turcas quamprimùm iungi procuret, Io. Andream de Auria hortatur. Vide lib. & cap. IV. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Ioanni Andreæ de Auria, Militi Genuenſi.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non dubitamus, Nobilitatem tuam, pro ſuâ prudentiâ, rerumque bellicarum vſu, intelligere, totam immaniſſimo Turcarum

rum Tyranno ſæuiſſimum hac æſtate bellum aduerſus Rempublicam Chriſtianam molienti reſiſtendi ſpem in eo poſitam eſſe, vt Chriſtianorum maritimæ copiæ omnes in vnum locum conueniant, quò faciliùs, coniunctis viribus, potentiſſimorum hoſtium impetus ab Reipublicæ Chriſtianæ finibus arceri repellique poſſit. Quia verò putamus, Nobilitati tuæ à chariſſimo in CHRISTO Filio Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico mandatum eſſe, vt cum eo triremium nauiumque numero, qui ei à Maieſtate ſuâ conſtitutus eſt, Venetorum claſſi ſe coniungat; idcircò Nobilitatem tuam vehementer in Domino hortamur, vt primo quoque tempore verſus ſinum Corcyrenſem, eaque loca nauiget, apud quæ Venetorum claſſem ſtationem habere cognoſcet. opus eſt enim celeritate: quæ ſi, vt ſperamus, à te adhibita fuerit, reſiſtendi communibus hoſtibus ratio proculdubio facilior expeditiorque futura eſt. Quamuis autem multis maximiſque in rebus perſpecta virtus tua, magnam certamque nobis ſpem afferat, te in hac expeditione communi omnium hominum, noſtræque inſuper de tuâ virtute expectationi, abundè reſponſurum eſſe; tamen rei periculique communis magnitudine commoti, prætermittere non poſſumus, quin Nobilitatem tuam ad operam diligentiamque ſuam hoc tam neceſſario Reipublicæ Chriſtianæ tempore fortiter nauandam, etiam atque etiam excitemus. Pertinebit

ca res non ſolùm ad populi Chriſtiani ſalutem, Catholicique Regis ſecuritatem, ſed etiam ad nominis ſui laudem, quamuis anteà quoque inſignem, clariùs adhuc illuſtrandam. A nobis quoque eius rei nomine tantam gratiam inibit, vt quæcumque erga ſe paternæ noſtræ voluntatis indicia Nobilitati tuæ cum Domino impertiri poterimus, hæc numquam paſſuri ſimus ab eâ deſiderari. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Maij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XIX.

Ne quid impediat, quo minùs Ieroſolymitani Ordinis triremes quatuor cum Pontificiâ claſſe contra Turcas coniungantur, Ioannem Andream Auriam hortatur. Vide lib. IV. *cap.* IV. *Vitæ* PII V.

Eidem Ioanni Andreæ Auriæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam ad propulſandum communium hoſtium Turcarum aduerſus Rempublicam Chriſtianam bellum, vtiliſſimum eſſe conſtat, Chriſtianorum auxilia vnum in locum primo quoque tempore tutò poſſe conuenire; quò faciliùs deinde, omnibus copiis ſimul coniunctis, conſociatiſque auxiliis, potentiſſimorum hoſtium conatui vno animo & conſilio reſiſtere poſſimus; idcircò

idcircò Nobilitatem tuam his noſtris litteris vehementer in Domino hortamur, vt ne impedimento eſſe velit, quo minùs quatuor triremes, quas dilectus Filius Petrus de Monte, Hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymitani Magiſter, inſtructas paratasque ad hoc bellum ſe habiturum eſſe nobis pollicitus eſt, ad noſtram Eccleſiaſticam claſſem adiungantur: nam præterquam quòd honeſtius eſt, Religioſorum claſſem auſpiciis noſtris, qui Religionis caput ſumus, militare potiùs quàm aliorum; ſic etiam futurum eſt, vt & illæ quatuor tutiùs nauigaturæ ſint, ſi ſe cum noſtrâ claſſe coniunxerint, & noſtra claſſis, additis illis, ſecuriùs ſe cum reliquis copiis coniunctura ſit. Quæ res cùm ad rectè bellum adminiſtrandum maximum momentum habitura eſſe videatur, non dubitamus, Nobilitatem tuam, pro ſuâ prudentiâ, id vt quamprimùm fiat, omni ope pro ſuâ parte eſſe adiuturam. Quod vt noſtris paternis vocibus admonita, aliquantò etiam alacriùs faciat, à Nobilitate tuâ magnoperè poſtulamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Maij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XX.

Vt Regiam claſſem Neapolitani Proregis ſubſidiis inſtructam contra Turcas quamprimùm expediat, eumdem Andream Auriam hortatur. Vide lib. IV. *cap.* I. *&* IV. *Vitæ* PII V.

Eidem Io. Andreæ Auriæ.

Dilecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lectis Nobilitatis tuæ litteris, quibus ſibi milites ceteraque ad inſtruendam alendamque claſſem neceſſaria deeſſe ſignificabat, eâque de cauſsâ ſe impediri aiebat, quo minùs (quod ab eâ noſtris litteris ſuperioribus diebus petieramus) verſus ſinum Corcyrenſem nauigare, ſeque cum noſtrâ & Venetorum claſſe coniungere poſſet; ſubitò ad dilectum Filium, nobilem virum, Ducem de Alcalâ, Regni Neapolitani Proregem, litteras dedimus, quibus eum ad milites ceteraque quæ tibi opus erant quamprimùm ad te mittenda, vehementer hortati ſumus: quibus ille noſtris litteris nuper ita reſpondit, quemadmodum ex illius litterarum exemplo, quod ad te cum his litteris noſtris mittimus, intelligere poteris. Quæ cùm ita ſint, præterea totius Reipublicæ Chriſtianæ periculi magnitudo diutiùs non patiatur differri communis ſalutis auxilia; Nobilitatem tuam vehementer in Domino horta-

hortamur, & quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus, requirimus, vt, poſtquam milites, & cetera quæ ſibi ad nauigandum neceſſaria ſunt, habuerit, eam in ſuâ cum noſtrâ Venetorumque claſſe coniungendâ pro parte ſuâ diligentiam ac celeritatem adhibere ſtudeat, quam & rei magnitudo poſtulat, & nos ab eximio Nobilitatis tuæ in adiuuandâ Republicâ Chriſtianâ ſtudio expectamus: iam enim & Venetorum claſſem Corcyram appuliſſe intelligimus, & noſtram quoque breuî eôdem profecturam cognouimus, vt nihil aliud prætereà ad reſiſtendum communibus hoſtibus, quàm tuæ claſſis in eadem loca aduentus deſiderari videatur. Quâ quidem re non ſolùm communem totius populi Chriſtiani cauſſam vehementer adiuuabis; ſed etiam chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Regis Hiſpaniarum Catholici rebus non mediocriter proderis, tibique apud Omnipotentem Deum merita, & apud homines gloriam comparabis; & à nobis ipſis, eiuſdem rei nomine, non paruam gratiam inibis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX. Iulij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXI.

Regiam claſſem neceſſariis ſubſidiis inſtrui, & contra Turcas quamprimùm dirigi procurat. *Vide lib.* IV. *cap.* I. *&* IV. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro, Peraſanio de Ribera, Duci de Alcalâ, in Regno Neapolitano Proregi.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Superioribus diebus cùm dilectum Filium, nobilem virum, Ioannem Andream Auriam per litteras hortati eſſemus, vt ſe cum eâ claſſe, cui à chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Hiſpaniarum Rege Catholico præfectus eſt, ad Venetorum claſſem adiungeret, quò faciliùs, conſociatis auxiliis, communium hoſtium Turcarum aduerſus Rempublicam Chriſtianam impetus repelli poſſit; ad eas ipſas litteras nuper ita reſcripſit, ſe & hortationem noſtram libenter alacriterque ſuſcepiſſe, & ſibi à Maieſtate Catholicâ imperatum eſſe, vt quæcumque illi à nobis, & ab eodem Catholico Rege ſuper hoc negotio Romæ delegatis mandata forent, omnia exequeretur, ſeque paratum eſſe in eâ re & voluntati noſtræ morem gerere, & eorumdem delegatorum iuſſa facere; ſed tamen & militum quos in claſſem imponat facultatem ſibi deeſſe,

deeſſe,& commeatuum copiam ad eoſdem milites ac reliquam naualem turbam alendam non habere, ob eamque cauſſam ſe ad Nobilitatem tuam de vtrâque re diligenter ſcripſiſſe. Quod cùm ita ſit, Nobilitatem tuam his noſtris litteris in Domino vehementer hortamur, & quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus rogamus, vt prædicto Ioanni Andreæ eas militum commeatuumque copias, quæ ad armandam alendamque illius claſſem ſufficere poſſint, quàm celerrimè mittendas curet. Quantâ celeritate opus ſit, vt immaniſſimi Turcarum Tyranni claſſi Cypro iam imminenti in tempore occurrere poſſimus, Nobilitatem tuam pro ſuâ prudentiâ intelligere arbitramur. Quantum verò hoc periculum, quamque commune ſit,quod non minùs Venetorum,quàm toti Chriſtianæ Reipublicæ,ac præcipuè Regi Catholico à communibus hoſtibus impendet, nemo eſt qui non videat. Quocircà & officio noſtro adducti, & communis diſcriminis magnitudine commoti, à Nobilitate tuâ petimus, vt comparandis mittendiſque militibus ac commeatibus, qui in prædicti Ioannis Andreæ claſſem imponantur, eam diligentiam celeritatemque adhibeat, quam & rei periculique magnitudo expoſcit, quamque nos ab eximio ſuo Chriſtianæ Religionis defendendæ ſtudio expectamus. Nihil neque Dei Omnipotentis cauſſæ, neque Regi ipſi Catholico vtilius, nobiſque ipſis gratius facere poteſt,

quàm

quàm ſi in tanto totius populi Chriſtiani diſcrimine diligentiam ſuam à nobis deſiderari non patiatur. Quod nos pro ſuâ erga Deum Omnipotentem pietate Nobilitatem tuam facturam eſſe non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 11. Iulij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXII.

Ieroſolymitani Ordinis triremes inſtrui, & cum Pontificiâ Venetâque claſſe contra Turcas iungi procurat. Vide lib. IV. *cap.*I. *&* IV. *Vitæ* PII V.

Petro de Monte, Magiſtro Hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymitani.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamuis ſuperioribus diebus ad te ſcripſerimus, vt tuam & iſtius Ordinis claſſem, quam omnibus rebus ad nauale bellum neceſſariis inſtructam hoc tam neceſſario Turcici belli tempore nobis pollicitus es, iam diu paratam haberes, donec nos eam quam in animo habemus claſſem inſtrueremus; neque dubitemus te idipſum diligenter facturum eſſe: tamen, cùm & Reipublicæ Chriſtianæ neceſſitas id flagitare, & coniungendarum omnium maritimarum copiarum tempus appropinquare videatur, deuotionem tuam iterùm in

Domino hortandam eſſe præuidimus, vt eas ipſas triremes inſtructas paratasque habeat, vt, cùm tibi à dilecto Filio, nobili viro Marco Antonio Columnâ, noſtræ claſſis Generali, ſignificatum fuerit, tuâ ad illius claſſem adiunctâ vnà cum eo verſus ea loca nauigare poſſis, in quibus Venetorum claſſem ſtationem habere auditum fuerit. In quo, etſi non dubitamus, te, pro tuo eximio Reipublicæ Chriſtianæ iuuandæ ſtudio, eam quam par eſt diligentiam celeritatemque eſſe adhibiturum; tamen ob rei communisque periculi magnitudinem, tibi quamuis currenti Apoſtolicæ noſtræ hortationis calcar admouendum eſſe exiſtimauimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die x. Iunij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXIII.

Vt Melitenſes triremes contra Turcas ad ſinum Corcyrenſem quamprimùm adnauigare, & cum Pontificiâ Venetâque claſſe coniungi curet, Petrum de Monte hortatur. Vide lib. IV. *cap.* IV. *Vitæ* PII V.

Eidem Petro de Monte, Magiſtro Hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymitani.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Superioribus diebus binas ad te litteras dedimus; alteras XXVI. Maij, alteras decimo

die Iunij datas: in vtriſque autem vehementer te hortati ſumus ac requiſiuimus, vt tuas iſtiusque Ordinis triremes, quas omnibus rebus ad nauale bellum inſtructas hoc ipſo tam neceſſario Turcici belli tempore nobis obtuleras, paratas inſtructaſque haberes; vt, cùm tibi à dilecto Filio, nobili viro Marco Antonio Columnâ, noſtræ claſſis Generali, ſignificatum eſſet, tuas ad illius triremes adiungeres, & cum eo verſus ea loca nauigares, in quibus Venetorum claſſem ſtationem habere auditum fuiſſet. Quod quidem eo ad te conſilio ſcripſeramus, quia intereà chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Regis Hiſpaniarum Catholici claſſem eiſdem locis appropinquaturam ſperabamus, vt, omnibus maritimis copiis ſimul coniunctis, communibus hoſtibus vno animo & conſilio faciliùs obſiſtere poſſemus. Sed cùm & prædicti Regis claſſem diutiùs quàm putabamus tardare videamus, & Venetorum claſſem Corcyram iam appuliſſe audiamus, eodemque noſtram etiam claſſem aut profectam eſſe, aut quamprimùm profecturam intelligamus; deuotionem tuam in Domino vehementer hortamur ac requirimus, vt vnà cum ſuis triremibus eôdem, hoc eſt Corcyram, nauigare, ſeque cum noſtrâ & Venetorum claſſe coniungere quamprimùm ſtudeat. Quâ in re, etſi exploratum habemus, te pro tuo eximio Reipublicæ Chriſtianæ adiuuandæ ſtudio, eam quam par eſt diligentiam celeritatemque eſſe adhibiturum;

biturum; tamen, vt ad eam ipſam diligentiam aliquid etiam harum ipſarum ad te litterarum nomine addas, vehementer à te petimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Iulij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXIV.

Quòd Ioanni Andreæ Auriæ, vt Regiam cum Pontificiâ Venetâque claſſe coniungeret, mandauerit, gratias agit, Regemque ad fœderis negotium conficiendum hortatur.

Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores facti ex his quæ Venerabilis Frater Archiepiſcopus Roſſanenſis, noſter & Sedis Apoſtolicæ apud Maieſtatem tuam Nuntius, copioſiùs ad nos ſcripſit, quantâ voluntatis ſuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam propenſione, quamque prompto alacrique animo Maieſtas tua rogatu noſtro dilecto Filio, nobili viro Ioanni Andreæ Auriæ, claſſis ſuæ Præfecto, mandauerit, vt ſe, cum eis quibus præeſt triremibus, ad noſtram Venetorumque claſſem adiungeret, quò faciliùs, omnibus maritimis copiis in vnum coactis, communibus hoſtibus communi

auxilio & conſilio obſiſti poſſet; magnas Omnipotenti Deo gratias egimus, qui talem tamque egregiam erga Chriſtianam Rempublicam voluntatem Maieſtati tuæ miſericorditer indulſiſſet: in quo etſi nihil fecit Maieſtas tua nobis nouum, qui eius erga Chriſtianam Religionem ſtudium benè cognitum habemus; tamen eâ ipsâ de re eas quas debemus Maieſtati tuæ gratias agimus, quæ quòd Patris voces Filius non deſpexit, in eo ſuam non ſolùm erga nos, ſed multò magis erga Redemptorem noſtrum pietatem declarauit, eius ipſius pietatis fructum proculdubio æternum ab eo perceptura, qui nihil, quod eius cauſsâ fiat, quantumuis exiguum, ſine remuneratione relicturum ſe pollicitus eſt. Quia verò tale tantumque de Republicâ Chriſtianâ benè merendi Maieſtatis tuæ omnibus perſpectiſſimum ſtudium nobis animum dat, vt quæ ad eiuſdem Reipublicæ commune bonum vtilitatemque pertinent, non minore quàm anteà fecimus confidentiâ, à Maieſtate tuâ poſtulemus; idcircò eamdem Maieſtatem tuam hortamur, & quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus, rogamus, vt quod illius iuſſu auctoritateque noſtrâ, inter Maieſtatis tuæ mandatarios & à nobis delegatos, de fœdere inter nos ſanctamque Sedem Apoſtolicam, & Maieſtatem tuam, Venetorumque Rempublicam, aduerſus immaniſſimum Turcarum Tyrannum ineundo apud nos ſuperioribus diebus communi partium confœ-

deranda-

derandarum conſenſu actum ſtatutumque eſt, id ratum habere quamprimùm velit: ſic vt omnibus rebus, quæ huic ſanctiſſimo fœderi concludendo moram aliquam afferre poſſint, Maieſtatis tuæ pietate prudentiâque ſublatis, habeat Reſpublica Chriſtiana, quorum præſidio ac tutelâ aduerſus communium hoſtium impetum tuta ſecuraque ſit. quæ quidem in tanto ſuæ ſalutis diſcrimine, quod ab auidiſſimâ Chriſtiani ſanguinis gente ſibi imminere intelligit, in tuam potiſſimùm Maieſtatem oculos ſuos coniectos habet: videt enim, ſi (quod abſit) Maieſtatis tuæ potiſſimo ad ſe tuendam auxilio deſtituta fuerit, fruſtrà ſe ceterorum Chriſtianorum Regum ac Principum opem præſidiumque eſſe imploraturam: quibus etiam ſi voluntas ad ſe defendendam non defuerit; parem tamen voluntati facultatem ac vires defuturas eſſe non ignorat. Quæ cùm ita ſint, chariſſime in CHRISTO Fili, Maieſtatem tuam per Omnipotentem Deum obſecramus, vt pro parte ſuâ ad tam ſalutare piumque fœdus quamprimùm concludendum incumbat; eâque in re tum communi totius populi Chriſtiani de ſuâ erga Redemptorem noſtrum pietate expectationi reſpondeat, tum noſtris paternis hortationibus ſatisfaciat. Quod quamuis pro certo haberemus, Maieſtatem tuam pro ſuo diuini honoris zelo, Chriſtianæque Reipublicæ adiuuandæ ſtudio, eſſe facturam; tamen paternam noſtram hortationem, vel

ad officij noſtri partes implendas ſuſceptam, neque ingratam neque iniucundam Maieſtati tuæ, pro ſuâ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam deuotione, fore putauimus. Eiſdem autem de rebus vt cum Maieſtate tuâ, noſtro nomine, copioſiùs ageret, prædicto Venerabili Fratri noſtro & Sedis Apoſtolicæ apud Maieſtatem tuam Nuntio mandauimus: cuius orationi Maieſtas tua vt fidem habeat, ab eâ vehementer petimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vltimo Iulij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXV.

De Regiis triremibus Pontificiæ Venetæque claſſi contra Turcas adiungendis, aliiſque de rebus apud Regem Catholicum benè procuratis, gratias agit; atque, vt ad ſociale fœdus quamprimùm conficiendum Regem inducat, hortatur.

Didaco Cardinali Spinoſæ.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ex litteris tuis proximè ſcriptis certiores facti eſſemus, chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Hiſpaniarum Regem Catholicum dilecto Filio, nobili viro Ioanni Andreæ Auriæ, claſſis ſuæ Præfecto, mandauiſſe, vt cum

eis,

eis, quibus Maieſtatis ſuæ Catholicæ nomine præeſt triremibus, ſe ad noſtram Venetorumque claſſem adiungeret, quod nos litteris per tabellarium deditâ operâ ad Maieſtatem ſuam miſſum ab eâ vehementer poſtulaueramus; cumque eâ de re Maieſtati ſuæ gratias, quas debemus, egiſſemus; prætermittere noluimus, quin eo ipſo tempore cum circumſpectione quoque tuâ eodem officio his litteris fungeremur; cuius vnius maximè operâ atque diligentiâ illud ipſum, quod tantoperè cupiebamus, ab eâdem Maieſtate ſuâ impetratum eſſe ſciebamus. Scripſit enim ad nos Venerabilis Frater Archiepiſcopus Roſſanenſis, noſter & Sedis Apoſtolicæ apud Sereniſſimum Regem Catholicum Nuntius, quali quantâque humanitate, quamque alacri promptoque animo omnem adeundi alloquendique Regis laborem, negotiumque ipſum ex noſtrâ ſententiâ conficiendi curam, circumſpectio tua ſponte ſuſceperit, ſic vt ne ipſe quidem prædictus Nuntius noſter maiorem in eâ re diligentiam ſeduſitatemque adhibere potuiſſet. Quocircà circumſpectionem tuam pro tam egregiâ nobis Reipublicæque Chriſtianæ operâ nauatâ debitis in Domino laudibus commendantes, illi etiam gratias agimus quas debemus: taliaque ſuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiæ ac deuotionis indicia, præterquam quòd ſuâ erga Deum Omnipotentem pietate digniſſima ſunt, nobis prætereà, vt par

eſt,

eſt, gratiſſima fuiſſe ſignificamus. Quia verò qui ſemel ad aratrum manum poſuit, eum fas non eſt retrò aſpicere; idcircò vehementer in Domino hortamur, vt quæ ad Reipublicæ Religioniſque Chriſtianæ ſalutem pertinere cognoueris, hæc omni ſemper ſtudio adiuuare contendas: in primiſque omnem gratiam, opem auctoritatemque tuam apud eumdem Sereniſſimum Regem Catholicum interponere ſtudeas, vt quod ſuperioribus diebus de fœdere inter nos Sedemque Apoſtolicam, ac Maieſtatem ſuam Catholicam, Venetorumque Rempublicam, aduerſus immaniſſimam Turcarum gentem ineundo inter Maieſtatis ſuæ ac Reipublicæ Venetorum mandatarios & à nobis delegatos, illius iuſſu auctoritateque noſtrâ, actum ſtatutumque eſt; id Maieſtas ſua quàm celerrimè ratum habere, fœduſque ipſum concludere velit. vt enim talis Chriſtianorum Principum contra communes hoſtes confœderandorum ſocietas atque coniunctio vna ex omnibus humanis rebus eſſe videtur, quæ ſola imminentem à ſæuiſſimo Turcarum Tyranno Reipublicæ Chriſtianæ calamitatem propulſare poſſet; ſic nos eam rem quamprimùm ad effectum adduci ſic deſideramus, vt quicumque eius ipſius fœderis celerem concluſionem omnibus viribus adiuuerint, hi, præter diuinæ remunerationis præmium, à nobis quoque magnam ſint gratiam inituri. Quod circumſpectionem tuam in primis effecturam eſſe

ita

ita perſuaſum habemus, vt, quo minùs id ab eâ pluribus verbis petamus, eâ de cauſsâ prohibeamur, ne tam egregiæ tuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam ac Rempublicam Chriſtianam voluntati diffidere videamur. Cetera verò, quæ tecum agenda erunt, ea prædicto Venerabili Fratri noſtro & Sedis Apoſtolicæ Nuntio tibi exponenda mandauimus: cui in omnibus pleniſſimam fidem habebis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vltimâ Iulij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXVI.

Vt Chriſtianis contra Turcas bellum gerentibus auxilio eſſe velit, Regem Portugalliæ hortatur. Vide lib. IV. *cap.* III. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio, Sebaſtiano Portugalliæ & Algarbiorum Regi.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod tua ſingularis in Deum Omnipotentem pietas, & erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam deuotio nos hortatur, id fidenter admodum facimus, vt in his, quæ ad Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, Religionis Fideique Catholicæ defenſionem pertinent, tuam opem auxiliumque, vbi opus eſt, im-

ploremus. Quocircà ex litteris chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri Hiſpaniarum Regis Catholici certiores facti, immaniſſimum Turcarum Tyrannum, claſſe maximâ inſtructâ, magnis equeſtribus pedeſtribusq́ue copiis collectis, rupto fœdere, quod ei ad hanc diem cum Venetis fuit, bellum ingenti conatu aduerſus Chriſtianos moliri; dilectum hunc Filium Magiſtrum Ludouicum de Torres, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericum, virum ob eximiam probitatem égregiamq́ue erga nos Sedemq́ue Apoſtolicam fidem nobis probatiſſimum, ad Maieſtatem ſuam Catholicam miſimus, vt eam ad claſſem primo quoque tempore mittendam hortaremur. Cui etiam mandauimus, vt ad Maieſtatem tuam ſe conferat, eamq́ue noſtro nomine enixè roget, & per Deum Omnipotentem obſecret, vt ad Sereniſſimi Regis Catholici claſſem ſuas quoque triremes, quas decem numero eſſe audiuimus, adiungere velit; vt communi nauali auxilio communibus hoſtibus, quantum fieri poteſt, obſiſti poſſit. Quod ita à Maieſtate tuâ petimus, vt maiori animi noſtri ſtudio petere non poſſimus. Prædicto autem Magiſtro Ludouico ſuper his rebus, quas illi noſtro nomine exponet, Maieſtatem tuam eamdem fidem habere volumus, quam nobis præſentibus ſecumq́ue loquentibus haberet. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Martij, M.D.LXX. Pontificatus noſtrì anno quinto.

EPISTO-

EPISTOLA XXVII.

SEBASTIANI Portugalliæ Regis ad PIVM V.

Pontificis conſilium de fœdere contra Turcas probat: ſed ad eam expeditionem quod petebatur auxilium mittere in præſens non poſſe excuſans, id in poſterum daturum ſe pollicetur.

SAnctiſſime in CHRISTO *Pater, & Beatiſſime Domine. Sanctitatis tuæ litteras pridie Idus Martij datas reddidit mihi pridie Nonas Iunij Ludouicus de Torres, ac Beatitudinis tuæ nomine quæcumque habuit in mandatis expoſuit; de maximâ videlicet expeditione, & exercitu terrâ marique comparato, quem Turca communis hoſtis, antiquo pacis fœdere, quod cum Venetâ Republicâ pepigerat, ſoluto, aduerſus orbem Chriſtianorum adornabat. Quamobrem admonebat me Sanctitas tua, & etiam atque etiam poſtulabat, quando, Principum Chriſtianorum communis cauſſa dum agitur, oporteret etiam ipſos communi periculo coniunctis viribus occurrere, vt meas triremes in Siciliam deduci, atque eas ibi vnàcum Sereniſſimi Regis Caſtellæ auunculi mei triremibus iungi curarem. Certè enim, vt verum fatear, Sanctiſſime Domine, ita me pius zelus & paterna ſolicitudo, quâ nobis communi totius Reipublicæ Chriſtianæ tuendæ cauſſâ ad obeundum munus noſtrum perſuadet, deuinctum & obligatum reddit, vt exiſtimem nouo quodam nos beneficij genere adſtringi*

ad ingentes Deo Optimo Maximo gratias perſoluendas, quòd his temporibus, dum Chriſtiana Religio vbique premitur & affligitur, talem Pontificem Eccleſiæ ſuæ & nobis donauerit, qui omnibus his calamitatibus ſufficientiſſimum remedium præbeat, & qui Principes Chriſtianos ad tam neceſſariam expeditionem cohortetur, eorum animos concordes efficiat, & communi fœdere quodammodò in vnum cogat atque coniungat. Et quamquam Ludouicus ipſe de his rebus ita mecum egit, vt facilè ex eo intellexerim, facultatem mihi à Sanctitate tuâ concedi, vt priùs de auxilio, quod petebatur, mittendo maturè conſiderarem, quid mihi facere pro ratione temporis expediret; nihilominùs tamen rationes & cauſſas omnes, quæ deſiderium meum ad obſequium, tum in hac re, tum etiam in omnibus aliis, Sanctitati tuæ præſtandum commouerent, repetendas eſſe exiſtimaui. Ad hoc enim faciliùs ac celeriùs exequendum ſeſe offerunt primùm maxima & grauiſſima pericula, quæ Turcica iſta claſſis Chriſtianæ Reipublicæ poteſt afferre, his præſertim temporibus, quibus Principes Chriſtiani tot & tam variis curis & periculis, quibus eſt occurrendum, vrgemur: deinde reuerentia & obſeruantia, quæ in omnibus Sanctitati tuæ debetur, in hac præcipuè tam publicâ cauſſâ, Principibus quidem omnibus communi, ſed Beatitudini tuæ propriâ, & quodammodò peculiari, quam veluti vniuerſalis Paſtor, & omnium primus & caput, omni præſidiorum genere ſolicitè iuuare numquam deſinit: tum etiam maiorum meorum exempla, qui in rebus leuioris momenti, & minoris etiam

peri-

periculi, prompto animo Sedi Apoſtolicæ & Chriſtianæ Reipublicæ ſemper adfuerunt. Accedit prætereà priuata quædam obligatio, quâ Sanctitati tuæ deuinctus ſum, tum propter loci in quo reſidet celſitudinem, tum propter beneuolentiam & amorem paternum, quo omnes res meas fouet ac proſequitur: vetus etiam & antiqua amicitia, quæ inter hæc noſtra Regna & Venetorum Rempublicam ſemper interceſſit; in cuius auxilium felicis memoriæ Rex Emanuel proauus meus claſſem olim ingentem miſit. Ex aduerſo autem quædam alia mihi occurrunt, frequentes ſcilicet occupationes, quibus me ad meorum Regnorum propugnationem & tutelam, & ad maximi etiam ponderis expeditiones ad hoc ipſum neceſſarias, ſedulò intentum eſſe oportet; tum verò, quòd, quamuis huiuſmodi auxilium nunc mitteretur, opportuno tamen tempore adeſſe non poſſet; propterea quòd nunc primùm Sanctitatis tuæ litteras receperim, atque inter hæc Regna & portum, quò tota hæc claſſis conuenire debet, interſint maxima locorum interualla. Quibus omnibus exactè conſideratis, viſum tandem mihi fuit de auxilio hoc anno intempeſtiuè mittendo ſuperſedere. Verùm ſi ſequentibus annis bellum hoc continuabitur, & Sanctitas tua ſubſidium meum duxerit eſſe neceſſarium, libenter illud mittam; idque præſtabo poſthabitâ ratione earum rerum, quæ Regnis & ditionibus meis defendendis debentur. Etenim tanti facio obedientiam & obſeruantiam, quam omnes Principes Chriſtiani Sanctitati tuæ meritò ac iure optimo, hoc præſertim tempore, in omnibus præſtare debemus; vt

ſi ſummè piis Beatitudinis tuæ monitis paruero, quod me ſemper facturum ſpondeo, non dubium quin Deus Optimus Maximus meorum Regnorum patrocinium ſuſcipiat, eorumque tranquillitati & honori benignè proſpiciat. Beatiſſima enim Sanctitatis tuæ benedictio cauſſa erit potiſſima non ſolùm ad id ſperandum, ſed etiam ad optatum tam ſancti deſiderij finem obtinendam. Atque ita fiet, vt nos omnes Principes Chriſtiani communi conſenſu vires, opes & facultates noſtras ad bellum Turcæ cominùs inferendum præſentes conferamus, certatimque pro antiquâ illarum regionum libertate recuperandâ noſtrarum contentionum neruos intendamus, & Eccleſiæ Catholicæ ſanctam Ieroſolymam, vt ego impensè deſidero, & Deo fautore futurum ſpero, reſtituamus. Datum Sintiæ, VI. Idus Iunij, M. D. LXX.

EPISTOLA XXVIII.

Propenſa Regis ad opem Chriſtianæ Reipublicæ contra Turcas ferendam ſtudia commendat: quid auxilij ab eo ſperandum ſit edici, ineundique coniugij negotium confici poſtulat. Vide lib. IV. *cap.* III. *Vitæ* PII V.

Sebaſtiano Portugalliæ Regi.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non facilè verbis conſequi poſſemus, quantoperè in Domino gauiſi ſumus, litteras Maieſtatis tuæ VIII. die Iunij

Iunij datas legentes, & ea quæ dilectus Filius noſter Magiſter Ludouicus de Torres, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericus, copioſiùs ad nos ſcripſit cognoſcentes: qui cùm inter cetera, de quibus nos certiores fecit, illud etiam adieciſſet, quanto cum honore, quantâque cum Maieſtatis tuæ erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam deuotionis & obſeruantiæ ſignificatione ab eâ exceptus fuerit; opinionem noſtram, quam de tuâ erga Deum Omnipotentem pietate ex multis nec dubiis eius ſignis conceptam iam pridem habebamus, non ſolùm confirmauit, ſed etiam vehementer auxit. Quod verò eadem Maieſtas tua, & nobis ipſis ſcripſit, & prædicto etiam Ludouico confirmauit, ſe, quod ab eâ per litteras noſtras poſtulauimus, claſſem ſuam omnibus rebus ad nauale bellum neceſſariis inſtructam contra communem hoſtem Turcarum Tyrannum Reipublicæ Chriſtianæ auxilio mittere paratam eſſe; laudamus ſummoperè tam promptum alacremque Maieſtatis tuæ animum ad defendendam Religionem Catholicam; piumque iſtum diuini honoris zelum, eximiumque Reipublicæ Chriſtianæ tuendæ ſtudium debitis laudibus, quemadmodum debemus, vehementer in Domino commendamus. Quâ in re Maieſtas tua veterem clariſſimorum maiorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum virtutem egregiè imitatur, qui bellis contra infideles gerendis, magnam ſibi & apud homines laudem, & maio-

ra apud Redemptorem noſtrum merita pepererunt: & cauſſas quidem, quas Maieſtas tua in ſuis ad nos litteris affert, quare eam ipſam, quam mittere parata eſt claſſem, hoc anno ſibi mittendam non eſſe exiſtimauerit, veriſſimas atque iuſtiſſimas eſſe. ipſi quoque intelligimus; ſatiſque habebimus, ſi ſequenti anno eiuſdem ſuæ claſſis auxilium nobis ac Reipublicæ ipſi Chriſtianæ paratum fuerit. Quam quidem ad rem Maieſtatem quoque tuam pro noſtro officio hortaremur, niſi eam nullum cerneremus hortationibus noſtris locum reliquiſſe. Illud tantummodò à Maieſtate tuâ nobis ſignificari cupimus; quanto vel triremium vel ceterorum nauigiorum numero exiſtimet Chriſtianam Rempublicam in hoc aduerſus communes hoſtes bello à ſe poſſe iuuari, vt ſciamus quid nobis certi auxilij ab iſtâ parte polliceri poſſimus. In quo tamen Maieſtatem tuam nolumus quidquam ſupra vires conari, ſed ſui Regnorumque ſuorum commodi eam quam par eſt rationem habere: vt enim exploratum habemus, Maieſtatem tuam quibus rectè potuerit viribus communi Reipublicæ Chriſtianæ defenſioni affuturam, ita nihil eam ſuo incommodo agere volumus. Quæ verò idem Ludouicus de matrimonio inter Maieſtatem tuam & chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Regis Chriſtianiſſimi ſororem contrahendo, cum eâdem Maieſtate tuâ locutus eſt & egit noſtro nomine; hæc pro certo habere debes,

illum

illum iuſſu mandatoq; noſtro omnia egiſſe. Quamuis enim in ipſis noſtris ad te litteris XIV. die Martij datis nihil tale adſcriptum eſſet, id ob eas cauſſas factum eſt, quæ tibi à prædicto Ludouico expoſitæ fuerunt: noſtra verò voluntas eadem nunc eſt, quæ ſemper fuit ab eo tempore quo ad huiuſmodi matrimonium Maieſtatem tuam hortari cœpimus; vt ſcilicet, quamprimùm fieri poteſt, ad effectum adducatur: videmus enim tali matrimonio non ſolùm prouideri periculis, quæ iſti, quâ Maieſtas tua eſt, ætati imminere ſolent à variis voluptatum illecebris, ſed etiam iſtius Regni proſperitati conſuli; & quod maximè exiſtimamus, Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem ſummoperè adiuuari. Nihil enim ad Chriſtianorum Principum concordiam ſtatuendam hac eorum inter ſe affinitatum coniunctione firmius eſſe exiſtimamus. Pertinere hoc etiam ad dignitatem noſtram, & huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Maieſtatem putamus, vt de quo matrimonio nobis auctoribus, neque inuitâ Maieſtate tuâ, ſemel agi cœptum eſt, id potiſſimùm perficiatur. Denique, quia noſtræ erga Maieſtatem tuam paternæ beneuolentiæ nobis ipſis conſcij ſumus; illud quoque ſcimus, nos nullas ob priuatas, vel noſtras, vel cuiuſcumque alterius rationes, tale matrimonium Maieſtati tuæ ſuadere; ſed ob eam tantummodò cauſſam, quia illud & priuatim ſibi Regniſque ſuis vtile, ac communi Reipublicæ Chriſtianæ

tranquillitati conducibile ſore non dubitamus. Quæ quidem vel ſola cauſſa videtur Maieſtatem tuam ad obſequendum noſtræ voluntati impellere debere, cùm nihil ei exploratius eſſe debeat, quàm nos id cupere, quod in rem Maieſtatis tuæ ſit. Quæ cùm ita ſint, Maieſtatem tuam hortamur, vt ad tale matrimonium quamprimùm contrahendum animum adijciat. Quâ de re copioſiùs locuti ſumus cum dilecto Filio Maieſtatis tuæ apud nos Oratore; & vt illam ad eamdem rem noſtro nomine ipſe quoque hortaretur, poſtulauimus: quæque ad te ſcribimus, omnia cum ipſo communicauimus; vt ſuſpicari non debeat Maieſtas tua, nos aliquid earum rerum ignorare, quas nobis per eum notas eſſe voluerit. Quòd ſi aliquæ fortè difficultates ſunt, quæ impediant, quo minùs tale matrimonium concludatur, de his Maieſtas tua ſi nos certiores fieri curauerit, eas omnes auctoritate noſtrâ interpoſitâ tollere conabimur. Quod idem pro parte ſuâ Maieſtas quoque tua facere debebit, vt ſcilicet in accipiendis huiuſmodi matrimonij conditionibus æquam ſe ac facilem præbeat, neque omnia ſummo iure proſequatur; ſed communis vtilitatis cauſsâ de his quæ ſibi iuſta eſſe videbuntur, nonnihil remittat, quemadmodum ex prædicto Ludouico de Torres ſubtiliùs & copioſiùs cognoſcet. cui & hæc ipſa, quæ ſcripſimus, & alia etiam Maieſtati tuæ noſtro nomine in eamdem ſententiam exponenda mandauimus.

uimus. cuius orationi vt eamdem fidem adhibeat, quam nobis, ſi iſtic præſentes adeſſemus, ſecum loquentibus adhiberet, Maieſtatem tuam rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Auguſti, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXIX.

SEBASTIANI Portugalliæ Regis ad PIVM V.

Multa & varia excuſat impedimenta, quibus fit vt bello contra Turcas auxilio nunc eſſe non poſſit; idque ægrè ferens, ſuam in Pontificem obedientiam & pietatem teſtatur: de affinitate ſibi cum Valeſiâ domo iungendâ reſpondet. Vide lib. IV. cap. III. & IX. Vitæ PII V.

SAnctiſſime in CHRISTO *Pater, ac Beatiſſime Domine. Per Ludouicum de Torres Sanctitatis tuæ litteras* VIII. *Idus Auguſti datas accepi, quibus iis reſpondebas, quas ad te illi dederam* VI. *Idus Iunij ſuper eo quod à me, vt in bellum contra Turcas auxilium mitterem, poſtulabas. Quâ de re nunc Ludouicus ipſe Beatitudinis tuæ nomine mecum eſt collocutus. Video equidem, Beatiſſime Domine, planéque perſpicio, quàm ſapienter ac piè mecum agat Sanctitas tua, me per litteras ac Nuntios ſuper eâ re compellando, ſummâ tum vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, tum etiam Regnorum ditionumque mearum,*

& eius item officij, quod eis tutandis præſtare in primis debeo, habitâ ratione. Quæ quidem ratio valdè conſentanea deſiderio eſt, quo ego, tuorum in me per omnem occaſionem collatorum meritorum non immemor, ardeo morem gerendi Sanctitati tuæ. Ac propterea intelligo, quò magis Beatitudo tua de iis agit quæ mihi conueniunt, eò magis etiam me, vt iuſſiones eius omnes cumulatè faciam, eniti debere. Mihi verò gratiſſimum accidiſſet, ſi fieri potuiſſet à me, vt ſtatim Sanctitati tuæ claſſem decernerem, numerumque nauium, quas in iſtius belli ſubſidium mittere poſſem, quando Turcica claſſis in Chriſtianos arma conuerteret. Verùm quæ mihi, ne quod optabam mitterem auxilium, tunc impedimento fuerunt, eadem quoque mihi aduerſantur hoc tempore; eoque magis, quòd eiuſmodi ego ſubſidij nominationem facere nequeam. Nam præter eas & expeditiones & claßes, quas moliebar eo tempore, quo ad Beatitudinem tuam de conſeruandâ augendâque Catholicâ Religione, deque Regnis ac ditionibus meis tutandis perſcripſi; alia quamplurima, eaque grauiſſima, superuenerunt incommoda, quibus ego nullâ interiectâ morâ non prouidere non poſſum. Etenim ſequenti anno tot armatas cohortes in Indias mittendas eſſe conſtitui, vt inibi contra Turcam depugnetur, quot ex more per tres annos eôdem proficiſci conſueuerunt. Accedit, quòd Regnorum ditionumque mearum maritimos portus denuò iuſſi communiri, eorumque militem parari & exerceri: cuncta præterea claſſium mearum Regnorumque nauigia inſtrui mandaui. Nunc autem, licet hieme iam ineunte, claſſis à me

dirigi-

dirigitur aduerſus nonnullos piratas Hugonotos, qui plurimis iiſque ſacratis viris occiſis, atque aliis non paruis detrimentis illatis, naues aliquot ceperunt. Alia porrò claſſis in Mini, alia in Congi Regna, alia in inſulas dirigenda mihi eſt; parandæque copiæ, & ornandæ claſſes in hæreticos, quos ex Galliis Angliáque exceſſuros eſſe audio, pace inter eos, vti fertur, ſuccedente; & itidem aduerſus Seriphum Mauritaniæ Regem, qui præter quas habet terreſtres opes, triremes etiam complures inſtruit, ac ſubinde maritimas copias adauget, quibus ſuperioribus annis Canarias inſulas magnis cladibus affecit. Atque hæ quidem rationes omnes tantoperè me adiungunt deuinciuntque, vt, quemadmodum perſpicit Sanctitas tua, hiſce rebus vel iuuandis vel curandis deeſſe nullo modo queam. Equidem Beatitudini tuæ perſuaſum eſſe velim, quàm ægrè feram his de cauſſis non poſſe me, quam opto claßem ei decernere, atque pro meâ ſummâ voluntate in rebus omnibus Sanctitati tuæ deſeruire, ferreque ſuppetias vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ: iubeo tamen atque impero, ſummâ diligentiâ atque ſtudio, quibuſuis neceſſariis ſumptibus nihil parcendo, curetur, vt quam decreui claßem inſtruatur orneturque, tum ad paulò antè commemorata depellenda pericula, tum etiam ad omnia Sanctitatis tuæ iuſſa facienda.

Porrò autem quod ad me ſcribit Sanctitas tua de nuptiis in Galliâ celebrandis, ſuper eo Beatitudinis tuæ nomine mecum verba fecit Ludouicus de Torres; rationibus etiam adhibitis, quibus ego adductus, id ad meam ipſius

Regnorumq́ue meorum Chriſtianæque Reipublicæ vtilitatem facere deberem. Equidem omnibus in rebus Beatitudinis tuæ in me beneuolentiam agnoſco, atque res meæ quantæ curæ ei ſint, planè perſpicio. Quibus ego maximis ac plurimis ei adiunctus officiis, ſacratos pedes tuos venerabundus oſculor, tuæque Beatitudini in mentem reuoco, id quod iam anteà ad eam ſcripſi, ac per Ioannem Tellum meum Conſiliarium & apud Sedem iſtam Oratorem, ac proinde per Ludouicum de Torres mandaui referendum Sanctitati tuæ, me nimirum ab eiuſmodi conſilio longè adhuc animo abſuiſſe. Quòd ſi cogitationibus meis ſic anteuerterit Deus, vt id aliquando faciendum eſſe conſtituam; nihil tamen abſque Beatitudinis tuæ conſilio iudicioq́ue decernendum putabo. At verò, quoniam res iam eo loco ſunt, vt quidquam aliud de illis conſtituere mihi non ſit integrum, vti Beatitudini tuæ exploratum eſt; ab eâ ſupplex peto atque oro, vt, quemadmodum eam facturam eſſe confido, conſiliorum meorum rationes omnes æqui boniq́ue conſulat. Cetera porrò quæ ad hæc attinent, Sanctitas tua facilè intelliget, tum ex ipſo Ludouico, tum etiam ex meo iſtic Legato: quorum ego ſententiæ planè ſubſcribam. Sanctiſſime in CHRISTO *Pater, ac Beatiſſime Domine, Sanctitatem tuam in multos annos ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ vtilitatem Deus incolumem conſeruet. Sintiæ,* XVIII. *Kal. Octobr.* M. D. LXX.

EPISTO-

EPISTOLA XXX.

Quòd Ludouicum internuntium benignè ſuſceperit ac iuuerit, gratias agit: oblatæ claſſis officium probat: connubij negotium commendat. Vide lib. IV. *cap.* III. *&* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimæ in CHRISTO Filiæ noſtræ Catharinæ, Portugalliæ Reginæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus litteras Maieſtatis tuæ XIII. Iunij die datas: ex quibus, & ex his quæ dilectus Filius Magiſter Ludouicus de Torres Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericus ad nos ſcripſit, ſuam erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam eximiam obſeruantiam ac deuotionem, multò etiam antè nobis ſpectatiſſimam, magnâ cum animi noſtri lætitiâ cognouimus. Maieſtati autem tuæ gratias agimus de omnibus officiis, quibus noſtri atque huius ſanctæ Sedis honoris cauſsâ erga prædictum Ludouicum functa eſt: quodque illi ad conficienda negotia, ob quæ in iſtud Regnum à nobis miſſus eſt, ope, gratiâ auctoritateque ſuâ præſtò fuerit; in eâ re Maieſtas tua fecit id quod ſuâ erga Omnipotentem Deum pietate dignum fuit, quodque ſemper de ſuo diuini honoris zelo nobis polliciti ſumus. Valdè autem gauiſi ſumus in Domino,

mino, chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Regem Portugalliæ, nepotem ſuum, tam prompto alacrique animo nobis ac toti Reipublicæ Chriſtianæ, pro eâ aduerſus immaniſſimum Turcarum Tyrannum tuendâ, claſſis ſuæ auxilium obtuliſſe. Quâ de re, etſi Maieſtatis ſuæ ſtudium erga eamdem Rempublicam Chriſtianam benè cognitum habentes, numquam dubitauimus; id ipſum tamen ex Maieſtatis tuæ ſuæque litteris cognouiſſe, gratiſſimum nobis fuit. Quibus pro hac vtriuſque erga ſe pietate dignum præmium ille ipſe reddet Deus, qui nihil quod eius cauſsâ fiat ſine remuneratione eſſe patitur. De matrimonio autem inter eiuſdem Sereniſſimi Regis nepotis tui Maieſtatem, & chariſſimi nobis in CHRISTO Filij Regis Chriſtianiſſimi ſororem, rem confectam velimus. Quocircà Maieſtatem tuam hortamur, vt ſuas partes Regis ad tale matrimonium hortandi ſuſcipiat, omnibusque viribus ſuis in eam curam incumbat, vt quamprimùm fieri poteſt, ad effectum adducatur. Cuius quidem noſtræ voluntatis ac deſiderij iuſtiſſimas cauſſas, & aliquâ ex parte ad eumdem Sereniſſimum Regem nuper ſcripſimus, & Maieſtati ſuæ ab eodem Ludouico explicandas iterùm mandauimus: à quo Maieſtas tua cetera cognoſcere poterit, quæ in hanc ſententiam plura ſcribere potuiſſemus; eique fidem pleniſſimam, ſuper his quæ ſecum loquetur, adhibebit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo

Piſca-

Piſcatoris, die VI. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXI.

Vt Chriſtianæ claſſi contra Turcas à Rege opem imploret. Vide lib. IV. *cap.* III. *Vitæ* PII V.

Dilecto in CHRISTO Filio noſtro, Henrico Cardinali Portugalliæ.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores facti, ſæuiſſimum ac potentiſſimum Turcarum Tyrannum ingenti conatu contra Chriſtianos hoc anno bellum apparare, neceſſarium eſſe duximus, dilectum hunc Filium, Magiſtrum Ludouicum de Torres, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericum, virum ob ſpectatam probitatem & fidem nobis probatiſſimum, ad chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Hiſpaniarum Regem Catholicum implorandi eius auxilij cauſsâ mittere: cui mandauimus, vt iſtuc quoque ſe conferret, cumque Sereniſſimo Rege nepote tuo quibuſdam de rebus noſtro nomine ageret, ad hoc idem negotium magnoperè pertinentibus. Rogamus autem circumſpectionem tuam, & per Omnipotentem Deum obſecramus, vt pro ſuâ eximiâ in Deum Omnipotentem pietate, communiſque Reipublicæ Chriſtianæ ſalutis ſtudio, ei ad conficien-

dum negotium, cuius cauſsâ à nobis miſſus eſt, ſuam opem, conſilium fauoremque apud eumdem Regem Sereniſſimum accommodet; eiuſque ſermoni, ſuper his rebus quas ipſi noſtro nomine exponet, perinde fidem habeat, ac ſi nos præſentes ſecumque loquentes audiret. erit id nobis certè gratiſſimum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIV. Martij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXII.

Quòd auxilium Chriſtianæ Reipublicæ contra Turcas mittendum apud Regem benè curauerit, gratias agit: ipſiuſque Regis coniugium vt procuret, hortatur.

Ad eumdem.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamuis numquam nobis dubium fuerit, quin chariſſimus in CHRISTO Filius noſter Portugalliæ Rex, nepos tuus, pro ſuâ erga Deum Omnipotentem pietate, & erga nos ſanctamque Sedem Apoſtolicam deuotione, opinioni, quam de Maieſtatis ſuæ erga Rempublicam Chriſtianam ſtudio ſummam ſemper habuimus, cumulatè reſponſurus eſſet; tamen ex illius circumſpectioniſque tuæ litteris VI. & VII. Iunij die ad nos datis, & ex his quæ dilectus Filius Magiſter Ludouicus

douicus de Torres, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericus, ad nos ſcripſit, certiores facti, quàm prompto alacrique animo claſſis ſuæ auxilium aduerſus immaniſſimum Turcarum Tyrannum pro Republicâ Chriſtianâ tuendâ inſequenti anno obtulerit, magnoperè in Domino gauiſi ſumus, Maieſtatique ſuæ eas quas debuimus gratias continuò egimus; quas eaſdem circumſpectioni tuæ quoque agimus, pro omnibus officiis, quibus & prædictum Ludouicum, quàm diu iſtic fuit, noſtri atque huius ſanctæ Sedis honoris gratiâ complexa eſt; & ei ad conficienda negotia, ob quæ à nobis miſſus fuit, operam, gratiam auctoritatemque ſuam apud eumdem Sereniſſimum Regem nepotem ſuum præſtitit. Illud tantummodò nobis moleſtum fuit, quòd de matrimonio inter illius Maieſtatem & Chriſtianiſſimi Francorum Regis ſororem contrahendo res adhuc confici non potuerit. Quâ de re cùm ad eum nuper diligentiſſimè ſcripſerimus, eiuſque Maieſtatem ad tale matrimonium quamprimùm ſtabiliendum vehementer in Domino hortati fuerimus; viſum nobis eſt eodem tempore ſuper eâdem re ad circumſpectionem quoque tuam ſcribere, eamque (ſicut his litteris facimus) hortari, vt apud prædictum Sereniſſimum Regem de eo ipſo matrimonio concludendo agere ne deſiſtat, donec (id quod nos, & priuatæ Regis Regnique ſui & publicæ populi Chriſtiani tranquillitati vtiliſſimum eſſe non dubitamus)

adiuuante Domino, tuâque auctoritate intercedente, tandem aliquando perficiatur. Cuius rei cauſſâ prædictum Ludouicum de Torres iſtuc reuerti voluimus, & de eiuſmodi matrimonij concluſione Regem vrgere. Cuius orationi ſuper hac ipsâ re, ceteriſque quæ ſecum loquetur noſtro nomine, vt pleniſſimam fidem adhibeat, circumſpectionem tuam requirimus. id erit nobis gratiſſimum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXIIII.

Has PIVS *litteras manu ſuâ ſcripſit, quibus Cardinalem, vt matrimonium inter Sebaſtianum Regem & Margaritam Valeſiam iungendum curet, hortatur. Vide lib.* IV. *cap.* III. *Vitæ* PII V.

Ad eumdem Cardinalem.

DIlecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Diebus elapſis quando miſimus ad Sereniſſimum Regem nepotem tuum, pro implorando auxilio contra immaniſſimum nominis Chriſtiani hoſtem Turcarum Tyrannum, Ludouicum à Turribus; ei quoque dederamus in mandatis, vt de matrimonio cum Sereniſſimâ Margaritâ, Chriſtianiſſimi Regis ſorore, ſermonem haberet; quodque

quodque omnia cum tuâ Reuerendiſſimâ Dominatione conferret, ac cum Sereniſſimâ ipſius auiâ, reliquisque ſanguine attinentibus. Verùm quia in litteris noſtris ad ipſum Sereniſſimum Regem nulla de contrahendo matrimonio mentio habebatur; iure Maieſtas ſua arbitrari potuit, rem non ita nobis cordi eſſe, prout eſt, & ob communem Chriſtiani populi tranquillitatem ac pacem, Regnorum ſuæ Maieſtatis bonum, ac in ſalutem ipſius Regis Sereniſſimi eſſe optamus. Idcircò voluimus ac mandauimus ipſi Ludouico, vt iterùm ad eamdem Maieſtatem redeat, & eâ de re iterùm inſtet, litterasque manu noſtrâ ſcriptas tradat; prout & præſentes quoque Reuerendiſſimæ Dominationi tuæ: vt in omnibus, quæ eâ de re ac de ferendis ſuppetiis exponet, ea percipiat perinde ac ſi nos ea coràm exponeremus; eamdemque fidem eius dictis adhibeat, perinde ac ſi ex ore noſtro prodirent. Seruet Deus Omnipotens Amplitudinem tuam incolumem in bonum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac præcipuè Regnorum ſuæ Maieſtatis Sereniſſimæ. Ex Vrbe XXIII. Auguſti, M. D. LXX.

EPISTOLA XXXIV.

Vt Catharinam Luſitaniæ Reginam amitam ſuam ex illo Regno in Caſtellam venire cogitantem de ſententiâ deducat, & matrimonium cum nepote Rege & Margaritâ

 Valeſiâ

Valeſiā iungi procuret, Hiſpaniarum Regem hortatur.
Vide lib. IV. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Per litteras Archiepiſcopi Roſſanenſis Nuntij noſtri, quæ Maieſtas tua reſpondit, intelleximus: quòd nimirum ad Sereniſſimæ Luſitanorum Reginæ ex eo Regno diſceſſum atque iſtuc aduentum attinet, id ne cogitaſſe quidem te, nedum deſideraviſſe, niſi quatenus eiuſdem Reginæ ſtudio curâque factum eſt; idque ſic ſe habere, nobis, vt par erat, gratum accidit. Sed quoniam ea nos cura vehementer angit valdeque ſolicitat, ob Regis illius atque adeò totius Regni eius tranquillitatem; illud in primis à Maieſtate tuâ etiam atque etiam petimus, vt ipſi Reginæ iſtuc ſe conferre cupienti atque petenti non modò non facilem ſe præbeat, ſed etiam obſiſtat; illamque proinde quàm optimis poterit rationibus moneat & adhortetur, vt Regis curam Regnique ſuſcipiat. Et quoniam non ita pridem intelleximus, eamdem Reginam Sereniſſimo Regi nepoti ſuo de eius Regni adminiſtratione quædam propoſuiſſe, quæ dilecti Filij noſtri Henrici Cardinalis animum commouere & offendere non mediocriter queunt; atque inter eos oriente diſſenſione, id ipſi Regi illiſque popu-

populis grauiſſima damna & incommoda poſſet afferre: idcircò hortamur te ac vehementer petimus, vti auctoritatem tuam interponas, cùm pro eâ, quæ tibi cum illis Principibus intercedit, affinitate & amicitiâ, tum etiam pro ſuâ in eos beneuolentiâ; perficiaſque, vt eorum animi reconcilientur, quò pari ſtudio ac voluntate Regi prodeſſe poſſint; & quæ huic concordiæ mutuæque beneuolentiæ, ſiue Regis, ſiue Reginæ, ſiue Cardinalis, in adminiſtris & conſiliariis, aut in aliis hominibus, obeſſe iudicaueris, ea prorſus remouenda procures. Et ſanè pergratum nobis fuit, illius Regis animum ad Margaritam, Chriſtianiſſimi Regis ſororem, ſibi vxorem adſciſcendam quotidie magis propendere. Vt igitur negotium primo quoque tempore cures conficiendum, à Maieſtate tuâ efflagitamus. Nos autem, ſi eam rem iuuare aliquo modo poſſe cognouerimus, libenter, quando tibi ita videbitur, noſtram in id auctoritatem interponemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXV.

Ad ſocialis belli fœdus contra Turcas ſecum & cum aliis Chriſtianis Principibus ineundum, Moſcouitarum Ducem hortatur. Vide lib. IV. *cap.* XIII. *Vitæ* PII V.

Dilecto

Dilecto Filio, nobili viro, N. Moſcouitarum Duci.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non dubitamus in Nobilitatis tuæ notitiam perlatum eſſe, quali quantoque maritimarum terreſtriumque copiarum apparatu immaniſſimus Turcarum Tyrannus bellum hoc anno contra Rempublicam Chriſtianam gerendum ſuſceperit, imò potiùs hoc ipſo tempore iam gerat, cùm & maximâ claſſe inſtructâ Cyprum Venetorum inſulam oppugnet, & ingentibus quoque terreſtribus copiis comparatis Chriſtianæ ditionis Regnis atque Imperiis interitum atque exitium minitetur. Quibus tot tantiſque periculis, nobis & huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ & vniuerſæ Chriſtianorum Reipublicæ impendentibus, commoti, neceſſarium eſſe duximus, Reges omnes ac Principes Chriſtianos ad ineundum aduerſus communem hoſtem nobiſcum fœdus excitare: vt enim eorum vires diſiunctas atque diſperſas potentiſſimorum Turcarum viribus pares eſſe non poſſe intelligimus, ita coniunctas & conſociatas non deſperamus eiuſdem atrociſſimæ gentis vim atque impetum frangere poſſe. Cuius quidem conſilij noſtri auctoritatem chariſſimus in CHRISTO Filius Hiſpaniarum Rex Catholicus, & dilectus itidem Filius, nobilis vir Aloiſius

Aloiſius Venetiarum Dux Senatusque Venetus ſecuti, nobiſcum per procuratores ſuos fœdus aduerſus eumdem Turcarum Tyrannum inierunt: ſperamusq; Sereniſſimum Maximilianum Hungariæ & Bohemiæ Regem in Imperatorem electum, & chariſſimum nobis in CHRISTO Filium Carolum Regem Francorum, paternis noſtris hortationibus excitatos in eiuſdem fœderis ſocietatẽ eſſe venturos. Ad huius autem ſanctiſſimi glorioſiſſimique fœderis ſocietatem viſum nobis eſt Nobilitatem quoque tuam inuitare; illam, prout hiſce noſtris litteris facimus, hortantes, vt arma, quibus ſe populosque ſibi ſubiectos Deus Omnipotens tantoperè excellere voluit, pro Chriſtianorum communis ſalutis defenſione aduerſus Turcas nobiſcum, & cum ceteris Chriſtianis Principibus capere velit. Quod ſi fecerit, ſperamus, quæ tua populorumque tuorum tibi ſubditorum militaris eſt virtus ac potentia, magnas nobis eſſe acceſſuras vires, ad communis omnium Chriſtianorum hoſtis impetum ac vires debilitandas ac labefactandas. Quanta enim ſit potentiæ tuæ magnitudo, quanta ſit gentis tuæ in militaribus rebus fortitudo, non ignoramus. Quam quidem ad rem primùm innata ſibi veræ gloriæ cupiditas Nobilitatem tuam hortari, deinde propria etiam vtilitas debet. Fallitur enim Nobilitas tua, ſi exiſtimat, auidiſſimam dominandi Turcarum gentem, niſi omnibus priùs Regnis ac Potentatibus vel deletis,

vel miſerrimâ ſeruitute oppreſſis, vnquam eſſe quieturam. hoc illi vnum ſemper propoſitum fuit, hoc ſemper ſpectauit & ſpectat, vt omnes quæ vbique terrarum ſunt nationes, omnia Regna, omnesque Principatus, importunâ quâdam regnandi cupiditate in ſuam redigat ſeruitutem. Itaque nullum eſt in Occidentis partibus Regnum, nullus Potentatus, quem non ſpe iam & cogitatione inuaſerit, viſque ſubegerit: nam quia Chriſtianos inter ſe Principes numquam conſenſuros eſſe exiſtimat, idcircò facile putat omnium illorum Regna vi atque armis ſibi vindicare: & dum aliquibus Principibus bellum inferens cum aliis interim amicitiam ſimulat, omnes opprimere ac de medio tollere vult. tibi autem, populisque tuæ ditioni ſubiectis, eò maius ab eâ gente periculum impendet, quò ab illius imperio propiùs abes. Quæ cùm ita ſint, Nobilitatem tuam hortamur, vt in prædicti fœderis ſocietatem venire, & aduerſus communem hoſtem Turcarum Tyrannum communi conſilio atque armis pium bellum gerere velit, potiùs quàm omnibus Regnis per eum ſublatis, dum ad ſe quoque eiuſdem incendij flamma perueniat, expectare. Quia verò certiores facti ſumus, Nobilitatem tuam aliquando in animo habuiſſe, huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium Religionis cultum amplecti; idcircò ei pollicemur, nos, ſi id fecerit, nulla paternæ noſtræ erga ſe voluntatis indicia prætermiſſuros, & quibuſcumque cum

Domino

Domino poterimus officiis noſtram illi beneuolentiam declaraturos: quemadmodum Nobilitati tuæ copioſiùs explicabit dilectus Filius Vincentius Porticus, Notarius noſter, & apud Sereniſſimum Poloniæ Regem noſter ac Sedis Apoſtolicæ Nuntius; quem ad Nobilitatem tuam deditâ operâ venire voluimus: cuius orationi ſuper omnibus, quæ ſibi exponet, eamdem fidem vt adhibeat, quam nobis, ſi præſentes cum eâ loqueremur, adhiberet, Nobilitatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IX. Auguſti, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXVI.

Anglis Catholicis contra hæreticos auxiliares copias mitti procurat. Vide lib. III. *cap.*IX. *Vitæ* PII V.

Dilecto Filio, nobili viro Ferdinando Duci Albæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. De motu rerum Anglicarum à Catholicis eiuſdem Regni contra hæreticos, atque adeò contra illam quæ ſe pro Angliæ Reginâ gerit, excitato, certiora & maiora indies cognoſcentes; pro ſuſcepto Apoſtolicæ ſeruitutis officio, anxio & ſolicito animo eſſe cogimur de illorum ſalute, qui pro reſtituendâ in eo Regno Catholicâ

Religione non minùs piis quàm iuſtis armis ſuſceptis, periculum fortunarum & capitis ſui pro Dei Omnipotentis cauſsâ neglexerunt. Quia verò, propter iſtius cui præes regionis cum eo Regno vicinitatem, te vnum maximè omnium Anglorum Catholicorum copias multis modis iuuare poſſe intelligimus; idcircò Nobilitatem tuam hortamur, & quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus, rogamus, vt, ſi hoc chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri Hiſpaniarum Regis Catholici voluntate & commodo facere poteſt, quidquid ad eas ipſas copias, vel tuendas, vel augendas, vel adiuuandas conferre valet, id ne prætermittere velit. Vt enim, ſi eorum, qui ferre auxilium poſſunt, ſubſidio deſtitutæ fuerint, periculum eſt, ne vel ab aduerſariis opprimantur, vel per ſe ipſæ diſſipentur: ſic etiam, ſi adiutæ fuerint, ſperandum eſt per eas in Regno illo Religionem Catholicam reſtitui poſſe. Quæ res, ſi Deo in primis adiuuante, teq́ue omnibus quibus potes rebus adnitente, acciderit; vides ipſe quantam ex eâ re, quamq́ue ſolidam veramq́ue gloriam ſis conſecuturus. Quod, niſi res ipſa per ſe ſatis loqueretur, pluribus verbis tecum ageremus: ſed quia, & hæc ipſa quæ diximus, & cetera, quæ in eamdem ſententiam dici poſſent, Nobilitati tuæ pro ſuâ prudentiâ & maximo rerum vſu perſpectiſſima eſſe ſcimus, ipſamq́ue ad benè de Religione Catholicâ merendum ſatis ſuâ ſponte incitatam eſſe intelligimus; idcircò non dubitamus,

bitamus, eam libenter & promptè, quidquid poterit, pro fidei Catholicæ cauſsâ facturam, in eâque re nullum neque noſtris neque cuiuſquam hortationibus locum relicturam. quod vt faciat, pro noſtro tamen officio vehementer in Domino rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IV. Februarij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXVII.

Scotiæ Reginam Catholicâ pro fide in carcere fortiter ſe gerentem commendat & conſolatur. Vide lib. III. *cap.* VIII. *&* IX. *Vitæ* PII V.

Mariæ Reginæ Scotiæ.

CHariſſima in CHRISTO Filia noſtra, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non ſolùm Maieſtatis tuæ litteras vltimâ die Aprilis ad nos datas libenter legimus, quibus ad noſtras nonâ die Ianuarij ſcriptas reſcribit; ſed etiam nuntium ipſum, qui eas attulit, de tuo rerumque tuarum ſtatu nobiſcum copioſiùs loquentem, & benignè, quemadmodum debuimus, excepimus, & attentè audiuimus. In ipſis autem litteris Maieſtatis tuæ duo nos præcipua vehementer in Domino delectauerunt. primum, quòd, quamuis multis magniſque calamitatibus afflicta, conſolationem tamen no-

ſtram Maieſtas tua ſic ſuſcepit, vt eâ ipsâ non modò leuatum eſſe dolorem ſuum, ſed ſanatum eſſe ſignificet: alterum, quòd Omnipotentis Dei benignitati ac miſericordiæ ſic confidere videtur, vt firmiter ſperet ſe nullis neque periculorum ac tormentorum denuntiationibus, neque præmiorum pollicitationibus ab Eccleſiæ Catholicæ communione atque obedientiâ auelli poſſe. In altero animi tui patientiam diuinæ voluntati acquieſcentem, in altero perſeuerandi voluntatem ſpei deſiderio incenſam, debitis in Domino laudibus commendantes, Maieſtatem tuam hortamur, vt eam ipſam in Redemptore noſtro ſpem omni ſtudio retinere ſtudeat: nam ſi in miſeriis poſita per patientiam & ſpem Dominum expectabit, viasque eius perſeueranter cuſtodierit, potens eſt Dominus non ſolùm Maieſtatem tuam exaltare, vt poſt breuem hanc vitam hereditate capiat Regnum cæleſte; ſed etiam vt in hac vitâ conſtituta, ex tot tantisque calamitatibus aliquando erepta, in priſtinam Regni temporalis poſſeſſionem reſtituatur. Quam quidem ad rem, quæcumque potuimus adiumenta, & anteà Maieſtati tuæ attulimus, & quæ deinceps poterimus, ſemper afferemus. vt enim nihil eſt quod ſuæ iſti ſingulari erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam deuotioni & Religionis Catholicæ ſtudio deberi non exiſtimemus; ſic nulla vnquam paternæ noſtræ erga ſe voluntatis officia patiemur ab eâ deſiderari. Reliquis

autem

autem de rebus, de quibus prædictus Nuntius ſuus nobiſcum Maieſtatis tuæ nomine egit, quid reſpondendum, quídve ſtatuendum duxerimus, ex ipſomet Maieſtas tua ſubtiliùs cognoſcere poterit, cuius nos orationi referimus. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Iulij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XXXVIII.

MARIÆ Scotorum Reginæ ad PIVM V.

Pontificis erga ſe benignitatem commendat: ſociali bello contra Turcas opem ferre cupit: ſuas ac Regni ſui calamitates deplorat: vel duris conditionibus cum Anglis pacem facere ſe debere ſcribit: denique Filij ſui pietatem in Deum, & in Apoſtolicam Sedem obedientiam, perpetuam fore pollicetur.

B*Eatiſſime Pater, poſt Sanctiſſimorum pedum oſcula, ſub Octobris initium Sanctitatis tuæ litteras tertio Idus Iulij datas accepi, quibus intellexi non ſolùm quòd ad me Beatitudo tua miſit Apoſtolicæ benedictionis munus, quod mihi fuit eritque perpetuò quàm gratiſſimum; ſed etiam quàm apertè illa teſtaretur ſe mihi fore conſolationi, & quàm libenti animo ſuâ me beneuolentiâ dignaretur. Ego verò mirificè recreabar anteà, cùm ſingulari pietate, quam mihi Beatitudo tua, grauiſſimis alioqui*

qui rebus occupata, datis ad me litteris declarabat, tum etiam quòd ei placuiſſet, & me & res meas potentiſſimis quibusque Principibus, ac præſertim Sereniſſimis Galliarum Hiſpaniarumq́ue Regibus commendare. Verùm enimuerò alterá ex parte reliquum eſſe video, Chriſtianos impellere, vt, arctiſſimá inter ſe conflatá ſocietate, nullis aut vigiliis aut laboribus aut ſumptibus parcendum putent, quò aliquando poſſint crudeliſſimum illum Turcarum Tyrannum, nihil aliud aſſiduè molientem quàm vt nobis vniuerſis bellum inferat, prorſus debellare. Atque vtinam cetera omnia meæ reſponderent voluntati! Nam quid ſubinde fieret à me, Sanctitati tuæ planè indicaret euentus; foretq́ue, vt non ſolùm ego, ſed etiam qui in meâ ſunt auctoritate, omnes animis viribusq́ue coniunctis vnà cum ceteris Chriſtianis vniuerſis extrema quæque experirentur. Sed quid miſerabilius ſpectari poteſt, quàm me ex eo, in quo florebam anteà ſtatu felicitatis, in tot tantasq́ue miſerias deiectam intueri? quid maiore dignum commiſeratione, quàm ex liberâ, quæ eram, ſeruam factam eſſe? Ad has autem miſerias illud accedit etiam incommodi, quòd tot tantisq́ue calamitatibus oppreſſa & diſſipata, totq́ue Anglorum incurſionibus afflicta reperitur patria mea, vt pagi quamplurimi incendio conflagrarint, multaq́ue caſtella & ſacratæ ædes funditus euerſæ conſpiciantur: ſed, quod peius eſt, ditionum mearum incolæ ſubiectiq́ue mihi populi ab hoſtibus, nullâ vel minimâ laceſſitis iniuriâ, ſunt crudeliſſimè contrucidati. Sed quid? An mihi de me nihil eſt dicendum? An verò

quiſpiam

quiſpiam ignorat, quàm certis variiſque in periculis aſſiduè verſer? Teſtem inuoco Deum, qui nouit optimè quàm magnis miſeriarum fluctibus ad hanc vſque diem ſim perpetuò conflictata. Atque interim hac ipsâ ſæuâ tempeſtate furente quotidie magis, qui rebus prouidendis auxilio ſe mihi futuros eſſe pollicebantur, ij mox promiſſis minimè ſtantes nullam prorſus mihi opem attulere, neque ſpes eſt deinceps eos allaturos: niſi fortè hæc hominum ingenia in tutandam rem meam pro tempore propenſiora fiant, & ad eiuſmodi pro me ſuſcipienda negotia aliquando commoueantur. Verùm vt quod ſentio liberè dicam, tametſi ex tranſmarinis gentibus copiæ exercitusque fortiſſimi cogerentur; tamen non ſine graui periculo brumalibus diebus in Scotiam traijci poſſent per Oceanum, qui per id tempus turbulentiſſimus ac fluctuantiſſimus eſſe ſolet. At verò alterâ ex parte Angli, qui nullo interfluente amne dirimuntur à Scotis, ipſis bellum queunt inferre: qui quidem vel minimâ inter ſe ortâ contentione in armis confeſtim eſſe conſueuerunt. His ego grauiſſimis adacta conſiliis, niſi velim & vitæ & patriæ meæ rationibus ſumma conflare pericula, facere nullo modo poſſum, quin conditionibus, mihi vel incommodiſſimis, cum Anglis pacem conficiam: ſaluis tamen ſemper, vt dici ſolet, honoris & conſcientiæ legibus. Honor enim eſt in adminiſtratione ciuili neceſſarius ad Rempublicam rectè moderandam: conſcientia verò, tamquam vis & regula diuina mortalibus indita, ſolet eos ad optimum quemque finem dirigere. Quæ licet aliquando calamitatibus prematur, nullis tamen vmquam

vel cruciatibus, vel præmiorum pollicitationibus, ab Eccleſiæ Catholicæ communione & obedientiâ diſtrahi mihi poteſt vel exturbari. Sed inter cetera illud vnum ſanè acerbiſſimum Sanctitati tuæ referendum putaui: nempe rem eouſque proceſſiſſe, vt cupiant aduerſarij vnicum filium meum Regníque heredem, Anglorum in manus tamquam obſidem ad tempus dari: ſic tamen, vt mihi interim ſit integrum, quos velim ei moderatores & conſiliarios adiungere: ac proinde liberè pateat aditus, non modò mihi, ſed etiam ijs omnibus, quos ad eum viſendum in Angliam mittendos ipſa decreuero. Neque verò Sanctitati tuæ dubium eſſe debet, quin ipſe bonis ſanctiſque moribus præditus, ſit futurus, quamuis in medio nationis prauæ eſſet ei viuendum, perfectum Catholicæ Apoſtolicæque membrum Eccleſiæ, ad eius opem ſemper paratiſſimum. Verùm ne longior fiat Epiſtola; clauſula ſit, omnino velle me Beatitudini tuæ identidem nuntiare de ſtatu & ſucceſſu rerum omnium, quæ inter hoc genus hominum & me fiunt hoc tempore, & item earum quæ paulò grauiores gerantur indies. Et verò quoniam omnia litteris tradere difficillimum eſt, idcircò de rebus meis omnibus edocui Dublinenſem Antiſtitem, quippe qui mihi ſemper fideliſſimus fuit internuntius, idemque Sanctitatis tuæ & ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimus. cui ſanè in rebus vniuerſis, quas ille meo nomine tecum aget, Beatitudo tua fidem habere poterit. Intereà verò Deum Dominum noſtrum ſupplex oro, vt pro ſuâ infinitâ clementiâ à pernicioſis hoſtium ſuorum cogitationibus

nibus

nibus Eccleſiam Catholicam protectam velit. In quâ nos omnes in Sanctitatem tuam, tamquam in lumen clariſſimum, oculos mentemque defixam habemus, abs te in nomine diuinæ Maieſtatis ſanctiſſimam benedictionem tuam continenter expectantes: atque ita cuncti ſimul animis coniuncti, Sanctitati tuæ precamur longiſſimam vitam, ad Omnipotentis Dei gloriam, piorumque omnium conſolationem. Catiſuorthi in Angliâ pridie Kalend. Nouembris, M. D. LXX.

EPISTOLA XXXIX.

Vt Catholicam Religionem Romanæque Eccleſiæ dignitatem in Cæſareo Conuentu contra hæreticos tueatur, Archiepiſcopum Treuirenſem hortatur.

Venerabili Fratri, Ioanni Archiepiſcopo Treuirenſi, Sacri Romani Imperij Principi Electori.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ erga Catholicam Religionem ſtudium, diuinique honoris zelum benè cognitum habentes, non dubitamus illam omnino non adfuturam eſſe in eo Conuentu, qui ad Spiram hoc ipſo menſe à chariſſimo nobis in CHRISTO Filio Maximiliano in Imperatorem electo indictus eſſe dicitur: in quo, etſi pro comperto

habemus, eam neque perſonæ ſibi ab Omnipotenti Deo impoſitæ, neque noſtræ de ſuâ eximiâ erga ſanctiſſimam Dei Eccleſiam pietate expectationi defuturam eſſe; tamen prætermittere non debuimus, quin Fraternitatem tuam his noſtris litteris ad officium ſuum, in eò Conuentu pro Fidei Catholicæ Eccleſiaſticique Ordinis defenſione præſtandum, vehementer in Domino hortaremur. quia enim hæreticorum conſuetudo ea eſt, vt eiuſmodi Conuentuum occaſione ſibi oblatâ aliquid ſemper, vel ad confirmandam hæreſum ſuarum peſtem, vel ad huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ maieſtatem auctoritatemque minuendam, moliantur; idcircò Fraternitatis tuæ partes erunt, primùm quidem quantum in ſe eſt conari, ne in eo Conuentu aliquid de rebus ad Religionem pertinentibus agatur: deinde, ſi hoc obtinere non potuerit, id quod proximum eſt, ſaltem ſtudere, vt ne quid ſtatuatur ac decernatur, quod vel Religionis Catholicæ ſtatum, tot hæreſum peſtibus in iſtâ Prouinciâ labefactatum, ad peiorem conditionem adducere, vel huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritati maiora, quàm quæ adhuc accepit, detrimenta adferre valeat. In quam eamdem ſententiam, quia dilecto Filio Magiſtro Melchiori Bilio, Notario noſtro, & apud Cæſaream Maieſtatem noſtro & Sedis Apoſtolicæ Nuntio, plura Fraternitati tuæ communicanda ſcripſimus; idcircò Fraternitatem tuam illius ſermoni, quem ſuper

eâdem re ſecum noſtro eſt nomine habiturus, eamdem fidem habere volumus, quam nobis ipſis præſentibus ſecumque loquentibus haberet: erit id nobis gratiſſimum. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die II. Iunij, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XL.

Presbyterum & Ludimagiſtrum hæreticos, ceteris pernicioſos, teneri, & in Epiſcopi poteſtatem tradi, poſtulat.

Dilecto Filio, nobili viro, Carolo Archiduci Auſtriæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Allatum eſt ad nos, Coſlahui, quod oppidum temporali iuriſdictioni Nobilitatis tuæ ſubiectum eſſe aſſeritur, Presbyterum quemdam, Matthæum de Piſino vocatum, commorari, hominem manifeſtè hæreticum; qui nihil aliud magis ſtudet quàm populos à fidei Catholicæ veritate ad hæreticæ falſitatem auocare: & vbique hæreſum, quibus eſt vehementer infectus, tum priuatim, tum publicè docendo, venenum diſſeminare conatur, magnâ cum Dominici gregis iacturâ, fideliumque Chriſto populorum ſcandalo. Quin etiam ſuperioribus menſibus prædicti oppidi

Domini filiam baptizaſſe dicitur, & in eo baptiſmate veterem & ſanctam Eccleſiæ Catholicæ formam minimè ſeruaſſe. In eodem quoque oppido quemdam Georgium eſſe audiuimus ſcholæ magiſtrum, virum hæreticæ prauitatis labe infectum, qui non ſolùm eos, quos docet pueros, ſed etiam quoſcumque poteſt, omnibus artibus ſeducens, eâdem quâ ipſe imbutus eſt hæreſum doctrinâ contaminat. Tuam verò Nobilitatem decet, Epiſcopo, cuius diœceſi loca tuæ ditionis ſubiecta ſunt, ad tantæ peſtis animarum contagionem coërcendam auxilium fauoremque ſuum propenſo animo impendere. Idcircò Nobilitatem tuam hortamur in Domino, & ab eâ requirimus, vt prædictos homines per miniſtros ſuos comprehenſos, iſtius diœceſis Epiſcopi miniſtris tradi iubeat: quibus niſi Nobilitas tua quam poteſt opem ſuam in rebus ad eorum officium pertinentibus præſtiterit; breuî futurum eſſe videmus, vt non ſolùm in eo oppido, ſed in ceteris quoque ſuæ ditionis locis omnes hæreticæ prauitatis labe inficiantur, magnâ cum animarum IESV CHRISTI Domini noſtri Sanguine redemptarum pernicie. Id autem & Nobilitas tua ſtudioſiùs facere debet, quòd eadem res ad populos in fide & obſequio continendos, & tranquillâ pace regendos, maximè pertineat: vt, ſi id fecerit, non ſolùm id factura ſit quod decet, ſed eodem quoque tempore ditionis ſuæ ſecuritati conſultura: quod idem vt

noſtrâ

noſtrâ quoque cauſsâ facere velit, Nobilitatem tuam rogamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die tertiâ Auguſti, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XLI.

Colonienſium, in ciuitate ſuâ Catholicæ Religionis in officio continendâ, & ab hæreticorum conſuetudine cuſtodiendâ, pietatis ſtudium commendat.

Dilectis Filiis, Conſulibus & Senatui ciuitatis Coloniæ Agrippinæ.

DIlecti Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Magnam litteræ veſtræ, XIII. Iunij die datæ, nobis in Domino lætitiam attulerunt: quibus vos purgatos eſſe voluiſtis de his, quæ ad nos ſuperioribus diebus delata, dilectionibus veſtris, per litteras noſtras, XXII. Februarij datas, ſignificanda eſſe pro Paſtorali officio noſtro exiſtimauimus. Perſpeximus enim ex illis, quantoperè laboretis de veſtrâ apud nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam exiſtimatione retinendâ: quod veſtri erga Religionem Catholicam ſtudij, & aduerſus hæreticos perfecti odij ſignum minimè obſcurum eſſe iudicamus. In primis autem illa nobis fuerunt gratiſſima, quæ ad vitandam hæreticæ prauitatis contagionem, ſuper aduenis non paſſim, ſed adhibitâ cautione

quales

quales ſint, recipiendis & approbandis, non minùs religiosè quàm prudenter à vobis conſtituta ſunt. vt enim magnum in eâ cautione momentum poſitum eſſe iudicamus ad ciues veſtros ab omni prorſus hæreſum labe cuſtodiendos; ſic eam à vobis adhibitam eſſe vehementer gauiſi ſumus, eiuſque rei nomine debitis vos in Domino laudibus proſequentes, deuotiones veſtras hortamur, vt eâ quâ cœpiſtis vigilantiâ ac diligentiâ, patriam veſtram ab hæreticorum venenatâ conſuetudine integram atque incorruptam tueri perſeueretis. Videtis enim lupos, videtis apros de ſiluâ, ad laniandas Dominicas oues, ad exterminandam Domini vineam, vbique paratos atque intentos: qui ſi omnes vndequaque aditus ſibi ſolicitudine veſtrâ clauſos reperient; dentibus illi quidem ſuis frement, ſed tamen tabeſcent, cùm nullum ſibi ad nocendum locum relictum eſſe conſpexerint. Quod verò ad ea pertinet, quæ eiſdem veſtris litteris falsò ad nos delata eſſe doletis: etſi dolorem veſtrum iuſtâ de cauſsâ ſuſceptum eſſe non dubitamus; magis tamen quòd illa falſa fuerint gaudendum, quàm quòd falsò delata ſint, triſtandum vobis eſſe cognoſcimus: quippe illud dolendum eſſet, ſi verè delata fuiſſent. quæ tamen cùm à viris ſpectatæ fidei, integritatis ac grauitatis, nobis dicerentur; nullo modo potuimus, ac debuimus, ea vel contemnere vel diſſimulare: fieri tamen poteſt, vt qui ea nobis dixerunt, ipſi quoque falſa audie-

rint.

rint. Quod ita eſſe, pro noſtrâ erga vos paternâ beneuolentiâ, veſtrâque erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiâ, non magis optamus quàm ſperamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXI. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XLII.

Regem Poloniæ hortatur, vt Tranſiluaniæ Principi perſuadeat, vt in locis ditioni ſuæ ſubiectis Catholicæ Religionis cultum recipi, & hæreticos inde pelli procuret. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamuis ſuperioribus diebus pacificationis inter chariſſimum in CHRISTO Filium noſtrum Maximilianum in Imperatorem electum & Sereniſſimum Tranſiluaniæ Principem nepotem tuum nuntio accepto, Maieſtati tuæ totiq; Reipublicæ Chriſtianæ eam pacificationem per litteras gratulati fuerimus, & quædam etiam de ipſo Principe ad Religionis Catholicæ profeſſionem per Maieſtatem tuam inducendo adiecerimus: tamen pro noſtro erga eam paternæ beneuolentiæ affectu cupientes, ipſam Omnipotentis Dei, cuius perfecta ſunt opera, virtutem, eo ipſo

adiuuante, quoad eius fieri poteſt, imitari; Maieſtatem tuam vehementer in Domino hortamur, eidem Sereniſſimo Principi nepoti ſuo, omni quam apud illum habet auctoritate interpoſitâ, perſuadere conetur, vt in locis ditioni ſuæ ſubiectis veræ Catholicæque Religionis cultum quamprimùm recipere, receptum conſtanter tenere, atque inde hæreticos aduenas expellere velit. Quod ſi fecerit, pro certo habeat, nullum ſe quàm hoc in rebus aduerſis contra infideles firmius tutiusque præſidium eſſe habiturum. Vanum eſt enim exiſtimare, quemquam vel potentiſſimum Principem Imperij ſui fines ciuitatesque tueri poſſe, niſi eas Dominus cuſtodiuerit: quomodo autem eas Dominus cuſtodiet, niſi ei Princeps per veræ Religionis profeſſionem adhæreat? Quo quidem officio eò ſtudioſiùs fungi debet Maieſtas tua, quo, vt aliis ad eam litteris ſcripſimus, aliquanto ipſi glorioſius futurum eſt, nepotem ſuum Omnipotenti Deo atque huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ quàm Cæſari reconciliauiſſe. Etenim Cæſare reconciliato, videri poteſt illius Imperio conſuluiſſe: ſi verò eumdem Redemptori noſtro, ſanctiſſimæque illius Eccleſiæ communioni, reſtituerit; non ſolùm de Imperio illius conſeruando, ſed de animæ ipſius ſalute ſollicita fuiſſe videbitur: cuius quidem animæ ſi ille in ſuâ ditione Religionem Catholicam non admittens, detrimentum patiatur; quid ei non modò Cæſaris recon-

reconciliatio, ſed etiam ſi vniuerſum mundum lucretur, prodeſſe poterit? Decet autem præcipuè Maieſtatem tuam, Sereniſſimo illi Principi nepoti ſuo ita conſulere, vt, quæ in eo pretioſior eſt, animam ſcilicet ante omnia ſaluam atque incolumem eſſe ſtudeat: nam, quemadmodum eſt apud Apoſtolum, qui ſuis non prouidet, & maximè domeſticis, fidem abnegat, & eſt infideli deterior. Quæ omnia non ideò pluribus ad Maieſtatem tuam verbis ſcripſimus, quòd eius erga Sereniſſimum nepotem ſuum charitati pietatique diffidamus; ſed vt noſtro ipſi officio fungentes, paternæ noſtræ erga vtrumque veſtrûm voluntatis affectum Maieſtati tuæ declaremus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Octobris, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XLIII.

Regis Poloniæ pietatem commendat, quòd extortum decretum de permiſſione Auguſtanæ Confeſſionis reuocarit, eumque, vt in Regno ſuo Catholicam Religionem protegat, hortatur. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Sigiſmundo Auguſto, Regi Poloniæ.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantâ ſuperioribus diebus animi moleſtiâ affecti fuimus,

cùm in notitiam noſtram perlatum eſſet, quorumdam hæreticorum fallaciis ab iſtius Regni Cancellario mandatum extortum fuiſſe, in quo Maieſtatis tuæ nomine Magiſtratibus Derſchouienſis ciuitatis facultas dabatur, vt in quibuſdam Eccleſiis, ſecundùm Confeſſionis Auguſtanæ præſcriptum, & haberi conciones & adminiſtrari Sacramenta poſſent, & earum ipſarum rerum miniſtri in Maieſtatis tuæ fidem ac protectionem ſuſciperentur; tantam poſteà lætitiam accepimus, cùm à Maieſtate tuâ tam peſtiferum Religioni Catholicæ mandatum reuocatum fuiſſe cognouimus. In quo reuocando, ſicut Maieſtas tua fecit id quod ſuo maiorumque inclytæ memoriæ Regum perpetuo Chriſtianæ orthodoxæque fidei ſtudio dignum fuit: ſic nos talem tamque eximium ſuum erga Deum Omnipotentem pietatis affectum debitis in Domino laudibus commendamus. Ex hoc vno hæreticorum ipſius Regni crimine, facile eſt Maieſtati tuæ, quid reliquis omnibus animi audaciæque ſit, intelligere; quando non veriti ſunt, ad ſpargendum confuſionis illius Auguſtanæ in vulgus venenum, Regij tui nominis auctoritate turpiter abuti. Quod ne ampliùs audeant, néve aduerſus inueteratam tot annorum ſæculis Eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ auctoritatem profanas vocum nouitates introducere ſtudeant; decet te, chariſſime in CHRISTO Fili, omni quâ potes adhibitâ diligentiâ prouidere. Vna eſt Fides Catholica,

ab Apoſtolorum temporibus per longam Romanorum Pontificum ſeriem vſque ad Pontificatum noſtrum atque hæc tempora deducta: à quâ qui vnâ in re deficit, factus eſt omnium reus. Auguſtana autem Confeſſio, etſi ſimilis eſt ceteris hæreſum prauitatibus; tamen ob eam cauſſam periculoſior eſt, quòd leuiùs quàm ceteræ à Catholicæ Fidei profeſſione declinans, ſpeciem quamdam Religionis retinere videatur; eò pernicioſior aliis, quò venenum eius occultiùs latet, nec eminet foras. Erras, ſi putas eos vno confuſionis Auguſtanæ nomine atque errore contentos fore: hoc illi principio Maieſtatis tuæ patientiam tentant, initiumque ſolùm ab Apoſtolicâ doctrinâ atque ab hac ſanctâ Sede deſciſcendi quærunt. quod illicò atque obtinere potuerint, Regnum tuum innumerabilibus diſſentientium inter ſe hæreſum diſcordiis miſerabiliter diſtrahi lacerarique videbis. Hæc, quæ vera ſunt & ipsâ rerum experientiâ comprobata, liberè, ſicut perſonâ officioque noſtro dignum eſt, ad Maieſtatem tuam ſcribere voluimus; hortantes eam in Domino, & quo maiore animi noſtri ſtudio poſſumus rogantes, vt, quod ſui muneris regiæque perſonæ ſibi ab Omnipotenti Deo impoſitæ proprium eſt, operam det, ne & iſtic Religio Catholica (quod Deus auertat) ab hæreticorum fallaciis detrimentum aliquod patiatur; & nos hîc ea, quæ nollemus, magno cum animi noſtri dolore audire cogamur.

Quod Maieſtatem tuam, pro eximio ſuo Fidei Catholicæ ſtudio, & erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam obſeruantiâ, facturam eſſe pro comperto habemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die v. Decembris, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XLIV.

Tribus Melitenſium triremibus captis, ac centum ferè militibus partim cæſis, partim in ſeruitutem abreptis à Turcis, dolentem Petrum, communicato dolore, conſolatur.

Dilecto Filio Petro de Monte, Magiſtro Hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymitani.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Reddidit nobis dilectus Filius Frater Laurentius Guaſconius, iſtius Ordinis Eques, litteras tuas XXIII. Iulij die ad nos datas, iuſtiſſimi doloris & moleſtiæ pleniſſimas: in quibus de tribus triremibus amiſſis, de tot Religionis tuæ nobiliſſimis Equitibus ab infidelibus interfectis, magnâq; ab iſto Ordine acceptâ calamitate, certiores nos feciſti. Quâ in re, etſi non minorem nos, & tota Chriſtiana Reſpublica, quàm tu, iacturam fecerimus; dolor tamen tuus, quem de tot Fratrum tuorum amiſſione magnum te accepiſſe ex tuis litteris cognouimus,

tantam

tantam nobis mœroris cauſſam attulit, vt, quia nos de duobus charitas vnum efficit, animum noſtrum ob tuam atque iſtius Ordinis calamitatem præcipuo quodam dolore afficiat. Non parum nos ea, quam nobis ſignificas, animi tui inductio eſt conſolata, quâ, id quod accidit, aut volente, aut certè permittente Domino accidiſſe intelligis: à cuius diuinâ voluntate vel conſilio nefas ſit animi noſtri ſenſum abhorrere. Decet autem te, cùm communis tibi cum ceteris Chriſtifidelibus Chriſtianæ Religionis, tum præcipuè iſtius Ordinis profeſſionis nomine, ex Fratrum tuorum morte, potioris vitæ ſpe, diuturno non affici dolore: qui enim contra infideles fortiter pugnantes occubuerunt, hos credendum eſt ad veram vitam moriendo perueniſſe. Habent illi fortaſſe non iniuſtam diuturni doloris excuſationem, qui nonniſi præſentem vitam agnoſcunt, qui de hoc ſæculo ad melius tranſitum eſſe non ſperant: nos autem, qui nouimus, qui hoc & credimus, & alios docemus, nimio de hiſce rebus humanis perturbari dolore non debemus: ne quod apud alios pietatis obtinet ſpeciem, id nobis deſperationis culpam afferre videatur. Quocircà deuotionem tuam hortamur, vt aduerſis rebus animum non deijciat; ſed, iuxta Sapientis vocem, in die malorum memor ſit bonorum: potens eſt enim Deus in mortuorum tuorum Fratrum locum alios vel ex iſtius inſulæ lapidibus excitare. Nos autem, quod reli-

quum eſt, quantum per exiguas atque afflictas huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ facultates licebit, operam dabimus, vt iſtam tuam Ordiniſque iacturam quamprimùm ſarciamus. Quam quidem ad rem, non ſolùm quantum vires noſtræ ferre poterunt, ſed aliquanto etiam plura impendere non recuſabimus; & omnino aliquam rationem inibimus, quâ tuis atque iſtius honeſtiſſimi Ordinis, de Republicâ Chriſtianâ optimè ſemper meriti, rationibus, adiuuante Domino, conſulamus: quemadmodum prædicto Laurentio, internuntio apud nos in præſentiâ tuo, pluribus verbis diximus. quem hominem in negotiis iſtius Religionis tractandis diligentem & prudentem, tuique & ſuæ Religionis ſtudioſiſſimum cognouimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Auguſti, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XLV.

De Ferrariâ terræmotu afflictâ dolorem ſe percepiſſe, & piis precibus & vitæ integritate iram Dei, qui mortalium peccatis offenſus, eiuſmodi clades quandoque permittit, placandum eſſe oſtendit.

Dilecto Filio, nobili viro, Alfonſo Eſtenſi, Duci Ferrariæ.

DIlecte Fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Magno dolore affecti

cti fuimus ex his quæ de iſtius vrbis calamitate, ob vehementes in eâ terræmotus excitatos, ad nos allata ſunt; quibus multas eiuſdem ciuitatis partes, magnâ cum ædificiorum publicorum & priuatorum ruinâ, hominumque etiam ipſorum ſtrage, afflictas eſſe cognouimus. Quibus tuis incommodis commoti, totque hominum miſerabilem caſum dolentes, Nobilitatem tuam, quam paterno charitatis affectu vehementer in Domino diligimus, in eodem his litteris conſolari voluimus. Quamuis autem eiuſmodi terrarum motus naturalibus ex cauſſis oriantur; tamen diligenter attendendum eſt, ne illis peccata noſtra cauſſam fortaſſe attulerint. Solet enim Deus his quoque rebus iram ſuam in populos, atque adeò in ipſos Principes, non obſcurè quandoque ſignificare: quam pro ſuâ miſericordiâ vt ab iſtâ ciuitate populoque auertere velit, humiliter in puritate cordis eſt obſecrandus. quod nec ipſi pro noſtro officio prætermittimus, & vt idem Nobilitas tua & ipſa faciat, & à piis hominibus faciendum curet, magnoperè illam in Domino hortamur. Dilecto autem Filio Turoni Bertano, Internuntio apud nos, tuo nomine à nobis benedictionem petenti, libenter admodum dedimus; Omnipotentemque Deum precamur, vt actiones tuas ad ſui nominis gloriam, ſubiectorumque tibi populorum vtilitatem, dirigere miſericorditer dignetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris,

ſcatoris, die primâ Decembris, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA XLVI.

Coſmum Medicem Magnum Etruriæ Ducem abs ſe creatum, commendat. De quo lib. III. *cap.* XVI. *Vitæ* PII V.

Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quibus de cauſſis, quàm iuſtis quamque honeſtis, adducti, ſuperiore anno dilectum Filium, nobilem virum Coſmum Medicem, litteris noſtris Apoſtolicis ſub plumbo editis Magnum in Etruriâ ſibi ſubiectâ Ducem creauerimus, eumdemque paulò pòſt inter Miſſarum ſolemnia regali coronâ ceteriſque inſignibus, manibus ipſi noſtris ornauerimus; Maieſtati tuæ, neque ignotum, neque obſcurum eſſe putamus, quæ eximium eiuſdem Principis erga Rempublicam Chriſtianam ſtudium, & propenſiſſimam erga ſe Regnumque ſuum voluntatem benè cognitam habet. Quia verò ad noſtram atque huius ſanctę Sedis Apoſtolicæ dignitatem valdè pertinere intelligimus, vt quem illi ob egregias ipſius virtutes, præclaraque erga Religionem Catholicam merita, honorem habuimus, eumdem ceteri

quoque

quoque Chriſtiani Principes habeant; & in eâ ipsâ re illam, quam par eſt, Apoſtolicis litteris ac decretis obedientiam reuerentiamque exhibeant: idcircò Maieſtatem tuam hortamur, & quo maiore animi ſtudio poſſumus, rogamus, vt quod prædicto Magno Duci facturam ſeſe demonſtrauit, vt ei loci ſui, qui earumdem litterarum noſtrarum decreto ipſi debetur, poſſeſſionem vel aſſignaret, vel aſſignatam conſeruaret, id ſine vllâ longioris temporis morâ quamprimùm exequi, atque ad effectum adducere velit. In quo præterquam quòd Maieſtas tua id factura eſt, quod litteris noſtris conceſſioniſque Apoſtolicæ eſt conſentaneum; prætereà Principem ſibi coniunctiſſimum, tuæque Maieſtatis ſtudioſiſſimum, perpetuò ſibi eſt obligatura, nobis autem ipſis rem gratiſſimam factura. Noſtrâ enim maximè intereſt, non ſolùm vt huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitatem apud Chriſtianos Principes conſeruemus, beneficiumque, quod Principi pietatis Religioniſque laude præſtantiſſimo dedimus, quantum eſt in nobis, tueamur; ſed etiam tantam apud Maieſtatem tuam auctoritatem habere videamur, vt in eius Regno, ea quæ debet, Apoſtolicarum conceſſionum ratio habeatur. Quod ſi Maieſtas tua fecerit, quemadmodum facturam eſſe pro certo habemus, id gratiſſimo animo accipiemus, tale erga nos ſanctamque hanc Sedem Apoſtolicam Maieſtatis tuæ obſequium in memoriâ ſemper habituri,

bituri, & quibuſcumque paternæ noſtræ erga Maieſtatem tuam beneuolentiæ ac voluntatis officiis, quando cum Domino poterimus, libentiſſimè idoneâ occaſione oblatâ remuneraturi. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Nouembris, M. D. LXX. Pontificatus noſtri anno quinto.

APOSTOLICARVM PII QVINTI PONT. MAX. EPISTOLARVM

LIBER QVINTVS,

Continens Epiſtolas anni ſexti eius PONTIFICATVS.

EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM.

Poloniæ Regem, legitimam vxorem ſuam ſterilitatis cauſsâ repudiare deliberantem, à conſilio reuocat. Vide lib. III. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo Sigiſmundo Auguſto, Poloniæ Regi, PIVS Papa V.

CHariſſime noſter in CHRISTO Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi nobis maximè compertum eſt, eam eſſe Maieſtatis tuæ prudentiam, eamque in Deum pietatem, vt nihil temerè, nihil niſi piè ſis

effecturus: tamen non potuimus non vehementer commoueri ex quodam hîc diuulgato rumore; ſcilicet de repudiandâ Reginâ coniuge tuâ, deque aliâ tibi inſuper adſciſcendâ cogitare. Cui quidem rumori ac famæ identidem increbreſcenti, quamuis nullam fidem eſſe iudicaremus; nihilominùs tamen omittendum non eſſe putauimus, quin pro munere noſtro has ad te litteras mitteremus: quibus non ſolùm tibi moleſtiam, ac quem ex ipſo rumore, vtcumque euulgato, cepimus dolorem, enuntiaremus; ſed etiam ſi fortè (id quod non credimus) aliquo niteretur fundamento, te ab huiuſmodi propoſito reuocaremus. In primis verò conſiderare debes, eos qui rem huiuſmodi per ſpeciem ſperandæ ſucceſſionis tibi perſuadere conantur, aut hæreticos eſſe aut hæreticorum fautores: quibus nihil curæ magis eſt, quàm vt te ad Catholicæ Veritatis fines vel ſemel tranſgrediendos inducant, rati, ſi hoc abs te impetrare vel potiùs extorquere poſſint, cetera ſibi futura eſſe faciliora; atque ita fore breuî, vt Regnum iſtud vnà tecum in eamdem perniciem, in quam dæmonis inſtinctu ſunt prolapſi, pariter conijciant. Quorum quidem pernicioſa conſilia, ac peſtilentes artes planiùs ipſe perſpicies, ſi rem omnem quomodo ſe habeat, perpenderis diligentiùs. Res enim eſt eiuſmodi, vt ſi eam committas, primùm affirmem abs te Redemptorem noſtrum grauiſſimè offenſum iri, ſanctiſſimum eius violando Sacramentum: deinde

de nobis ipſis, qui eius licet indigni in terris poteſtatem gerimus, magnam inferes iniuriam; præterea Chriſtianis omnibus Catholicisque ruinarum occaſionem: denique Regium nomen tuum, atque domus iſtius Regum inclytæ memoriæ ſplendorem, qui ad hanc vſque diem clarus & illæſus permanſit, tam turpi atque ignominioſâ tibi aſperſâ labe vehementer obſcurabis. Nam quod ad ſucceſſionem attinet, cuius videlicet ſpe te volunt allicere, conſiderare debes, cuiuſque Regni ſucceſſionem poſitam eſſe in manu & voluntate potentiſſimi Dei, qui eam tribuit atque aufert quibus ipſe voluerit: à quo etiam eò minùs illam poteris impetrare, quò magis eius conſequendæ cauſsâ diuinam ipſius Maieſtatem offenderis. Porrò autem eò iam ætatis proceſſiſti, vt primùm valdè incertum ſit ac dubium, an ſis liberos ſuſcepturus. Ad hæc, ſi ex alterâ vxore minùs legitimè ductâ filium procreares; ſcire tamen ipſo nequis, eum tibi in Regno ſucceſſurum, cùm etiam Regno ipſi inutile ſit, infantem atque ſub aliorum tutelâ Regem poſitum habere. Quod cùm anteà ſemper periculoſum fuit, tum verò hiſce turbulentiſſimis temporibus erit ipſi Regno periculoſiſſimum. Verùm hac de re vel ex eo poteris pariter edoceri, quod noſtrâ ætate in nonnullis amplioribus Chriſtianæ Reipublicæ Regnis accidiſſe conſpicimus. Ad has autem æquiſſimas & honeſtiſſimas rationes illud etiam accedit, quòd, cùm non ita

dudum

dudum Sereniſſimus Tranſiluaniæ Princeps cognatus tuus è viuis exceſſerit, tibi commodum non acciderer innouandarum rerum inire conſilia; earum præſertim, quæ Chriſtianorum Principum & ſanguine coniunctorum animos poſſint offendere, ne crudeliſſimus Turcarum Tyrannus, ceteræque perfidæ gentes iſti Regno finitimæ, huiuſmodi ſibi oblatâ occaſione ad eam prouinciam aggrediendam vtantur. Quæ cùm ita ſint, hortamur Maieſtatem tuam, atque per Deum præpotentem obſecramus, vt memor ipſius Dei noſtrique, tuæ ipſius ſalutis ac nominis memor, ſplendori domus tuæ glorioſæ recordationis Regum tam exitialis atque ignominioſi conſilij cogitationem, ſi fortè (quod non credimus) ſuſcepiſſes, eam prorſus abijcere atque abs te longè propulſare velis; certò ſciens, nos ad id tibi ſuadendum, nullâ re magis inductos eſſe, quàm munere noſtro, & item pro ſingulari quodam paternæ charitatis amore, quo tuam complectimur Maieſtatem. Quæ ſi paternis cohortationibus noſtris minùs auſcultans (quod minimè putamus, etſi rumor vulgauit & fama) id omnino præſtandum ſibi eſſe cenſuerit; nos aliud nihil facere poterimus, niſi idipſum factum ægrè ferre vel maximè, & iſtius Regni vicem dolere, mœrore confici, ac denique vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ calamitates deplorare. Confidimus tamen, pro tuâ in Deum potentiſſimum pietate, & pro tuâ in nos & in ſacroſanctam hanc

Sedem

Sedem Apoſtolicam, de te deque maioribus tuis optimè meritam, obſeruantiâ ac veneratione, tutiora te ac ſaniora capturum eſſe conſilia; nihilque commiſſurum, quod tibi ac Regno tuo perniciem, nobis verò atque omnibus Catholicis Principibus dolorem & afflictionem, vniuerſis denique Chriſtifidelibus ruinarum occaſionem afferre queat. Ob id etiam dilecto Filio Laurentio Madio, Religioſo viro ex Societate IESV, mandauimus, vt ad Maieſtatem tuam proficiſcatur, atque hæc quæ ad eum ſcripſimus, & ſi quæ alia ſunt in eam ſententiam, coram te præſens exponat: cui volumus à Maieſtate tuâ citra vllam dubitationem fidem haberi. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. Kalend. Maij, M.D.LXX. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA II.

ANNA Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis ſoror PIO Papæ V.

Anna Sigiſmundi Poloniæ Regis ſoror de ſacro Romanarum Stationum munere aliiſque Pontificiis in ſe officiis gratias agit: Vincentium Porticum Internuntium Apoſtolicum commendat, ſuam in Pontificem pietatem ac fidem profitetur.

SAnctiſſime ac Beatiſſime Pater, ac Domine clementiſſime, quotieſcumque mecum ipſa conſidero, quàm apertè ac ſæpè Sanctitas tua clementem planeque paternum erga me animum ſuum per litteras mihi teſtatum eſſe voluerit; toties me, ſcilicet immeritam, corripit tremor quidam, atque obmuteſco, nec quibus verbis illi gratias agam inuenio. Velim equidem, clementiſſime Pater, re ipsâ præſtare, id quod in ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiam apprimè cupio, atque ita, quæ in me beneficia confers, largè compenſare: ſed facultas haud reſpondet voluntati. At verò propenſionem ac promptitudinem animi mei plurimis in rebus perſpicere potuit Reuerendus Internuntius, qui pro munere ſuo de Religione ſolicitus mecum nonnulla communicauit. Iam verò eſt ſanè cur ad gloriam Dei plurimùm læter, quòd Beatitudo tua pro ſuâ patriâ charitate me dignata fuerit cæleſtis gratiæ cumulo, Romanis videlicet Stationibus mihi conceſſis atque tranſmiſſis. In quo Deus Optimus Maximus, vt à me vehementiùs diligeretur, ſingulari hoc Indulgentiæ dono me per Vicarium ſuum voluit exornare: atque vt diuinæ gratiæ ſuæ lumen clariùs eluceſceret, ſpiritualia eiuſmodi munera contulit in eam, in quâ nulla inuenit ſubſidia meritorum. Is igitur, qui donorum omnium eſt auctor, quique in iis diſtribuendis Sanctitatis tuæ vtitur miniſterio, eiuſmodi mihi virtutem ac vires elargiatur, vt pro meâ imbecillitate tanto beneficiorum ponderi non ſuccumbam: ſed potiùs me piè ac religiosè in eis exerceam. Idem verò Beatitudinem tuam, cùm in præſenti tum in futurâ vitâ, cumulet omni generè

genere felicitatis. Quod reliquum eſt, id ego per hanc, quæ mihi ſeſe offert, Sanctitati tuæ reſpondendi occaſionem, tum pro conſcientiæ meæ rationibus, tum etiam pro eo quod Chriſtianæ Religioni in hoc Regno iam refloreſcenti, atque adeò Eccleſiæ Dei præſtare debeo, apertè non fateri non queo: nempe, ſi mihi liceret Sanctitatem tuam in haſce Regni Sedes adducere, vt ſuis ipſamet oculis intueri poſſet, quos fructus in hiſce hominum moribus tractandis, ad huius tranquillitatem Regni, & ad imminentes rerum difficultates tollendas, protulerit, ac proferat indies, ipſius Internuntij Apoſtolici ſplendor virtutis, ac dignitas egregia cum vitæ integritate, modeſtiâ, prudentiáque coniuncta; haud dubiè Sanctitas tua, pro ardenti ſuo Religionis atque huius Regni felicitatis ſtudio, & meis, & Regiæ Maieſtatis, & Catholicorum, ac demum piorum omnium id videre cupientium votis reſponderet, ſummæ dignitatis ornamenta in ipſum Internuntium conferendo. quod omnino, præſertim hoc tempore, & Chriſtiana Religio, & Regni quies, videntur expoſcere. Illud equidem vulgatum eſſe cognoſco, id ſolùm ad maiorem hominum ſalutem Eccleſiæque incrementum ab omnibus vehementer optari. Interim verò cupio Sanctitati tuæ proſpera cuncta ſuccedere, eique perpetuam obſeruantiam & ſtudium tanquam obſequentiſſima filia polliceor ac defero; precorque Deum, vt diuturnam illi vitam atque Chriſtianæ pietatis augmentum largiatur. Datum Varſouiæ pridie Nonas Aprilis, M. D. LXXI.

EPISTOLA III.

Icto iam fœdere, vt ad id iunctis opibus ac viribus conſpiret, Maximilianum Imperatorem grauiter cohortatur. Vide lib. IV. *cap.* X. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Maximiliano II. Imperatori deſignato.

CHariſſime noſter in CHRISTO Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi dilectum noſtrum in CHRISTO Filium Cardinalem Commendonum, quem noſtrum Sedisque Apoſtolicæ Legatum à latere ad Maieſtatem tuam, & ad Regem Poloniæ nunc miſimus, iſtinc non longè abeſſe arbitramur; tamen ad Paſtoralem curam noſtram ac vigilantiam pertinere iudicauimus, illius aduentum his litteris præuenire; ac te non modò commonefacere & cohortari, ſed obſecrare etiam in CHRISTO IESV Domino noſtro, vt omnino velis hoc tempore ſtudia viresque tuas omnes conferre ad protegendam Chriſtianam Rempublicam tot tantisque malis & incommodis oppreſſam; vt, niſi præſenti aliquo validoque ſubſidio ei ſuccurratur, vix aliqua ſpes de eius tuendâ ſalute reliqua iam fore videatur. Ac licet ad Chriſtianos Principes omnes ea cura pertineat, id tamen præcipuum Maieſtatis tuæ munus eſſe videtur. Conſtat enim onus

tuendæ

tuendæ Chriſtianæ rei, poſt CHRISTI Vicarium, inter omnes Romani Imperatoris eſſe præcipuum. Quare non pauci fortaſſe mirabuntur, cur aut vnde fieri potuerit, vt ipſe præ aliis omnibus ſacri huius contra Turcam belli ſocietatem primus non iniueris. Verùm, vt qui meliore ſunt præditi iudicio, id occultâ de cauſsâ, aut certo prudentique conſilio factum eſſe queant interpretari; quando iam ope diuinâ ob eam rem inter nos ac Regem Philippum Venetamque Rempublicam fœdus ſancitum eſt, & crudeliſſimi hoſtis noſtri furor augetur ac ſentitur indies, ſi tu in noſtram hanc ſocietatem ad eius impetus repellendos initam nomen dare diutiùs differres, nullo modo videmus, quomodo boni omnes prudentesque viri inde iure non demirari, imò verò vehementer non dolere poſſent. Etenim te ſic agente, eorum ſubiret animos cogitare, præclaris illuſtrium maiorum tuorum veſtigiis & exemplis te minùs quàm par eſſet, diligenter inſiſtere; teque (quod omnino Deus auertat) ſummum in diſcrimen ac periculum Imperium tuum eſſe coniecturum. Sed magna nos iam tenet ſpes, id per te numquam commiſſum iri. Quin etiam confidimus, te rei conficiendæ tarditatem celeritate nunc facilè compenſaturum: idque eò magis, quòd nulla cauſſa eſt, quæ ad bellum aduerſus aliquem ſuſcipiendum magis compellere hominem poſſit, quàm id quod ſatis ſuperque in hanc ſententiam poteſt Maieſtatem tuam

adducere. Ac primùm quidem ſeſe offert odium ob priuata diſſidia diſſenſioneſque, non ſolùm tibi ſed parentibus etiam ac maioribus tuis perfido iſto cum hoſte intercedere; vlciſcendarum præterea quas ab illo accepiſtis iniuriarum appetitus; denique præclara amplificandi nominis occaſio. Nos autem hoc loco pro naturæ humanæ imbecillitate humanitus etiam ſcribere voluimus. Et quidem haudquaquam ignoramus, hæc quæ tetigimus, momenta rerum ſuo quæque dedecore notari. Sed cùm id iam ſit in more poſitum, vt his rationibus homines magis perſuadeantur, ea nobis tangenda quoque putauimus: non enim culpandum eſt, cum ægrotis ægrotum agere, vt qui reuerà languent, ſalutem conſequantur. Iam verò, vt bonos Chriſtianos decet, nos nunc inter nos agamus. Veræ igitur certiſſimæque cauſſæ, quæ Maieſtatem tuam ad hanc ſacri belli in communem hoſtem gerendi ſocietatem ineundam vehementer debent incitare, duæ præter ceteras potiſſimæ eſſe nobis videntur: altera quidem, ardor acreque ſtudium tutandæ Chriſtianæ Religionis, Eccleſiamque Dei protegendi: quam, ſicuti hoſtis ille, dæmonis inſtinctu, totis viribus labefactare & conuellere conatur; ita nos omnes, ac multò etiam magis, auxiliante Deo, quoad fieri à nobis poteſt, conſeruare tutarique debemus. Altera verò eſt amor in homines: quos ſanè, diuinis mandatis impulſi, ſicut nos ipſos diligere, complecti ac
fouere

fouere debemus. Nam etſi multi, vnum tamen corpus ſumus in CHRISTO; ſinguli autem alter alterius membra. Hoc autem, qui Chriſtianam Religionem profitentur, ſi cogitarent identidem, nihil vmquam diſſidiorum eſſet hoc tempore; ſed in ſe mutuis officiis curandis atque iuuandis ſolicitè occupata membra videremus. Quorum quidem membrorum vnum, & illud quidem præcipuum, cùm ipſe ſis; æquum eſt omnino, vt, afflictis ceteris membris, id etiam incommodi perpetiaris ſimul, atque in communem totius curandi corporis ſententiam conueniens, tuam quoque opem ei nobiſcum velis afferre. Et quamquam corpus ipſum vſquequaque languidum & affectum videmus, eius tamen de ſalute nequaquam deſperandum eſt. Numquid contracta eſt manus Domini? ecce enim ipſe in increpatione tuâ mare corripiet ſic, prorſus vt exſiccetur. Diuinæ igitur & potentiæ & bonitatis muniti præſidio, animos nullo modo deſpondere, ſed optimâ ſpe nixi, tam pium tamque ſanctum negotium & ſuſcipere & conficere omnino debemus. Quòd ſi nos ipſi tot tantisque hoſtibus debellandis haud pares eſſe videmur; certè confidere par eſt, nos plurimum in eo poſſe qui noſtram corroborat infirmitatem. Sed nos has litteras longiores non faciemus, ne vel prudentiæ vel pietati tuæ, vel etiam conſilio fideique ipſius Legati noſtri, cui vt hæc eadem tecum ageret coràm imperauimus, diffidere videamur.

mur. Tantùm illud adijciemus, abs te, aut ad tuam ipſius gloriam illuſtrius, aut ad voluntatem noſtram accommodatius, aut Deo gratius nihil hoc tempore fieri poſſe; quàm ſi libenti animo & expeditè in hanc noſtram cum Rege Catholico propinquo ac genero tuo, Venetaque Republicâ, belli ſocietatem ingreſſus & adſcriptus, arma, milites, bellicas denique vires tuas omnes conferendas decreueris, ad acerrimum Chriſtiani nominis hoſtem profligandum. Deus Dominus noſter Maieſtatem tuam incolumem ac præpotentem diutiſſimè conſeruet, voluntatemque tuam inflammet ad ea exequenda, quæ ad diuinam ipſius gloriam propagandam, ad Eccleſiamque Catholicam magis ac magis amplificandam, ac denique ad vniuerſi terrarum orbis quietem & pacem confirmandam accommodata eſſe videantur, vt omnes homines eiuſdem fidei charitatisque vinculo coniuncti, Deo gloriam tribuant in die ſuæ ipſorum viſitationis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Iulij, M.D.LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA IV.

Partâ de Turcis victoriâ, Francorum Regem denuò ad ſociale bellum contra eos ineundum adhortatur. Vide lib. III. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſi-

Chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro, Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in CHRISTO Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cogit nos grauiſſimum hoc ſummi Apoſtolatus munus, noſtris humeris à Deo impoſitum, omni ſtudio & curâ incumbere in eas cogitationes, quæ hac temporum conditione & ſtatu poſſunt eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ maximè ſalutares. Quâ quidem curâ à Deo incendimur & ſtimulamur, vt nihil potius habeamus, quàm, vt ea quæ maximè cupimus, in Eccleſiâ Dei, ſuâ primùm ope, tum Chriſtianorum Principum (in quibus Maieſtatem tuam, vt nomine, ſic re ipsâ Chriſtianiſſimam cognouimus) conſilio atque operâ conſtituta videamus. Hinc factum eſt, vt, cùm dilectum Filium Michaëlem Cardinalem Alexandrinum nuncupatum, noſtrum de latere Legatum, cui ad Maieſtatem tuam mandata de rebus grauiſſimis dederamus, tardiùs deſiderio noſtro venturum eſſe arbitraremur; Venerabilem Fratrem Antonium Mariam Epiſcopum Saluiatum, nobis multo vſu tuæque (vt ſperamus) Maieſtati probatiſſimum, eiſdem de rebus mitteremus. Quod autem à Maieſtate tuâ in primis cupimus, illud eſt: Noſtro ſemper malo experti ſumus, quantum ex Chriſtianorum diſiunctione & diſſidiis creuerit te-

terrimus ille barbarus, atque hoſtis CHRISTI, & eius nominis deletor. Poſtquam verò, ſuâ ipſius impietate & rabie excæcatus, nullâ non ſolùm re, ſed ne cogitatione quidem laceſſitus, fracto fœdere, atque omni non modò diuino, à quo ille ſemper fuit alieniſſimus, ſed humano etiam ac gentium iure violato, vniuerſum Cypri Regnum internecione deleuit, nec tanto ſanguine ſatiatus, quacumq; peruaſit, claſſe illâ funeſtiſſimâ ſempiternum ſuæ crudelitatis monimentum reliquit; diuino conſilio factum eſt, vt nobiſcum vnà chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri, Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, & Sereniſſimus Venetiarum Dux, ad extinguendum commune incendium iunctis viribus concurrerent. Itaque icto fœdere ſtatim, & claſſe inſtructâ, venerunt, viderunt, vicerunt: partâque victoriâ ex omni memoriâ maximâ & glorioſiſſimâ, re ipsâ experti ſumus, non minùs aduerſus canem illum rabidiſſimum valere noſtram voluntatum ac virium coniunctionem, quàm aduerſum nos valeat noſtra diſiunctio. Hac igitur viâ, quam nobis digito ſuo commonſtrauit atque aperuit Deus, incedere ſtatuimus: cuius quidem viæ te Regem Chriſtianiſſimum comitem, gloriæque conſortem, omnes in primis cupimus, rogamus, &, quantum poſſumus, per viſcera Dei noſtri, per quem Reges regnant, obſecramus. Hoc te ipſo, id eſt tuâ virtute & potentiâ, digniſſimum eſt, tuis rebus vtiliſſimum, tuæ

matri

matri Eccleſiæ, quæ nati ſui opem implorat, maximè ſalutare. Et quamquam non putamus, Maieſtatem tuam noſtrâ cohortatione indigere; tamen longiores nos fecit noſtrum deſiderium, quo incredibiliter ardemus. Cetera hac de re, deque aliis quas ei mandauimus, accipies ab eodem Epiſcopo: cuius orationem vt cum noſtrâ ſententiâ planè congruere exiſtimabis, & quaſi à nobis ipſis præſentibus eam proferri; ſic tuam operam deſiderio noſtro, atque huic rerum ſtatui congruentiſſimam, & tuâ Maieſtate digniſſimam, expectamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Decembris, M. D. LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA V.

SEBASTIANI Luſitanorum Regis ad PIVM V.

Cardinalis Alexandrini legationis litteris reſpondet, naualem victoriam commendat, & gratulatur: opes ſuas & auxilium contra Turcas pollicetur. Quid de Gallicis nuptiis decreuerit atque mandarit oſtendit. Poſtremò quaſi bellicum canens, ſuum in Eccleſiam Dei protegendam ac vindicandam ſtudium profitetur.

SAnctiſſime in CHRISTO *Pater, ac Beatiſſime Domine. Beatitudinis tuæ litteras, ſummæ in Deum*

pietatis ardentiſſimi ſtudij, & in eius Eccleſiam charitatis, ac ſingularis erga nos beneuolentiæ plenas, accepimus; quibus nos ad rem Chriſtianam tum tutandam, tum etiam augendam, vehementer ſanè ſumus incenſi. Et quidem pro incredibili vigilantiâ, & quam tu, Sanctiſſime & Beatiſſime Domine, in Dominico grege non ſolùm diligenter cuſtodiendo, ſed etiam amplificando, geris ſolicitudinem, ad nos eximiâ cum pietate datis litteris non contentus, pro eâ quâ nos complecteris paternâ charitate, benignè quoque voluiſti ad nos mittere, tamquam optimum iſtius teſtem voluntatis, ampliſſimum Cardinalem Alexandrinum, Sanctitatis tuæ ſanctæque Sedis Apoſtolicæ Legatum à latere, ſororis tuæ nepotem, vel poſthabitis iis leuamentis, commodis & officiis, quæ ipſe in ampliſſimis grauiſſimisque negotiis Beatitudini tuæ præſtare conſueuit. Ex cuius quidem præſentiâ, & ſermonibus inter nos vltrò citroque habitis, ex eiusque pietate ac religione, quantum ceperimus voluptatis, vix à nobis poterit explicari. Nam in eo, tamquam in ſpeculo, præclaris earum omnium, quas ille abs te tam ſancto auunculo ſuo acceptas habet, virtutum ornamentis decoratam imaginem elucere perſpeximus. Quantam porrò lætitiam ac iucunditatem vniuerſæ Luſitaniæ optatiſſimus eius aduentus attulerit, ex magnâ hominum frequentiâ illi obuiàm prodeuntium, ex inuſitatoque ad eum honorificè excipiendum atque ſpectandum omnium facto concurſu, agnoſci facilè potuit. Enimuerò cunctis veniebat in mentem cogitare, ipſum eſſe & Legatum & affinem eius Pontificis, cui

multò

multò pluris & antiquior ſit Chriſtiana Religio, ſalusque mortalium, quàm vita ipſa, quæ alioqui ceteris rebus omnibus carior hominibus eſſe ſolet. Ac tanto quidem gaudio cunctorum animi perfuſi ſunt, vix vt poſſit æſtimari; fereque triumphum agentibus, ſubibat memoria glorioſiſſimæ victoriæ, Beatitudinis tuæ diligentiâ, vigiliis ac precibus aſſiduis, de crudeliſſimo Chriſtiani nominis hoſte reportatæ; ob idque ad eum conſpicandum ardentiſſimis animis certatim omnes confluebant. Nam, poſt natos homines, de Chriſtianæ Religionis hoſte tam illuſtrem præclaramque victoriam naualem Chriſtiani Principes numquam retulerunt: de quâ tu, Sanctiſſime ac Beatiſſime Domine, quâ es in omnes humanitate, ac pro eo quo nos Regnumque noſtrum ſummo complecteris amore, nos commonefacere voluiſti. Ex quo quidem nuntio nos incredibilem ſanè percepimus voluptatem, non ſecùs ac ſi hæc, quæ Sanctitatis tuæ propria eſt, noſtra victoria fuiſſet: atque, vt par erat, quantas maximas potuimus Deo potentiſſimo gratias egimus: cui benignè placuerit, pias Beatitudinis tuæ lacrymas, aſſiduaque ieiunia, quibus in iſtâ tam graui deuexâque iam ætate te ipſe diutiùs afflictaſti, clementer aſpicere, ac voti compotem facere; quique ardentiſſimas precationes tuas, gemitusque quibus diuinæ Maieſtatis oculos inclinaſti, voluerit exaudire. Summo prætereà ſtudio faciendum imperauimus, vti Regno noſtro toto, pro tam ſingulari diuinitus accepto beneficio, magnâ celebritate Supplicationes inſtituantur; atque vt à ſacris Concionatoribus per omnes ditionis noſtræ populos ineffa-

 bilis

bilis clementiſſimi Dei miſericordia prædicetur, vt ſcilicet vniuerſi gratiſſimi huius nuntij participes effecti, quiſque per ſe, CHRISTO *Deo ac Domino noſtro gratias agerent immortales. Neque verò quiſpiam eſt omnium, qui ore pleniſſimo non confiteatur, hoc tam inexpectatum bonum primò quidem Deo Optimo Maximo, tum verò Beatitudinis tuæ meritis acceptum iure eſſe referendum. Venio nunc ad litteras ac legationem Beatitudinis tuæ. Ego verò, Sanctiſſime in* CHRISTO *Pater, ac Beatiſſime Domine, poſteaquam ipſe mecum rem omnem diligenter conſideraui, atque prout ſanè tanti negotij à me dignitas ac magnitudo poſtulabat, cuncta maturo conſilio perpendi, ad eiuſmodi expeditionem libentiſſimo animo conſpirandum mihi eſſe conſtitui; cùm propter ipſius rei ſplendorem & amplitudinem (vtpote cùm hîc totius Chriſtianæ Reipublicæ ſalus agatur) tum etiam, vt prompto magnoque animo paream Sanctiſſimo* CHRISTI *Domini Vicario. Cui quidem ego Vicario me præter ceteros omnes ſanè plurimum debere intelligo, & propter maxima quæ ille in me benignè contulit beneficia, & ob ſummam eius in me beneuolentiam; tum denique, ne fortè cuiquam Chriſtiano Principi veniret in mentem ſuſpicari, vtcumque velle me exemplo meo vel minimam occaſionem dare, vt nonnulli ab hoc ſanctiſſimo iungendo fœdere aliquando poſſint retardari. Quòd ſi Potentiſſimi Dei clementiâ res fuerit eò loci, vt ceteri Chriſtiani Principes glorioſiſſimam hanc expeditionem ſimul aggredi decernant; polliceor ego, & conſtanter affirmo (quamquam, vtpote in extremis orbis*

Digitized by Google

bis terrarum finibus collocatus, à Turcarum Imperio longiſsimè abſim) velle me primum in hanc ſacri belli ſocietatem adſcribi, ipſiq́ue expeditioni præſentem intereſſe. At licet id belli iam feliciſsimè inſtituti, ſi priuata commoda reſpiciamus, non tam ad me quàm ad alios Chriſtianos Principes pertinere videatur, quippe quorum Regnis ſibi propinquioribus maxima damna Turcæ olim intulerint, maioraq́ue ſint indies illaturi, niſi impiis illorum conatibus obſiſtatur: tamen, quando tanti refert Chriſtianæ Reipublicæ iſtos ſceleſtos hoſtes è medio tolli, vt nulla maior hoc tempore nobis incumbere neceſsitas poſsit; cumq́ue id bellum ſit ſanctæ Eccleſiæ cauſsâ ſuſceptum, cuius gubernacula pro ſuâ prouidentiâ Deus Optimus Maximus hoc infeliciſsimo tempore tradidit Beatitudini tuæ; atque ego, cùm res ipſius Eccleſiæ ac Sanctitatis tuæ, æquè ac meas, vel graui fortunarum mearum, ſiue etiam vitæ cum detrimento defendere debeam; ſacroſanctæ huic ſocietati, & me ipſum, & fortunas, & opes meas, ſeu quæ in Luſitaniâ, ſeu quæ mihi ſunt in Indiâ, ſponte meâ offero deuoueoq́ue, modò res eo, quo dixi, loco ſint. Atque hæc, vt Eccleſia CHRISTI *Domini ac Saluatoris noſtri, tot tantisq́ue tempeſtatibus atque immaniſsimæ tyrannidis æſtibus conflictata, in tuto ac tranquillo libertatis portu aliquando tandem conquieſcat: vt proinde ſanctiſſima Ieroſolymitana domus pretioſiſſimo Redemptoris noſtri Sanguine reſperſa, priſtinum in ſtatum ac dignitatem ſuam vindicetur: vt denique Chriſtianorum in Europâ, in Aſiâ & in Africâ, ſummo ſæuæ tyrannidis*

oppreſſæ

oppreſſæ ſcelere prouinciæ, demum à tam intolerabili ſeruitutis iugo liberatæ, diuinum cultum & honorem CHRISTO *Deo ac Domino noſtro tribuere, & quam debent ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ obſeruantiam atque obedientiam, præſtare queant. Interim igitur dum optimi iſtius rerum ſtatus cogitatio nos ipſos recreat & conſolatur, dumque hoc fauſtum initium optimos ſucceſſus pollicetur, nouum quiddam aliud nobis ſeſe offert decernendum. Nam etſi res Indiæ eo loco ſunt hoc tempore, vt, cunctis perfidis Regibus continenter in eâ coniurantibus, magis quàm cetera loca ſubſidiis indigeant; nihilo ſeciùs nos diligentiſsimè mandabimus, vt ingens claßis adornetur, & commeatibus & veterano milite, bellisque in Turcas gerendis aſſueto, egregiè communiatur: quâ quidem claſſe ad Mare rubrum hoſtem aggrediantur. Cui ſanè rei ſi clementiſsimus Deus, vti ſperamus, aſpirauerit; maximo id ſanctæ huic ſocietati erit adiumento. Enimuerò cùm Reges Arabum dirâ Turcarum tyrannide premantur, in eo potiſsimùm laborant, vt à ceruicibus ſuis grauiſsimum illud ſeruitutis iugum excutiant; quippe qui iam ab illis defecerint, aliquotieſque terreſtri commiſſo prælio victores euaſerint: ſed tamen naualibus pugnis congrediendi, aut certè nauibus, ne ſuppetiæ ferantur hoſtibus, impediendi, haud pares vires habent. Itaque & noſtro fœdere & à nobis expediendâ claſſe ipſi vehementiùs incitati, diuinoque auxilio præmuniti, hoſtilibus minis ac terroribus contemptis, ſtabunt à nobis. Hac enim claſſe Turcarum portus atque perfugia,*

quæ

quæ ſunt maritimis in illis oris, permittente Deo, conflictabuntur. Hac claſſe deinceps intercludetur aditus eorum nauibus, quibus pretioſiſſimis mercibus, Orientalibusque diuitiis onuſtis tyrannicum imperium ſuum ditare conſueuerunt. Hac claſſe fiet, vt in poſterum illis facultas omnis eripiatur habendi remiges, alioſque homines nauigandi peritos & exercitatos, quos ille Tyrannus ad claſſium ſuarum vſum vel ex Arabiâ ſolet euocare; quorum etiam hoc tempore, ob grauiſſimam acceptam cladem, ſummâ laborat inopiâ. tanta ſcilicet eſt in Arabiâ huius generis hominum copia, vt ferè omnes, quorum ſeruitio in nauigationibus vtuntur Luſitani, Arabes ſint. Huius prætereà claſſis ope, maximum illud Æthiopum Imperium, cuius ſalus & reſtitutio continenter ſolicitat Beatitudinem tuam, quodque Turcæ ſæpiùs inuaſerunt, ac pro eâ quâ eius potiundi (quod omnino Deus auertat, id enim magno Chriſtianæ Religioni eſſet incommodo) ſpe & cupiditate flagrant, inflammati animis inſoleſcunt, diuinâ fauente clementiâ reſpirabit, atque ad ſanctæ Eccleſiæ Dei præſtandam obedientiam excitabitur. Præter hæc autem, hoc toto Luſitano Regno militem, munitiones, commeatum, naues, & omnia quibus ad inſtruendam claſſem opus fuerit, confeſtim imperabimus: vt id ſubſidij, vel ex toto, vel ex parte, ſanctæ huic belli ſocietati opem queat afferre, niſi fortè neceſſitas aliqua, cui non obtemperari non poſſet, id nobis conſilij præpediret; aut Lutherani, aut etiam Africani Saraceni colligerent copias, quibus copiis nos obſiſtere oporteret. Id quod accidit hoc ipſo anno. Etenim

nim cùm ipſi Lutherani validiſſimam ſexaginta aut ſeptuaginta nauium claſſem ædificauiſſent, quá furenter has Occidentis oras, in primiſque Luſitanos diripere & vexare moliebantur, vbi claſſem noſtram ad bellum gerendum expeditam eſſe cognouerunt, pernicioſam illam cogitationem ſtatim abiecerunt: atque inde factum, vt eorum è faucibus ingens præda ſit erepta. Nam ſi malo aliquo fato contigiſſet, & iſtæ ex Oriente Occidenteque profectæ naues, vtriuſque Indiæ diuitiis onuſtæ, quas ipſi ſpe quadam & cogitatione deuorauerant, eorum in poteſtatem perueniſſent, facilè cruento bello Chriſtianam Rempublicam afflictare potuiſſent. Hac nos adducti neceſſitate, & verò quoniam Ludouicus de Torres ſerò admodum Beatitudinis tuæ mandata retulit, exacto vere proximo, id quod vehementer optabamus, ſanctæ iſti ſocietati auxilium mittere nequiuimus. Quòd ſi etiam rerum difficultate coacti, hoc anno pariter claſſem in id belli ſubſidium mittere non potuerimus; curabimus tamen, vt aliquo ſaltem numero nauium, præter eas quæ in Mare rubrum dirigentur ex Indiis, fœderatorum claſſibus opem feramus. Quod autem ad matrimonium attinet, narro tibi, Sanctiſſime in CHRISTO *Pater, ac Beatiſſime Domine, nos id, quemadmodum vel quam ſuſtinemus perſonæ dignitas, vel etiam huius Regni noſtri honor & ſalus poſtulabat, adhuc tractauiſſe. Sed nunc maximè Reuerendus Cardinalis Alexandrinus eâdem ſuper re Beatitudinis tuæ nomine mecum ſermonem contulit. Quòd quidem Sanctitatis tuæ iuſſa feciſſe illum cognouimus, non ſolùm,*

vt

vt vel rebus noſtris optimè conſuleres, Regiǰque nominis noſtri rationem haberes, vel vt ſummam tuam in nos charitatem atque clementiam planiùs omnes agnoſcerent; vel denique vt poſteris noſtris tantæ, in primiſque memorabilis rei teſtimonium relinqueres; ſed eò etiam ampliùs, vt per eiuſmodi occaſionem afflictis Galliæ rebus, cuius ſalus tibi dies noctesque ante oculos obuerſatur, opem ferre tua poſſet Beatitudo: idque vt ea Prouincia aliquando tandem priſtinum in ſtatum reſtituatur, atque in poſterum conſeruetur incolumis: atque ideò, vt Chriſtianos Reges omnes, quorum quidem mutua beneuolentia charitaſque magis ac magis indies refrigerari videtur, ad Chriſtianæ pacis & concordiæ ſe vinculis coniungendos accenderes atque inflammares. Hinc verò, Sanctiſſime Pater in CHRISTO, *ac Beatiſſime Domine, Sanctitas tua confidit fore, vt ſacroſanctæ huic, quæ aduerſus crudeliſſimum Tyrannum Chriſtianique nominis hoſtem conflatur, ſocietati proſpera cuncta fauſtaque ſint euentura. Quæ quidem omnia cùm ita reuerà ſeſe habeant, cognouerimuſque non ſolùm à Beatitudine tuâ, ſed etiam ex aliorum cùm ſermonibus, tum litteris, Chriſtianiſſimi Galliæ Regis ſororem maximis clariſſimiſque virtutum ornamentis ita fulgere, vt ea iure optimo nobis placere poſſit; faciendum eſſe decreuimus, vt eâ de re cum eodem Cardinali Alexandrino apertiùs ageremus, idque negotiǰ ipſius in manu poneremus, vt ipſe Beatitudinis tuæ nomine, cùm primùm peruenerit in Galliam, quò nunc ab ipsâ legatus contendit, eâdem ſuper re loquatur cum*

 Oratore

Oratore noſtro ibidem agente. Quòd ſi Gallicæ res, quod ad negotium attinet, eo loco fuerint, vt ſaluâ & auctoritate & exiſtimatione noſtrâ de iis agi poſſe videatur; tunc ſolùm ad præpotentis Dei honorem & gloriam, ad ſanctæque Matris Eccleſiæ ſalutem & tutelam, atque ad Chriſtianorum Principum inter ſe concordiam & pacem retinendam, libenti animo feram, vt huiuſce matrimonij affinitatiſque vinculis Beatitudo tua me obliget atque deuinciat. Enimuerò ſi vmquam anteà, nunc certè commodiſſima atque opportuniſsima ſeſe offert occaſio, quâ Chriſtiani Principes ſuam in Deum pietatem, propenſamque ad officia promerenda voluntatem, atque in Eccleſiam Catholicam amorem mortalibus optimè declarare queant. Nunc enim præclariſsima datur opportunitas Chriſtianam Rempublicam non tutandi ſolùm, ſed etiam amplificandi. Nunc aditus patet ad glorioſum Chriſti Dei & Domini noſtri Sepulchrum, ceteráque ampliſsima diuinæ ſuæ in nos charitatis monumenta priſtinum in ſtatum & honorem reſtituenda. Nunc optata nobis tribuitur facultas, quâ immanis illius atque importuniſsimæ belluæ feritatem nefariosque conatus reprimere ac labefactare facilè poſsimus. Nunc egregiam nobis defert Deus commoditatem debitas à ſceleratiſſimo tyranno pœnas ſumendi. Ad hanc porrò tam illuſtrem, tam glorioſam, Chriſtianiſque Principibus tantoperè dignam expeditionem nos clementiſsimus Deus adhortatur, hac ipsâ glorioſiſsimâ conceſsâ victoriâ, cum arrhabone certiſsimáque ſpe, fore vt inde triumphos omnes agamus. Deus immortalis! Vos nunc appello,

Reges ac Principes Chriſtiani, quouſque tandem per diſſenſiones noſtras ac temeritatem fieri patiemur, vt ſordidiſſimis Turcarum pedibus conculcentur ea loca, quæ ſacratiſſimo IESV CHRISTI *Dei & Domini noſtri madefacta ſunt Sanguine? Hæc, hæc, inquam, ſunt bella Domini, hæ veræ Chriſtianoque nomine dignæ expeditiones. Cùm igitur ad has conficiendas nuptias, Chriſti Domini ac Liberatoris noſtri Sponſæ & ſalutis & libertatis ſtudio moueamur; ac licet nobis perſuaſum ſit, Chriſtianiſſimum Gallorum Regem fratrem noſtrum in hoc ſanctiſſimo fœdere ita ſe geſturum, vti anteà in rebus eiuſmodi perpetuò ſe geſsit; atque ad rem Chriſtianam & tutandam & etiam augendam, eam charitatem adhibiturum eſſe ac pietatem, quam maiores eius ſemper contulerunt, ex quo etiam Chriſtianiſsimorum Regum ſibi nomen pepererunt: tamen vt huic Regi nonnullam optimæ noſtræ in eum voluntatis ſignificationem demus, vniuerſoque declaremus orbi, quanti faciamus & affinitatem illius, & etiam totius Eccleſiæ Catholicæ conſeruationem; nos ſanè ampliſsimæ atque opulentiſsimæ dotis loco ponemus, ſi hanc ipſe nobiſcum belli ſocietatem coire voluerit, vnaque nobiſcum in hunc Chriſtianæ Reipublicæ omniumque ſalutis hoſtem infeſtiſsimum coniurare. Sanctiſsime in* CHRISTO *Pater, & Beatiſsime Domine, Deus Optimus Maximus Beatitudinem tuam diutiſsimè ſeruet incolumem, ad noſtram totiusque Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem. Datum Oliſipone,* XIII. *Kalend. Ianuarij,* M. D. LXXI.

EPISTOLA VI.

Naualis victoriæ pondus oſtendit: epiſtolarum de Turcico bello ad exteros Reges datarum exempla mittit; eaſque epiſtolas per certos nuntios, qui rem benè iuuent, ad illos perferendas curat. Vide lib. V. cap. IX. Vitæ PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio, Sebaſtiano Luſitaniæ Regi.

CHariſſime noſter in CHRISTO Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Maximam & glorioſiſſimam de Turcis relatam victoriam Omnipotentis Dei benignitate nuper nobis conceſſam, de quâ ſuperioribus diebus per litteras noſtras Maieſtatem tuam certiorem fecimus, vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ tanto adiumento futuram eſſe confidimus, vt nihil in eo genere maius ſanè poſſit vnquam excogitari: ſi modò poſthac tam opportunam rei benè gerendæ occaſionem Chriſtiani Principes, atque alij ipſis hoſtibus finitimi Reges minimè negligant aut abijciant: quin potiùs quâ par eſt celeritate virtuteque eamdem arripiant, ac fortiter perſequantur; ſique nos vllum, quod à nobis proficiſci poſſit officium, haudquaquam prætermiſerimus. Nos igitur Æthiopum Perſarumque Regibus, ac ceteris illarum gentium Principibus, ſine cunctatione perſcribendum eſſe putauimus in eam

eam ſententiam, quam ex ipſis litterarum exemplis, quæ cum hiſce ad te mittimus, poteris intelligere. Quocircà abs te etiam atque etiam petimus, vt eiſdem litteris noſtris tuas quoque (ſi commodum id eſſe iudicaueris) ad eoſdem Reges ac Principes magnâ efficacitate ſcriptas velis adiungere, curareque diligentiſſimè, vt illæ per homines eius tantùm rei cauſsâ miſſos, qui & virtute & eloquentiâ ſuâ rem conficiendam procurare valeant, ſummâ fide ad ipſorum Regum ac Principum vnumquemque ſingillatim perferantur. Quod quidem Maieſtatem tuam, tum Chriſtianæ Reipublicæ cauſsâ, tum etiam ſuo Regnorumque ſuorum beneficio, libenti promptoque animo facturam non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, XV. Kalend. Decembris, M. D. LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA VII.

Naualem Chriſtianorum victoriam ad Echinadas partam ſignificat; ac Regem, vt ad eam expeditionem contra Turcas conſpiret, hortatur. Vide lib. V. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Illuſtri viro, Siecco Perſarum Regi Potentiſſimo.

ILluſtri viro Siecco Tahamaſo Perſarum Regi Spiritus veritatis illuminationem. Nullum nobis

bis dubium eſt, quin & litteris multorum & nuntiis, ac denique rumore ipſo ad te ſit allatum de ingenti & glorioſiſſimâ atque adeò poſt hominum memoriam maximâ nauali victoriâ, quam Dei Optimi Maximi ope ac benignitate Nonis Octobris proximè præteritis Chriſtiani Principes fœdere ſociati, in ſinu Corinthiaco prælio cum validiſſimâ inprimiſque copioſâ ferociſſimi ac potentiſſimi Selymi Othomanni Turcarum Tyranni claſſe commiſſo, diuinitus reportarunt. Quo quidem in prælio videre fuit captas vel depreſſas ad trecentas eaſdemq; inſtructiſſimas atque ornatiſſimas hoſtium triremes, æneis tormentis partim receptis, partim verò demerſis, trierarchis ſuis ac ducibus nauarchis, militibus atque remigibus, cum omni apparatu militari, fuſis, occiſis, ac penitus occidione deletis; paucis quibuſdam exceptis, qui ſtatim arreptâ fugâ periculum euaſerunt. Quod ſanè diuinâ prouidentiâ factum eſſe, certè ſcito. Nam anno ſuperiore non ſine ſummo animi noſtri dolore cùm intelligeremus, Selymum pro effrenatâ atque inexplebili aliena rapiendi cupiditate, ac pro inſito ſibi ac perpetuo rerum potiendi deſiderio, rupto pacis vinculo, quo ſe non ita pridem cum dilecto Filio noſtro nobilique viro Venetorum Principe, eâque cum Republicâ, ſeſe coniunxerat parens eius Solymannus, quodque ipſemet, poſteaquam eſt ad maximam illam, ac præter alias omnes formidabilem Regni poteſtatem euectus,

ctus, arctiùs confirmauerat, cunctis ſiue humanis ſiue diuinis legibus nefariè violatis, ac collectis vndique militibus, ſe Cyprium in Regnum iam diu Venetis ſubiectum intuliſſe, ſummisque belli viribus inſtructum vrbes crudeliſſimè expugnaſſe diripuiſſeque, ac demum eam inſulam omnem deuaſtando in poteſtatem redegiſſe; ad boni Paſtoris officium nobis diuinitus commiſſum pertinere exiſtimauimus, tantâ ſuper re nihil amplius eſſe cunctandum, ſed vehementer in Deo Domino cohortari & commonere & rogare oportere Chriſtianos Principes omnes, in primisque chariſſimum noſtrum in CHRISTO Filium Philippum Catholicum Hiſpaniarum Regem, vtpote inter ceteros præpotentem & Regnorum amplitudine & multorum robore populorum, & opum diuitiarumque ſplendore florentiſſimum, vt ipſi omnes nobiſcum vnà, & cum iiſdem Venetis, ſenſibus viribusque coniunctis, in iſtius Tyranni rabiem & furorem comprimendum, atque in eum à nefariis cogitationibus ſuis reuocandum conſpiraremus. Quo quidem laudabili vtilique conſilio noſtro, perpetuis laboribus, aſſiduis vigiliis, ſingulari ſolicitudine noſtrâ ac patientiâ, Deo benè iuuante, feliciter conſtituto; optabilem æquè ac neceſſariam inter nos ſocietatem coiuimus, ad laudem & gloriam Dei. idque non quidem, quòd bellicas ac militares cogitationes libenti animo ſuſcipiamus, cùm alioqui pacis amantiſſimi

vindices ſimus; ſed vt, quæ attollere ſuperbia ſolet cornua, deprimamus omnino, atque adeò confringamus. Nobis igitur talem, vti diximus, ac tantam victoriam adeptis, id prorſus non ſolùm Chriſtianis, ſed cunctis etiam Regibus totiusque terrarum orbis Principibus maximo eſt adiumento futurum; in primisque tibi, perpetuas eaſdemque grauiſſimas cum Ottomannicâ domo inimicitias gerenti, pro veteri veſtro & inexpiabili in eam odio à maioribus veſtris hereditario quaſi iure in vos vſque deriuato. Quod quidem facilè fiet, ſi hanc, quæ vltrò tibi ſeſe offert, opportunam rei benè gerendæ facultatem haudquaquam prætermittendam eſſe iudicaueris. Quamobrem eius te meritò admonendum eſſe duximus, quin etiam ad communem vtriuſque noſtrûm vtilitatem ob oculos tibi omnino decernendum proponere voluimus, vt eiuſmodi occaſionem, diuinitus oblatam, forti alacrique animo complecti ac perſequi velis, quâ nullam meliorem poteris vnquam reperire. Itaque primo quoque tempore iuſtum exercitum colligere, atque in iſtis Orientalibus plagis de improuiſo communem hoſtem inuadere debes omnino, vt, dum ipſe rebus ſuis afflictis, atque ipsâ maximâ, quam ſuprà commemorauimus, clade conflictatus interiacet, poſſis eas, quas Ottomannus clariſſimis Perſarum Regibus identidem intulit iniurias, vlciſci, vel damna compenſare ac reſarcire: atque etiam vt Meſopotamiam ac Sy-

riam

riam prouincias, nec ita pridem vobis ſubiectas, ſed ereptas, & à Selymo iniquè per vim occupatas, eodem tempore recipias atque recuperes. Quæ res tibi haud difficilis erit obtentu. Nos enim ita nobiſcum conſiderantes, verè colligimus: Selymus incredibili hac calamitate fractus ac debilitatus, videnſquè maritimo ſe ſpoliatum imperio, teque iſtinc fortiſſimè depugnantem, ex aliâ verò parte Chriſtianos fœderatos validiſſimas ac fortiſſimas copias ex Europâ ad bellum in eum terrâ marique gerendum educentes, vno & eodem tempore tot tantoſque impetus ſuſtinere, aut paribus viribus congredi nullo modo poterit. Quapropter nos potentiſſimum Deum, in cuius manu Regum ſunt corda, ſupplices deprecamur, vt te ad præclara illuſtriaque fortiter aggredienda facinora, ad eademque deinceps ſummis viribus conficienda, commoueat, accendat, inflammet: atque vt res tuas omnes ab acerbiſſimo ac teterrimo humani generis hoſte benignè tueatur, ſimulque felices euentus tuos augere velit ac proſperare. Quæ quidem omnia, is quem cum his litteris ad te mittimus, planiùs explicabit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, XVI. Kalend. Decembris, M.D.LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA VIII.

Regem Arabiæ de nauali Chriſtianorum victoriâ certiorem facit, eique, vt contra Turcas arma capiat, ſuadet. Vide lib. v. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Potenti Seripho Mutahar, Regi Arabiæ Felicis.

POtenti Seripho Mutahar, Arabiæ Felicis Regi, Spiritus veritatis illuſtrationem. Dubium non eſt, quin communis imminentium periculorum metus, iniuriarumque earumdem communio, ad quorumuis vel Principum vel populorum animos conſociandos plurimùm valeat, tametſi maximis locorum interuallis diſiuncti, aliiſque permultis rationibus inæquales eſſent & impares. Turcarum Tyranni tantâ dominandi propagandique ſui fines Imperij cupiditate, tantâque diuitiarum & auri ſiti, continenter exardeſcunt, omnibus vt Principibus & gentibus ob id infeſti eſſe non deſinant, mortaleſque omnes æquè ſibi ſubijcere, eoſdemque opprimere concupiſcant. Sed quoniam vires ſuas, ac poteſtatem quamuis magnam, haud ſatis eſſe ſubinde cognoſcunt; hac ſemper arte aſtutiâque ſunt vſi, vt tantiſper dum bellum in certos aduerſarios mouerent, cum ceteris interim pacatos ſe & amicos eſſe ſimularent. Ex quò factum eſt, vt, ſummo perfidiæ

ſidiæ ſcelere, Perſis, Arabibus, Græcis, Alemannis, Hungaris, Italis, nobiliſſima Regna prouinciasque identidem eripere, tyrannidique ſuæ adiungere non dubitarint. Quarum quidem felice rerum ſucceſſu, Regnique potentiâ & amplitudine, eorum audacia, temeritas atque ſuperbia eouſque peruenit, vt, qui illorum armis ſeſe audeat opponere, neminem eſſe ſibi perſuadeant: quin omnes homines vel ad nutum dicto ſibi putant audituros. His igitur conſiliis Selymus, qui nunc Tyrannus imperat Turcis, diligenter inſtructus, anno ſuperiore nobiliſſimæ Venetæ Reipublicæ Cypri Regnum, atque alia tum maritima tum terreſtria loca eidem Reipublicæ ſubiecta, hoſtilem in modum eripere cœpit atque occupare, ſpreto iure ſocietatis, violatis pactis & conuentis, nullâque iuriſiurandi à ſemetipſo dati habitâ ratione, neque vllâ vel minimâ occaſione laceſſitus. Quamobrem nos & pro paternâ quam nobis, meritis licet imparibus, Chriſtiani totius populi ſuſtinendi curam Deus commiſit, repentè per litteras ac nuntios Chriſtianos Principes omnes monere cœpimus & cohortari, ad conſpirandum in maximam iſtius crudeliſſimi hoſtis noſtri comprimendam inſolentiam ac ferocitatem. Hinc igitur fœdere inter Catholicum Hiſpaniarum Regem & nos & ipſos Venetos icto, ac quanta maxima breui temporis ſpatio colligi potuit claſſe comparatâ atque miſsâ contra Turcas, cum iis ſub ſinu Corinthiaco

Nonis Octobris proximè decurſis nauale prælium eſt commiſſum. Quo quidem prælio tantoperè dignam glorioſamque victoriam noſtri ſunt conſecuti, vt numquam anteà par vel viſa fuerit, vel etiam audita. Nam validiſſima & optimè inſtructa Turcarum claſſis, quæ trecentarum nauium cuiuſuis generis erat, eoque ampliùs, maximam partem capta eſt; reliqua verò depreſſa, ac penitus exciſa. Cæſa prætereà ſunt plus triginta Turcarum millia, vnà cum ducibus ſuis, in quibus erat illorum militiæ robur. In primis verò centum & nonaginta triremes, cum eximiâ captiuorum multitudine, noſtrorum in poteſtatem peruenerunt. Quare cùm hoſtis noſter ſæuiſſimus omni ſuâ ſit claſſe ſpoliatus, acceptâque grauiſſimâ clade fractus meritò iaceat, cumque omnis eius maritima ditio noſtrarum claſſium incurſionibus liberè pateat; in eam curam incumbere omnino debemus, vt tam præclaræ illuſtriſque victoriæ fructus quàm vberrimos colligamus. Neque verò nos conquieſcemus vmquam, donec Chriſtianos Principes omnes incitauerimus, efflagitando, vt adauctâ ſocietate, & quàm maximis poterunt belli præſidiis & copiis comparatis, inſequenti vere terrâ marique immanem hoſtem circumueniant atque aggrediantur. Sed hoc ipſum etiam conſilij tibi ſignificandum eſſe cenſuimus, vt intelligeres in præſentiâ commodiſſimam tibi atque optatiſſimam occaſionem offerri, ſic vt fortaſſe nullam

Iam talem vmquam ſis habiturus, communem videlicet hoſtem aggrediendi ac perſequendi, recuperandique res tuas, ſi quas olim ille per iniuriam occupauit. Quod quidem ad agendum, atque ad hanc ipſam & rei tuæ benè gerendæ, & iſtius ſcelerati hoſtis deprimendi opportunitatem arripiendam, ac ſummo ſtudio complectendam, te etiam atque etiam hortamur & ſuademus, ac ſimul etiam obteſtamur. Sic enim dubitare nemo debet, quin hoſtis iſte circumſeptus maximis ac validiſſimis exercitibus, & claſſibus diuexatus, veſtros ſimul & noſtros acerrimos impetus haudquaquam ſuſtinere queat. Potentiſſimus Deus optimam quamque huiuſce te conſilij rationem edoceat, vt prorſus moliaris id atque perficias, quod & tibi ſigillatim & vniuerſo terrarum orbi ſit ſaluti futurum; quemadmodum etiam, qui has noſtras ad te litteras perferet, latiùs edocebit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, XV. Kal. Decembris, M.D.LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA IX.

Æthiopum Regem, cognomento Pretioſum Ioannem, corrupto vocabulo Preteiannem appellatum, admonet de nauali victoriâ, eumque, vt contra Turcas bellum ſuſcipiat, cohortatur. Vide lib. V. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſi-

Chariſſimo noſtro in CHRISTO Filio, Mennæ Regi Regum, Illuſtri Æthiopum Regi.

CHariſſime noſter in CHRISTO Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam pro eâ charitate quâ decet, in Domino nos valdè diligimus atq; æſtimamus Maieſtatem tuam, vtpote magnum, excelſum ac præpotentem Principem, atque Chriſtianæ Religionis amantem, cumque præterea iſtis in oris ad gloriam & honorem Dei ac Domini noſtri IESV CHRISTI, potentiam tuam auctam eſſe cupiamus; faciendum eſſe duximus, vt his litteris noſtris certior fieres de maximâ glorioſiſſimâque victoriâ, quâ idem Dominus ac Redemptor noſter Chriſtianorum claſſem exercitumque nuper dignatus eſt. Etenim anno ſuperiore Selymus Turcarum Tyrannus, ſocietatis pactorumque legibus nefario periurij ſcelere violatis, neque vllâ vel minimâ occaſione prouocatus, ſed ſuâ ipſius ſibique inſitâ toti terrarum orbi imperitandi cupiditate permotus, clariſſimam Venetorum Rempublicam, & Cypri Regno atque inſulâ, aliiſque præterea tum terreſtribus tum maritimis locis, eidem Reipublicæ ſubiectis, hoſtilem in modum ſpoliare ac diripere aggreſſus eſt. Quo quidem iniquo nos facinore commoti, pro eâ, quam ſic Deo diſponente Chriſtianæ Reipublicæ curam gerimus, confeſtim

feſtim animum adiecimus, & per litteras, & per internuntios, ad Chriſtianos Principes cohortandos & incitandos, nihil vt non agerent, quo poſſent perfidiſſimi huius Tyranni furorem & inſolentiam reprimere ac cohibere. Itaque inter Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem Catholicum, & nos Venetoſque ipſos, fœdere percuſſo, ac non ita magno temporis interuallo ingenti claſſe ædificatâ miſsâque contra Turcas, cum iis Nonis Octobris proximè lapſis in Græciâ ſub ſinu Corinthiaco nauali pugnâ ſigna noſtri contulerunt: indeque tam illuſtrem glorioſamque victoriam reportarunt, vt prioribus ſæculis ſimilem numquam viderint homines, aut etiam audierint. Nam Turcica claſſis, quæ erat omni genere nauium numero trecentarum eoque ampliùs inſtructa, ſummiſque belli præſidiis & viribus egregiè communita, maiori ex parte capta fuit; reliqua verò vel demerſa, vel prorſus occidione deleta. Occiſa prætereà ſunt triginta & ampliùs Turcarum millia, vnà cum ductoribus ſuis: ac proinde noſtrorum in poteſtatem venerunt, cum ingenti captiuorum multitudine, centum & nonaginta triremes, in quibus ſummum eorum militiæ robur atque præſidium inerat. Cùm igitur noſter hic immaniſſimus hoſtis omni ſuâ claſſe diſpoliatus, grauiſſimâque acceptâ clade perterrefactus, ac meritò fuſus & fractus ſuccumbat, cumque omnis eius ora maritima noſtrorum pateat excurſionibus; nos

neque prætermiſimus anteà, neque adhuc indies prætermittimus, Chriſtianos Principes excitare & impellere ad tam præclaræ nobilisque victoriæ fructus vberrimos percipiendos; vt & ipſi etiam in ſocietatem adſcripti, quantis maximis poterunt bellicis apparatibus ac viribus inſtructi, teterrimum hoſtem terrâ mariqué petere, atque vndique cingere aggrediantur. Quocircà nos pariter hortamur Maieſtatem tuam, oramusque, vt, poſteaquam potentiſſimo Deo, Patri miſericordiarum & Deo conſolationis, Dominoq; exercituum, de tam excellenti honorificâque victoriâ, vti nos quoque fecimus, quas decet gratias egeris; libenti promptoque animo velis opportuniſſimam hanc captare occaſionem crudeliſſimi cunctiſque infeſtiſſimi Tyranni, ac potiſſimùm Chriſtiani nominis hoſtis acerrimi, temeritatem, ferociam atque ſuperbiam compeſcendi. Id autem eueniet, ſi, vndecumque fieri à te potuerit, bellum in eum commouendum eſſe decreueris, quò longiùs latiusque fines tui poſſis Imperij, ac ſimul Chriſti Religionem propagare. Quâ quidem in expeditione conficiendâ nihil omnino dubitamus, quin Latini ſanguinis vires, opera & ſtudia Maieſtati tuæ ſint adiumento futura. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, XV. Kal. Decembris, M. D. LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTO-

EPISTOLA X.

Grati animi virtutem Reginæ Matri Chriſtianiſſimi Regis commendat: vt afflictis Anglis Catholicis opem ferat coniunctis Gallorum viribus, Eliſabetham Britanniæ Reginam hæreticam expugnet, Catholicamque Religionem protegat, hortatur: ad eas res benè gerendas auxilium ſuum non defuturum pollicetur.

Catharinæ Reginæ, Matri Chriſtianiſſimi Gallorum Regis.

CHariſſima noſtra in CHRISTO Filia, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Beneficiorum, præſertim afflictis in rebus atque in periculis acceptorum, memorem ſeſe præbere, non ſolùm Principes decet, ſed illis eſt id quoque valdè neceſſarium: ſic enim & aliis in eiuſmodi difficultatibus animus additur in poſterum, & ij qui malè ſe geſſerint, non ſine ſuo dedecore meritis pœnis afficiuntur. Nullam porrò nos virtutem hac ipsâ grati animi maiorem æſtimamus: quâ efficitur, vt non modò terrena Regna ſtabiliantur, ſed efferatæ ac barbaræ quæque gentes arctiori amoris vinculo conſocientur. Debet igitur Maieſtas tua in hac cogitatione ſibi conſtare, neque pati vt inanibus Proteſtantium hæreticorum pollicitationibus eâ bonâ de mente deducaris, quam anteà prætuliſti Angli-

cis Optimatibus, atque iis omnibus, qui Scotorum Reginæ partes ſuſtinent, protegendis: ex quibus, vt perſpicuum eſt, pendebit tranquillitas Gallicarum rerum, quæ abſque illorum ope proximis temporibus in magnis planè periculis verſabantur. Etenim quando Admiralius Colignius acie inſtructus, multis, quæ illi ſubmittebat Anglia, fulciebatur auxiliis, eodem tempore ſi peſſima illa Regina ſe Colignio fauere apertè declaraſſet (quod inhibitum fuit ne Proteſtantium artibus accideret) proculdubio Galliarum Regnum in maximum ruinæ diſcrimen incurriſſet. Quamobrem ex Angliâ nobiles complures, ſolùm vt Christianiſſimam Maieſtatem ceteroſque Catholicos, Mottæ Antiſtite eius in Angliâ oratore ſuadente, Robertoque Rodulpho intercedente, ſuſtentarent, peruerſis improbæ illius feminæ conſiliis obſtiterunt; atque tum apertè tum clanculò perfecerunt, ne tam duro Gallia conflagraret incendio. Atque huius quidem rei optimus teſtis eſſe poteſt ipſe Mottenſis Antiſtes: cui nomine nonnullorum Principum ex ipſis Optimatibus Rodulphus enuntiauit, Maieſtatem Christianiſſimam poſſe in eorum ſtudiis conquieſcere. Nam ſe curaturos, quod deinde curarunt, ne Anglorum quam vocant Regina illi ſe hoſtem apertè profiteretur. Quod ſi facere illa voluiſſet, ſeſe illi oppoſituros eſſe, eiuſque conatibus ſummis viribus aduerſaturos: eâ tamen lege, vt Galliarum Rex ſe illis auxilio

xilio fore, Scotiæque Reginæ legitimè ipſis imperantis cauſſam omnino defenſurum polliceretur. Quod quidem deſponſum eſt, atque illis Chriſtianiſſimæ Maieſtatis nomine ab Antiſtite Mottenſi renuntiatum: ſcilicet illis per omnem occaſionem ſuppetias latum iri, ipſis Nobilibus ad moliendum nouas res excitandis, atque interim duobus hominum millibus mittendis in Scotiam. Quod etiam fieri cœptum eſt, exercitu per ſpeciem in Angliâ maturè comparato: ſed poſteaquam Rex voti ſui compos eſt factus, atque cum Admiralio rediit in gratiam, illi ipſi deſerti ſunt. Ac licet ſæpè fuerit poſtulatum, tamen illis promiſſa minimè ſeruata ſunt. Quin etiam ſpe quâdam ducebantur, fore vt certo tempore nonnulla fierent ac dicerentur; neque futurum cogitabant, vt, ſi ob res inde geſtas nobiles ipſi perderentur, Regnum iſtud in eaſdem incideret difficultates: cùm præſertim nemo neſciat, Eliſabetham Regiæ iſti Maieſtati promiſſa non eſſe perfecturam, vigente peſſimo quo vtitur conſilio, ſuadentium non poſſe eam tutò regnare, niſi quantum in ſe eſt, Galliæ Belgijque Proteſtantium cauſſam tueatur. Itaque leuiſſimâ quâque ſumptâ occaſione, non habens illa qui eius praua temperare conſilia queat, facilè ſe Galliarum hoſtem eſſe palàm demonſtrabit. Quo quidem tempore Maieſtas tua planè cognoſceret, quàm ingens in ſe detrimentum recideret ex tot nobilium Anglorum fa-

ctâ iacturâ; qui ſi protegantur, magno erunt Galliæ præſidio. Adhæc autem, deſeri nullo pacto debet cauſſa Scotorum Reginæ, cui Maieſtas tua & affinitatis & antiqui fœderis iure plurimum debet. Quòd ſi, volente Deo, Anglicum illa Regnum obtineret, Gallicos tumultus numquam ſanè pateretur: neque fieri poſſet, vt ea inſula veniret in ditionem Principis alicuius ex Proteſtantibus, qui proculdubio Galliam, ac reliquam omnem rem Chriſtianam vexare non deſiſteret. Galliæ verò Proteſtantes, quamuis eos Maieſtas tua in pace contineat, perpetua tamen habent in Angliâ commercia; eamq́ue Reginam admonent earum rerum, quæ non modò in Galliâ, ſed etiam in toto orbe Chriſtiano geruntur. Atque hiſce artibus magis ac magis confirmantur indies, vt exitioſa conſilia ſua aliquando poſſint obtegere, nefariasq́ue cupiditates explere. Quod vtinam citò non videamus! Etenim nobis exploratum eſt, illos, eo quod habent in Angliâ ſubſidio munitos, coaceruandis pecuniis continenter operam dare; quas præter ſtata ac publica vectigalia, quæ ex Anglicis cogunt Eccleſiis, ex latrociniis quoque & Catholicorum bonis ad mare direptis colligere conſueuerunt. Quod ſanè damnum incredibile eſt, redarguitq́ue vehementer omnium Principum conſcientiam id mali non auertentium. ſiquidem liquidò conſtat, Proteſtantes illos propriis Catholicorum bonis armatos bellum renouaturos, idq́ue

primo

primo quoque tempore haud dubiè facturos; cùm non ſatis tutos ſe fore arbitrentur, niſi quatenus Chriſtianiſſimam Maieſtatem implicitam tenuerint, eamdemque ſui ipſorum auxilij neceſſariò indigere, ac per ſpeciem Gallici Regni fines amplificandi in Hiſpaniam bellum inferre curauerint: idque ad ipſorum factionem magis conſtabiliendam, adigendumque Regem, vt cum ipſis moderatiùs ſe gerat. Quòd ſi Anglia, cuius ope ipſi maximè nituntur, vndeque ſubſidia cuncta petere perpetuò ſolent, ab illis aliquando fuerit abalienata, fouendis Optimatibus illis & populis, qui ad Catholicæ virtutis lucem redire deſiderant, fieret vt Chriſtianiſſima Maieſtas tutior eſſet ab hoſtibus, qui eam aſſiduè circumſiſtunt, ac fortaſſe contra illam coniurant. Quin ipſa Regno ſuo toti liberiùs imperaret, atque vniuerſo terrarum orbi magis quàm vmquam anteà ſe terribilem præberet; ac prætereà Deo pergratum faceret, quodque ſui muneris eſt egregiè præſtaret. Quæ cùm ita ſint, debes omnino iis ſtare promiſſis, quibus te ipſa iam obligaſti, nobiſque ſpopondiſti, ad vniuerſæ Chriſtianæ rei ſalutem. In quo ſi fuerit ipſis Optimatibus ſatisfactum, poteris ipſa deinceps rationes excogitare, quibus commodiùs fieri poſſit, vt in Regnum illud Regina Scotiæ ſuccedat, ac magno Catholicæ Religionis beneficio nobiſcum ineat belli ſocietatem. Quandoquidem quæcumque à nobis dari ſubſidia poterunt, ea deſide-

fumum & ceram liqueſcere & diſperire; hoc, poſtquam ad ſummum Apoſtolatus gradum nullo noſtro merito ſumus à Diuinâ voluntate prouecti, non optandum modò, ſed pro noſtro etiam munere curandum atque efficiendum cognouimus. Quam quidem voluntatem vt nos à ſummâ Dei benignitate accepiſſe profitemur; ſic immortales ei gratias agimus, quòd & nobis & chariſſimo in CHRISTO Filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico, nec non dilecto Filio, nobili viro Aloyſio Mocenigo Duci Venetiarum, eamdem mentem & voluntatem immiſerit: quodque nos non ad noſtra tantùm tuenda (quamquam ne hanc quidem cogitationem abijciendam putauimus) ſed ad totius etiam Catholicæ Eccleſiæ ſalutem atque amplitudinem procurandam, ſanctiſſimo fœdere obſtrinxerit. In quo incepto non præſentia tantùm nobis ſpectanda eſſe duximus, ſed futura etiam prouidenda: ſemperque illud tenendum, vt neque in aduerſis ita frangeremur & caderemus animis, vt non aliquando ſperaremus meliora & lætiora; neque rurſum in proſperis & ad voluntatem fluentibus adeò efferremur, vt non putaremus poſſe ea interdum commutari & verti: ſed in omni ſtatu omnem primùm ſpem repoſitam haberemus in Deo, tum nihil prætermitteremus, quantum quidem humanâ ope & conſilio prouideri atque effici poſſet, ad ea, quæ vel nunc eſſent, vel in futurum eſſe poſſent, ad-

uerſa repellenda, ac meliora vel paranda, vel quæ in manu eſſent, retinenda. Hæc cogitatio effecit, vt neque initio deſperaremus de rebus Eccleſiæ, tum cùm monſtrum illud teterrimum videbatur omnia maria occupaturum, atque omnes Chriſtianorum oras vaſtaturum; neque hoc tempore putemus ita fractum & comminutum quieturum, quin potiùs exiſtimemus, illud hac plagâ irritatum noctes atque dies cogitare, quâ ratione poſſit virus ſuum in Chriſtianos euomere, & inſigni aliquâ illorum clade ſuum mœrorem conſolari. Poſtquam autem pulſum eſt mari, nihil videtur eius furori aptius, quàm ſi chariſſimi in CHRISTO Filij noſtri Maximiliani in Imperatorem electi vicinam & finitimam ditionem magnâ aliquâ manu inuaſerit. Quod quidem periculum, & cum communi omnium Chriſtianorum periculo coniunctiſſimum eſt, & ab omnibus, quando fieri poteſt, propulſandum; & nos quidem, & nobiſcum vnà quos diximus fœderati, quidquid hoc tempore potuimus pecuniarum, peditatus, equitatus, eidem Maximiliano polliciti ſumus. Verùm cùm eæ copiæ ſint pauciores, quia tam ingentem nos claſſem ſuſtinere oportet, cogimur alios etiam dilectos Filios (in quibus vos veſtro merito chariſſimos habemus) ad opem ferendam vocare. Quâ in re non putamus vtendum aliâ cohortatione, quàm eâ quæ ducitur à veſtrâ ipſorum, atque ab illius perſonâ qui veſtram opem implorat:

ſumus

ſumus enim vnum corpus in CHRISTO, ipſi autem inter nos membra: omnes igitur debemus concurrere ad CHRISTVM tuendum, quem quotidie in ſuis membris conficere parat hoſtis immaniſſimus. Implorat porrò hanc opem CHRISTVS ipſe, qui noſter pater & mater eſt. Qui autem ſubtrahit aliquid à patre ſuo vel à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt. Vt autem intelligeretis, quantum præſidij in communem ſalutem conferre poſſetis; ſic arbitrati ſumus de Venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, poſſe vos toto huius fœderis tempore facilè dare pecuniarum centum & viginti millia ſcuta. Hac de re Venerabilem Fratrem Antonium Mariam, Epiſcopum Saluiatum, ad vos mittimus: cuius orationi eamdem quam noſtræ fidem adhibebitis. veſtrum autem reſponſum cupidiſſimè expectamus; quod nobis, quantò celeriùs poteritis, dabitis, quò poſſimus Maximilianum certiorem reddere, ipſumq; non ſolùm ad hoſtium impreſſionem ſuſtinendam, atque ad Chriſtianam Rempublicam communis præſidij ſpe tuendam, ſed ad communem etiam hoſtem inuadendum & ſuperandum animare. Huius autem auxilij, quod vos libenter atque alacriter miſſuros non dubitamus, non ſolùm magnam vobis ab omnibus Chriſtianis laudem, ſed maximam etiam à Deo mercedem pollicemur: is enim neque in hac vitâ ſuo vos atq; res veſtras auxi-

lio deſtituet; ac Chriſtianorum Principum, quos vos hoc facto deuincietis, animos atque opes ad veſtram amplitudinem aggregabit; & in futurâ vitâ hanc veſtram pietatem coronabit ſempiterno honore & gloriâ. Quotquot in hanc rem pecuniarum indigebitis, eas omnes vt à veſtris ſubditis æquâ pro cuiusque facultate portione, nouis etiam tributis imponendis, ſumere poſſitis, Apoſtolicâ auctoritate concedimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Decembris, M.D.LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

EPISTOLA XII.

Ducis & Reipublicæ Genuenſis ad PIVM V.

Pontificis diligentiam ac piam in curando Chriſtianorum fœdere ſolicitudinem commendant: ad id quò minùs pro deſiderio ſuo conſpirare poſſint, varia ac multiplicia excuſant incommoda; vires tamen & opes ſuas contra Turcas pollicentur.

SAnctiſſime ac Beatiſſime Pater. Quod inter omnes conſtat, Sanctitatem tuam nihil niſi diuinum cogitare; id nimirum hoc bello aduerſus Turcam conflando, Chriſtianorumque Principum diſſipatis viribus cogendis, mirifico cùm ſtudio ac pietate tuâ, tum verò etiam pari prudentiâ ac felicitate præſtitiſti. Ac cùm ex omnibus

præmiis virtutis ampliſſimum præmium ſit gloria, iure idcircò te omnes gentes prædicant, diuinis exornant laudibus, ſempiternæ denique gloriæ commendant. Sed non tu hanc caducam inanemq́ue gloriam ſpectaſti: alia, alia maiora, quæ nulla vetuſtas obruet, nulla vmquam delebit obliuio, Sanctitatem tuam ad decus, ad laudem, ad communem denique ſalutem amplectendam incitarunt. Nam, qui à Deo ipſe es, quiq́ue in cælum omnia refers Spiritu ſancto afflatus; quid Chriſti Vicario dignum eſſet, animo ac mente complexus, partes tibi ab ipſo Deo impoſitas tantùm ſpectaſti. Prætereà litteræ tuæ, quas nobis Epiſcopus reddidit Saluiatus, quibus nos ad communem cauſſam bellumq́ue capeſſendum adhortaris, quàm amanter illæ quidem ſcriptæ, quo ſtudio, quâ charitate, quâ prudentiâ? Quòd ſi non noſtrâ ſponte, exemploq́ue maiorum inuitati, ſtudio arderemus Chriſtiani nominis augendi; tuæ certò litteræ in eam nos mentem impuliſſent, vt omnia noſtra ad commune bellum, ipſumq́ue diſcrimen rerum, libentiſſimis animis adduceremus. Atque vtinam officio ac voluntati par ſit facultas, vireſq́ue Reipublicæ noſtræ reſponderent! profectò potentiſſimorum Regum ac nationum præclaros conatus adæquaremus. Sed Sanctitatem tuam latere non arbitramur, quàm imbecilla à fructibus noſtra ſit Reſpublica; quæ porrò bella, quamq́ue recentia, multis abhinc annis, pacandis rebus Corſicis, ſuſtinuerit, cùm omnes penè eius inſulæ populi, nonnullorum Principum præmiis pollicitationibuſq́ue allecti, Turcarum claſſe accerſitâ prædonibus ad prædam euocatis, di-

uino cultu Religioneq́ue prolapsâ, inſulam pænè totam armis miſcerent: quam nimirum tandem, ſummo Dei beneficio, maximis laboribus impenſisq́ue noſtris, in poteſtatem noſtram redegimus. Quæ res non nobis ſolùm, ſed Italiæ toti Chriſtianæq́ue Reipublicæ tranquillitatem peperit atque otium. Corſico verò confecto bello, cùm reficere nos à tantis laboribus ſperaremus, nouum deinde bellum, ac fortaſſe etiam durius exortum eſt: namque paucis abhinc annis ſiue temporum acerbitas, ſiue mortalium cupiditas, eò annonam ipſam redegit, vt qui ſaxoſis in montibus ſiti frumento vtimur importato, multos apud nos fames ipſa necauerit; ac non multi illi ſint, qui pane expleti vitam agant. Quæ nimirum res Reipublicæ noſtræ vires vſque adeò fregit atque imminuit, vt ære alieno oppreſſis vix tantum ſuperſit fructuum, vt nobis ſuppetat ad neceſſarios ſumptus perferendos. Supplices igitur petimus à Sanctitate tuâ, cùm pecuniam exprimi à nobis imbecillitas noſtra non patiatur, vt ardorem pietatemq́ue noſtram, non rem ipſam ſpectes; nosq́ue ſubleuandos potiùs quàm vrgendos exiſtimes. Namque quod noſtrum eſt, quoq́ue armorum genere valemus, vt deſiderari à nobis poſſit, nequaquam certè committemus. Porrò cùm bellum inſtrui, reliquosq́ue Chriſtianos Principes communem incumbere in cauſſam perſpexerimus, quidquid maritimarum virium, quod ſuperiori æſtate fecimus, contrahere poterimus, id omne ad hoc pium ac ſociabile bellum cupidiſſimè conferemus: vt, ſi minùs pecuniâ, at ſanguine ipſo corporibusq́ue noſtris, quod maiores no-

ſtri

ſtri ſemper fecerunt, ſatis Sanctitati tuæ, ſatis pietati, ſatis etiam nobis ipſi aliquâ ex parte facere videamur. Hæc omnia vberiùs noſtro nomine Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Cardinales Lomellinus & Iuſtinianus proſequentur apud Sanctitatem tuam: cui nos humillimè commendantes, ſanctiſſimos eius pedes venerantes piè deoſculamur. Datum Genuæ, XII. *Ianuarij,* M.D.LXXII.

EPISTOLA XIII.

Ad fœderis in Turcas ſocietatem ineundam cohortatur: affinitatem cum Henrico Borbonio Nauarræ Principe iungendam diſſuadet: Equitem quemdam hæreticum rectè quæſitum eſſe, inſana peſtilentium hominum conſilia Regi cauenda, & in cauſſâ Religionis de iure decedere ſe non poſſe, admonet. Vide lib. IV. *cap.* IX. *Vitæ* PII V.

Chariſſimo in CHRISTO Filio Carolo, Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime noſter in CHRISTO Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Tametſi Venerabili Fratri S. Populi Epiſcopo mandauimus, vt ſuæ iſtuc profectionis rationes coràm explicaret; tamen facere noluimus, quin his litteris Maieſtati tuæ in mentem reuocaremus, ſacroſancti fœderis negotium Chriſtianæ Reipublicæ cauſſâ tantoperè nobis eſſe cordi, vt dies ac noctes quieſcere nequeamus,

mus, donec in eamdem ſocietatem coëat Maieſtas tua. Memineris verò, maiores tuos inclytæ memoriæ viros pro virtute ſuâ Chriſtianiſſimi nominis dignitatem ſibi peperiſſe, Saracenis, Turcis, ac ceteris infidelibus ſubigendis, iisque pellendis de ſedibus quas per iniuriam Chriſtianis eripuerant; atque Hiſpaniâ, Ieroſolymâ, ceteriſque ditionibus recipiendis: id quod veteres annales, ſed in primis Sacri belli teſtatur hiſtoria. Porrò autem ad id commoueri debes, vt eius gloriæ particeps fias, quam inde referent fœderati: quos quidem, Deo Optimo Max. iuuante, confidimus glorioſas victorias reportaturos, quæ ſubinde immortalibus litterarum monumentis mandabuntur; ſed ſempiterno tuo cum dedecore, ſi fortè huiuſcemodi fœderis & euentuum expers eſſe volueris. Ac tantò quidem id maiorem tibi maculam adſpergeret, quantò verius illud eſſe probabitur (quod minimè credimus) perduelles Catholicæ Religionis inituros eſſe conſilia, quibus ſua in cuiuſuis fœderatorum ditionem inferant arma. Neque verò nobis placere poteſt, abs te nunc ad Turcarum Tyrannum, Chriſtiani nominis hoſtem, mitti eum qui ſe Aquenſium profitetur Epiſcopum. Quæ res planè magnum piis hominibus terrorem inijciet, eamque ſpem vehementer imminuet, quam afflicti illi Chriſtiani ipſi Tyranno ſubiecti conceperant, fore vt per occaſionem huius victoriæ, quam Deus pro ſuâ pietate Chriſtianæ claſſi conceſſit,

ceſſit, ex illius tyrannide optatam in libertatem aſſererentur. Prætereà illud nos valdè ſolicitat, quòd ſcilicet tantoperè Nauarræ Principis nuptiæ cum Margaritâ ſorore tuâ iſtic vrgeantur, inani quâdam ſpe, fore vt per eam ad Catholicam Religionem Princeps ille reducatur: quin potiùs verendum eſt, ne illa ab ipſo peruertatur. Eius igitur animæ ſalus ita negligitur: etenim ipſi Catholicè viuere volenti nulla pax, nulla quies vmquam erit cum hæretico marito; neque is vmquam illi gratus eſſe poterit, ſed vitam omnem perpetuis in cruciatibus traducet. Quòd ſi ipſa ad mariti ſe voluerit errores conformare, fortaſſe quidem illa quiuerit humanâ ac fallaci quâdam miſeræ huius vitæ quiete potiri; ſed cum ſempiternâ deinceps damnatione infelicitateque numquam apud inferos terminaturâ. Perſpicere planè auxilia potuiſti, quæ tibi ad tuam & ſalutem & amplitudinem identidem ſuppeditauimus, vel ipſam vitam noſtram proijcere cupientes pro nobiliſſimo iſto Regno ad veterem erga diuinam Maieſtatem deuotionem ſuique Regis obedientiam reuocando. Itaque illud ſatis mirari nequimus, quòd tuo nomine Cardinalis Remboldus nobiſcum expoſtulauit de Equite Ordinis tui ac militum Tribuno in cuſtodiam deducto, qui ampliùs quadriennium proclamatur hæreticus, atque eius criminis reus apud ſacros Inquiſitores grauiter poſtulatur. cumque hoc iudicij ſit ſacri Magiſtra-

tus, non eſt cur ſeueriùs, quàm par eſt, id factum eſſe cogitetur. Neque verò licet eum aliquo modo liberare, niſi iudicio conſtituto de illius cauſsâ cognoſcatur, resque per ſententiam definiatur. Sed arbitramur, iis qui erga Catholicam Religionem malè ſunt animati, optimam illam quæ nobis tecum intercedit ſenſuum & conſiliorum communionem valdè diſplicere, ac propterea eos ad illam inturbandam intentis animis excubare; tibique ſæpè proponere, ſi à Pontifice diſſideas, futurum vt in Germaniâ tibi nomen amplifices, viamque communias ad res præclarè feliciterque gerendas. Hæc autem, Fili chariſſime, omnino inſanarum mentium inania ſunt, atque adeò temeraria conſilia, quæ Deus diſſipabit: quippe quæ nullo modo, vel honeſto, vel laudabili, vel vtili nitantur fundamento. Verùm ſi in mentem tibi reuocare volueris, id quod non ſolùm tibi, ſed maioribus quoque tuis, in primisque felicis recordationis Regibus, Henrico & Franciſco auo tuo, iam inde à Maximiliani Cæſaris obitu contigit; facilè poteris intelligere, quanti ad augendam amplitudinem tuam facere debeas eiuſmodi conſilia. In Germaniâ verò quiſquis pecuniis affluens eas voluerit impendere, hac vnâ ratione ſuum ibi nomen illuſtrabit; idque tamen non niſi quodam modo. Quare circumſpiciendum prudenter eſt, atque, ne à peruerſis conſiliariis Catholicique nominis hoſtibus decipiamur, nobis cautè prouidendum.

dendum. At verò, quod ad mentem meam attinet, certò ſcito, ſi in hac re deliberandâ cuiuſlibet occupatæ ciuitatis ad hanc ſacroſanctam Sedem pertinentis recuperatio, atque adeò mea ipſius libertas ageretur, non poſſe me in hoc negotio Religionis ad gratiam alicui faciendam inclinari. ſecùs enim & diuina Maieſtas grauiter offenderetur, & nos hæreticorum fautores eſſe iudicaremur: & proinde eius rei non ſolùm Deo nos reddere rationem oporteret, ſed etiam (quamuis CHRISTI Vicarius nemini niſi ſoli Deo actionum ſuarum rationem reddere teneatur) ſi in rebus Fidei erraremus, ſtatuit Diuina Maieſtas, vt humano iudicio Vicarius eius ſubijci queat. Quamobrem te, vt hoc incepto deſiſtas, & hortamur & obſecramus. Nam etſi amplitudinem tuam valdè diligimus, haudquaquam tamen quidpiam bono Pontifice indignum, cum iniuriâ Dei, mundique periculo, & animarum offenſione, committere volumus aut debemus. Quâ de re, ac de negotio conciliationis Catholicis tam exitiali, quando pacta conuenta à Maieſtate tuâ optimè quidem, non autem ab Hugonotis Proteſtantibuſque ſeruantur, tecum aget idem Venerabilis Frater noſter: cui eamdem fidem habebis, quam haberes nobis ipſis, ſi præſentes tecum colloqueremur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, XXV. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

EPISTOLA XIV.

Principem Virum hortatur, ne apud ſe, aut in ditione ſuâ, hæreticos toleret. De his habes multa lib. III. *cap.* XII. *Vitæ* PII V.

Ad N. Principem Virum.

DIlecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter alias multiplices curas, quæ animum noſtrum, pro munere diuinâ prouidentiâ nobis commiſſo, dies ac noctes excruciant, ea maior eſt atque præcipua; videre nonnullos, qui aliquando ex nobis eſſe videbantur, ex nobis exiiſſe, atque à Catholicâ Romanâ Eccleſiâ, in quâ vnâ vera ſalus exiſtit, inconſutilem CHRISTI tunicam, quantum in ſe eſt, temerè proſcindentes, deficere. Enimuerò verbis ſatis explicari non poteſt, quantoperè cupiamus omnes in vnum ſanctæ vniuerſaliſque Eccleſiæ gremium colligi. Atque hac in re diligentia ac ſolicitudo, quam locis iſtis haud mediocrem impendimus, latere non potuit quoſdam in hæreticâ prauitate exercitatos, è cauernarum ſuarum latibulis tamquam virulentas viperas egreſſos, qui per ditionis tuæ vrbes & loca vagantes, breui temporis interuallo veneni tantum effuderunt, vt complures tibi ſubiectos peſtiferis opinionibus infecerint. Quod ſanè pietatis noſtræ viſcera ita com-

mouit

mouit ac perculit, vt, nullâ interiectâ morâ, te his litteris commonefaciendum putauerimus, vt peritos ac prudentes medicos imitatus, eiuſmodi morbo præſens remedium quamprimùm velis adhibere. Nam in impietate valdè progrediuntur hæretici, eorumque ſermo paſſim ſerpit vt cancer. ac ſi quibus in rebus periculoſa mora eſt, in hac planè eſt periculoſiſſima. In quâ omnino vel diſſimulare, vel minùs leniter agere, an ſæpenumerò damnum attulerit Eccleſiæ Dei, non ſolùm veteres, ſed recentes quoque noſtræ calamitates, profectò quàm vellemus, clariùs teſtantur. Et ſanè lenitas nulla poteſt eſſe tanta, vt iſtorum flectere malitiam queat; qui Catholicorum patientiam exercere malunt, quàm eorum ſapientiam aut humanitatem experiri. In quo identidem illi, Domino ſic diſponente, viuis CHRISTI membris malè agendo proſunt vel inuiti. Compertum eſt autem hæreſes eſſe oportere, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant: verumtamen væ illis per quos illæ ſunt. Quòd autem ſubſiſtant, non ſolùm ex earum auctoribus fautoribúſve, ſed ex iis etiam qui vel per malitiam vel per iniuriam illos vigere permittunt, plus ſatis liquet. Id igitur ne tibi contingat, quantum in te eſt, perpetuo ſtudio cura quàm diligentiſſimè: ſecùs enim in Dei & noſtram ſimul offenſionem incurreres, facultateſque tuas omnes maximum in diſcrimen adduceres, ac præclaram quam de te homines opinionem adhuc

 habue-

habuerunt, turpiter falleres & obſcurares; ne dicamus, de illâ iam, atque adeò de exiſtimatione tuâ, apud quoſdam nonnihil eſſe detractum. Enimuerò quia nihil quod nobis relatum eſt ignorare te volumus, ſcito nonnullos de te quidpiam Nobilitate tuâ prorſus indignum iam ſuſpicari cœpiſſe. Ac ſcito id ex malâ famâ, quæ non ita pridem de ciuibus tuis increbuit, profectum eſſe. Cuius quidem rei ea ratio eſt, quòd vix alicui fortaſſe fiat veriſimile, vt ciues Catholicam Religionem deſerant in eâ ciuitate, in quâ Princeps eamdem quo decet cultu retineat ac profiteatur. Nobis verò quemadmodum hucuſque nihil niſi pium de Nobilitate tuâ credere libet aut cogitare; ita ſanè ſi peſtem hanc ſerpere ac progredi diutiùs patiaris, quam ad hunc vſque diem de te opinionem habuimus, retinere nequaquam poſſemus. Nam in eis rebus quæ ad Fidem pertinent, nec minimam quidem alicui ſuſpicionem inijcere debemus. Excita igitur colligeque te ipſum, Fili; atque iſtos, qui, vt audiuimus, aranearum inſtar apud te inuolucra ſua conſtruxerunt, confeſtim ſic accipiendos decerne, prout eorum merita poſtulant, aut prorſus eijciendos. Itidemque præſta in quoſuis ciues tuos, qui falsâ illorum doctrinâ fuerint deprauati. Neſcis modico fermento totam maſſam corrumpi? Expurga vetus fermentum, ſic vt ne minimum quidem tam ſæuæ peſtis intra tuæ fines ditionis relinquatur indicium. Quòd

ſi

ſi hoc ad agendum auctoritate ac poteſtate, quam nobis licet indignis Deus impertiuit, tibi opus eſſe iudicaueris; eâ de re nos facies illicò certiores: nam vel hoc nomine tibi nos plurimum debere profitebimur. Neque verò quidquam, quod ad animarum, pro quibus CHRISTVS eſt mortuus, ſalutem procurandam ſit accommodatum, prætermittemus: aut enim ad ſanctitatem redire volentibus paternæ indulgentiæ dexteram porrigemus; aut, ſi res ita tulerit, ſpiritualibus armis iuſtè in eos animaduertemus qui in errore fuerint pertinaces; trademuſque homines huiuſmodi in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri IESV CHRISTI. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris.

INDEX EPISTOLARVM CVM ARGVMENTIS.

ABBATIBVS, Capitulis, Præpoſitis, Canonicis, & Clero vniuerſo in FRISINGENSI DIOECESANA SYNODO congregandis. Epiſt. XIII. Lib. I.

Argum. *Diœceſanam Synodum ritè haberi, & Clericorum Seminarium inſtitui, rectèq; curari hortatur.* 30

ABBATIBVS quorumcumque Ordinum, & Præpoſitis in FRISINGENSI DIOECESI conſtitutis. Epiſt. XII. Lib. I.

Argum. *Deprauatis ſacrorum hominum moribus hæreſes potiſſimùm excitari oſtendit: quod vt caueatur, eos ad vitam moreſq; ſuos piè componendos, & ad Chriſtianam diſciplinam religiosè conformandos, Clericorumq; Seminarium ritè inſtituendum, hortatur.* 28

ALBERTO Palatino Siradiæ. Epiſt. XXXIV. Lib. III.

Argum. *Palatino Siradiæ ad Catholicæ Religionis cultum conuerſionem gratulatur; atque vt in ſuſcepto veræ pietatis conſilio perſiſtat, & alios ab erroribus ad rectam ſalutis viam reuocare ſtudeat, hortatur.* 208

ALFONSO Archiepiſcopo Mexicano. Epiſt. XIX. Lib. I.

Argum. *De litteris ſuis & Concilij Tridentini Decretis ad Archiepiſcopum Mexicanum miſſis: de ſtatu Indicæ illius Prouinciæ, certiorem ſe fieri cupit: ad illarum Eccleſiarum* regimen

regimen officium ſuum non defuturum pollicetur: Gentiles ad Chriſtianam fidem conuerſos à militum iniuriis defendi curat. 44

Alfonso Estensi Duci Ferrariæ. Epiſt. xlv. Lib. iv.

Argum. *De Ferrariâ terræ motu afflictâ dolorem ſe percepiſſe, & piis precibus & vitæ integritate iram Dei, qui mortalium peccatis offenſus, eiuſmodi clades quandoque permittit, placandam eſſe oſtendit.* 384

Antonio Epiſcopo Agriæ. Epiſt. xxxiii. Lib. iii.

Argum. *Sedulam Epiſcopi Agriæ operam in Paſtorali officio egregiè præſtando commendat; atque, vt benè cœpit, pietatis curſum teneat, animarumq; ſibi commiſſarum ſaluti diligenter conſulat, hortatur.* 206

Archiepiscopo Gnesnensi. Epiſt. ii. Lib. iii.

Argum. *Vt in Regni Comitiis Catholicam Religionem tueatur, Cleriq; diſciplinam & mores reſtituat, & ſacri Concilij Tridentini Decreta in vſum induci curet, hortatur.* 129

Archiepiscopo Pragensi. Epiſt. xiv. Lib. ii.

Argum. *Catholicos in officio Religionis continendos, lapſos ad fidem reuocandos, exequenda Decreta Concilij Tridentini, prouinciales & diœceſanas Synodos habendas, Clericorum Seminarium inſtituendum, bonos tantùm & idoneos ſacris Ordinibus initiandos, Huſsitas, niſi reſipiſcant, non promouendos, interdictos libros cauendos, quæ per ſe agere non poſsit, per adiutorem confici curet, Archiepiſcopum Pragenſem hortatur.* 93

Archiepiscopo Strigoniensi, Regni Hungariæ Primati, & Suffraganeis eius. Epiſt. ii. Lib. i.

Argum. *Sacri Concilij Tridentini Decreta ſeruari, Clericorum Seminarium iubet inſtitui.* 6

Capitvlo & Canonicis Eccleſiæ Bisvntinæ. Epiſt. vi. Lib. iii.

Argum. *Ad retinendam inter ſe & illius ciuitatis Magi-*

ſtratus piarum mentium concordiam, ad ſe ipſos & patriam ab hæreticorum commercio & fraude tutam conſeruandam, & ad vitam moresq́ pie conformandos, Canonicos Eccleſiæ Biſuntinæ hortatur. 141

CAPITVLO & CANONICIS Eccleſiæ VALENTINÆ in Galliâ. Epiſt. XLII. Lib. III.

Argum. *Hæreſes, & iræ diuinæ flagella vnde maximè prouocentur, oſtendit. Clericos, vt vitam quiſque ſuam ad priſtinam morum ſanctitatem reuocent, diuinorumq́ Sacramentorum vſum piè frequentent, ac bono exemplo ſint, hortatur.* 233

CAROLO Auſtriæ Archiduci. Epiſt. I. Lib. II.

Argum. *Horrendum ſcelus in ſacroſanctam Eucharistiam admiſſum, grauiſſimè puniendum eſſe admonet.* 66

Eidem CAROLO Archiduci. Epiſt. XL. Lib. IV.

Argum. *Presbyterum & Ludimagiſtrum hæreticos, ceteris pernicioſos, teneri, & in Epiſcopi poteſtatem tradi, poſtulat.* 373

CAROLO Cardinali BORBONIO. Epiſt. IV. Lib. III.

Argum. *Vt hæreticos quamprimùm profligari curet, Carolum Cardinalem hortatur.* 135.

Eidem CAROLO Card. BORBONIO. Epiſt. XVIII. Lib. III.

Argum. *Conſiliis ſuis de Chriſtianâ diſciplinâ vbique reſtituendâ cum Legato communicatis, eum, vt id in Auenionenſi Venaiſinâque ditione, per idoneos miniſtros diligenter præſtet, hortatur.* 169

Eidem CAROLO Card. BORBONIO. Epiſt. XXIII. Lib. III.

Argum. *Concilij Tridentini Decreta in Auenionenſi ditione obſeruari curat.* 184

Eidem CAROLO Card. BORBONIO. Epiſt. XXVIII. Lib. III.

Argum. *Cardinalem Borbonium, vt per fideles adminiſtros bellum contra hæreticos geri procuret, hortatur.* 195

Eidem

Eidem Carolo Card. Borbonio. Epiſt. xlvii. Lib. iii.
Argum. *Cardinali Borbonio relatam de hæreticis victoriam gratulanti reſpondet; atque vt belli reliquias eius ſuaſu Rex proſequatur, contendit.* 244

Eidem Carolo Card. Borbonio. Epiſt. vi. Lib. iv.
Argum. *Ineundæ cum hæreticis pernicioſæ pacificationis conſilia reprobat; Cardinalemq́; Borbonium, vt id, quoad eius fieri poſſit, impediat, Catholicamq́; Religionem ſtrenuè pro munere ſuo protegat, hortatur.* 279

Eidem Carolo Card. Borbonio. Epiſt. vii. Lib. iv.
Argum. *Factam inter Regem & rebelles hæreticos pacem, vt Regi Regnóque, & Catholicæ Religioni infauſtam & pernicioſam improbat; Cardinalémque ad munus ſuum in ipſius Religionis tutelâ ſtrenuè præſtandum cohortatur.* 282

Carolo Cardinali a Lotharingia. Epiſt. v. Lib. iii.
Argum. *Vt bellum in hæreticos confici, eorumq́; bona proſcribi diligenter curet, Carolum Cardinalem à Lotharingiâ hortatur.* 138

Eidem Carolo Card. a Lotharingia. Epiſt. xiv. Lib. iii.
Argum. *Hæreticorum exercitu ad Iarnacium cæſo, eorumq́; duce Condenſi Principe interfecto, victoriam Cardinali à Lotharingiâ gratulatur; eumq́;, vt Regem Chriſtianiſſimum ad Dei Omnipotentis ſuoſq́; hoſtes iuſtè vlciſcendos incitet, hortatur.* 161

Eidem Carolo Card. a Lotharingia. Epiſt. xxix. Lib. iii.
Argum. *Bellum in hæreticos per concordes fideleſq́; viros probè adminiſtrandum procurat.* 197

Eidem Carolo Card. a Lotharingia. Epiſt. v. Lib. iv.
Argum. *Cardinalem à Lotharingiâ, vt pacis cum hæreticis*

& rebellibus ineunda conſilia diſturbare ac diſiicere conetur, hortatur. 276

Eidem CAROLO Card. A LOTHRINGIA. Epiſt. VIII. Lib. IV.

Argum. *Factam inter Regem & rebelles hæreticos pacem, vt Regi Regnóque, & Catholicæ Religioni infauſtam & perniciosam improbat; Cardinalemq. ad munus ſuum in ipſius Religionis tutelâ ſtrenuè præſtandum cohortatur.* 285

CAROLO Francorum Regi Chriſtianiſſimo. Epiſt. XXIX. Lib. I.

Argum. *Vt Melitæ inſulæ contra Turcas opem ferat, Francorum Regem hortatur.* 61

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. IX. Lib. III.

Argum. *Auxiliares copias contra hæreticos mittit in Galliam, Duce Sfortiâ, Comite ſanctæ Floræ; & Catholicis victoriam à Deo ſupplex expoſcit.* 148

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. X. Lib. III.

Argum. *Hæreticorum exercitu ad Iarnacium cæſo, eorumq. Duce Condenſi Principe interfecto, victoriam Regi gratulatur; eúmque, vt reliquos hæreticos ad internecionem perſequatur, incendit.* 151

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XVI. Lib. III. *quæ eiuſdem eſt cum ſuperiore argumenti.* 164

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XLI. Lib. III.

Argum. *Regem Chriſtianiſſimum, quòd Gaſparem Colignium, hæreticorum ducem, omnibus, quos vſurpabat, honoribus ac titulis ſpoliatum, condemnauerit, aliumq. in eius locum, virum Catholicum, Regni Admiralium conſtituerit, valdè commendat; atque vt reliquos hæreticos à Galliâ profliget aut tollat, hortatur.* 230

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XLV. Lib. III.

Argum. *Partam ad Moncontурium de hæreticis victoriam gratulatur; Regémque, vt bellum ſtrenuè proſequatur, hæreticisq. inexorabilem ſe præbeat, incitat.* 240

Eidem

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XLVIII. Lib. III.

Argum. *Regis victoriam de hæreticis reportatam gratulantis pietatem commendat. Matrimonij inter ipſum Regem & Iſabellam Cæſaris filiam contrahendi poteſtatem ſe feciſſe oſtendit.* 246

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. I. Lib. IV.

Argum. *Pacem cum hæreticis & rebellibus componere diſſuadet, eosq; armis compeſcendos eſſe oſtendit.* 266

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. IV. Lib. IV. *quæ eiuſdem eſt cum ſuperiore argumenti.* 274

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XI. Lib. IV.

Argum. *Regem Francorum ad ſociale fœdus contra Turcas ineundum cohortatur.* 294

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XII. Lib. IV.

Argum. *Regem Francorum à Turcicâ amicitiâ reuocat, & ad ſociale bellum contra Turcas ſuſcipiendum adhortatur.* 298.

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XLVI. Lib. IV.

Argum. *Coſmum Medicem Magnum Etruriæ Ducem abs ſe creatum commendat.* 386

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. IV. Lib. V.

Argum. *Partâ de Turcis victoriâ, Francorum Regem denuò ad ſociale bellum contra eos ineundum adhortatur.* 400

Eidem CAROLO Regi. Epiſt. XIII. Lib. V.

Argum. *Ad fœderis in Turcas ſocietatem ineundam cohortatur: affinitatem cum Henrico Borbonio Nauarræ Principe iungendam diſſuadet: Equitem quemdam hæreticum rectè quæſitum eſſe, inſana peſtilentium hominum conſilia Regi cauenda, & in cauſâ Religionis de iure decedere ſe non poſſe, admonet.* 439

CATHARINÆ Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ. Epiſt. XI. Lib. III.

Argum. *Hæreticorum exercitu ad Iarnacium cæſo, eorumq;*

 Duce

Duce Condenſi Principe interfecto, victoriam Reginæ gratulatur; eamq́, vt reliquos hæreticos ad internecionem perſequatur, incendit. 154

Eidem CATHARINÆ Reginæ. Epiſt. XII. Lib. III. *quæ eiuſdem cum ſuperiore argumenti.* 156

Eidem CATHARINÆ Reginæ. Epiſt. XLIII. Lib. III.
Argum. *Gaſparem de Coligny, hæreticorum ducem, iuſtè damnatum gratulatur; idq́, Galliæ rebus ſalutare fore oſtendens, Reginæ pietatem commendat.* 236

Eidem CATHARINÆ Reginæ. Epiſt. II. Lib. IV.
Argum. *Pacem cum hæreticis & rebellibus componere diſſuadet, eosq́, armis compeſcendos eſſe oſtendit.* 269

Eidem CATHARINÆ Reginæ. Epiſt. X. Lib. V.
Argum. *Grati animi virtutem Reginæ Matri Chriſtianiſſimi Regis commendat: vt afflictis Anglis Catholicis opem ferat, coniunctis Gallorum viribus, Eliſabetham Britanniæ Reginam hæreticam expugnet, Catholicamq́, Religionem protegat, hortatur: ad eas res benè gerendas auxilium ſuum non defuturum pollicetur.* 427

CATHARINÆ Portugalliæ Reginæ. Epiſt. XXX. Lib. IV.
Argum. *Quòd Ludouicum internuntium benignè ſuſceperit ac iuuerit, gratias agit: oblatæ claſſis officium probat: connubij negotium commendat.* 351

CHRISTOPHORO Epiſcopo Palentino. Epiſt. I. Lib. I.
Argum. *Sacri Concilij Tridentini Decreta in vſum induci, Clericorum diſciplinam reſtitui, eorumq́, ritè educandorum Seminarium inſtitui, ab hæreticis caueri, proborum virorum, quibus Eccleſiaſtica munera mandari poſſint, cenſu habito, certum ad ſe indicem mitti procurat.* 1

CONSVLIBVS & SENATVI ciuitatis COLONIÆ AGRIPPINÆ. Epiſt. XLI. Lib. IV.
Argum. *Colonienſium, in ciuitate ſuâ Catholicæ Religionis in officio continendâ, & ab hæreticorum conſuetudine cuſto-*

cuſtodiendâ, pietatis ſtudium commendat. 375

COSMO DUCI Florentiæ & Senarum. Epiſt. XLVI. Lib. III.

Argum. *Coſmo Florentiæ Duci victoriam de hæreticis in Galliâ partam piè gratulanti gratias agit; indeq́ perceptam lætitiam ſuam, quòd ad eam victoriam Ducis auxilia non mediocriter contuliſſent, auctam eſſe oſtendit.* 243

DECANO & CAPITVLO Eccleſiæ COLONIENSIS. Epiſtola XXVII. Lib. I.

Argum. *Vt optatum Archiepiſcopum eligant, Decanum & Capitulum Eccleſiæ Colonienſis hortatur.* 57

DECANO & CAPITVLO Eccleſiæ ELBORENSIS. Epiſt. XXX. Lib. III.

Argum. *Clericorum Seminarium ex Tridentini Concilij Decreto ritè inſtitui præcipit: idq́ ad Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem, Eccleſiæ vtilitatem, pertinere oſtendit.* 200

DECANO & CAPITVLO Eccleſiæ HALBERSTADENSIS. Epiſt. III. Lib. II.

Argum. *Puerum in Epiſcopum eligentium poſtulationem reijcit, legitimam idonei viri electionem diutiùs non differri iubet; aliàs id ſuâ auctoritate faciendum denuntiat.* 69

DIDACO Cardinali SPINOSÆ. Epiſt. XVII. Lib. II.

Argum. *Vt Chriſtianam Religionem in Indiâ propagari apud Regem Catholicum procuret, Didacum Cardinalem hortatur.* 101

Eidem DIDACO Card. SPINOSÆ. Epiſt. XXV. Lib. IV.

Argum. *De Regiis triremibus Pontificiæ Venetaq́ claſſi contra Turcas adiungendis, aliisq́ de rebus apud Regem Catholicum benè procuratis, gratias agit; atque, vt ad ſociale fœdus quamprimùm conficiendum Regem inducat, hortatur.* 334

DVCI & GVBERNATORIBVS Reipublicæ GENVENSIS. Epiſt. XIX. Lib. III.

Argum. *Corſicam, poſt rebellionem, in Genuenſium poteſtatem*

tem rediiſſe lætatur; eiusq́ insulæ populos, Christianis legibus & diſciplinis in officio continendos, pieq́ moderandos eſſe oſtendit. 173

Eidem DVCI & GVBERNATORIBVS Reipublicæ GENVENSIS. Epiſt. XI. Lib. V.

Argum. *Partâ iam nauali victoriâ, vt in ſociale bellum contra Turcas conſpirent, Ducem & Gubernatores Reipublicæ Genuenſis hortatur.* 432

EMANVELI PHILIBERTO Duci Sabaudiæ. Epiſt. XXV. Lib. I.

Argum. *Vt Galliarum Regi, Regnóque, contra hæreticos rebelles ſuccurrat, Ducem Sabaudiæ hortatur.* 54

Eidem EMANVELI PHILIBERTO. Epiſt. XXVI. Lib. I.

Argum. *Decem aureorum millia Galliæ Regno contra hæreticos ſubſidio mittit; aliaq́ ad id ſe auxilia contuliſſe, & ab aliis Principibus tum procuraſſe, tum procuraturum ſe, oſtendit.* 56

Eidem EMANVELI PHILIBERTO. Epiſt. VI. Lib. II.

Argum. *Eccleſiaſticam libertatem defendit.* 76

EPISCOPIS per FLANDRIAM conſtitutis. Epiſt. XIII. Lib. II.

Argum. *Simoniacam prauitatem omnino cauendam eſſe præcipit.* 91

EPISCOPO EGITANENSI. Epiſt. XXVII. Lib. III.

Argum. *Epiſcopum Egitanenſem, quòd Clericorum Seminarium in Eccleſiâ ſuâ nondum inſtituerit, obiurgat, ad idq́ primo quoque tempore inſtituendum hortatur.* 192

EPISCOPO HERBIPOLENSI. Epiſt. IX. Lib. IV.

Argum. *Epiſcopum Herbipolenſem hortatur, ne quempiam à Catholicâ Religione alienum, aut hæreſis ſuſpectum, in illius Eccleſiæ Sacerdotum Collegium recipi permittat.* 288

EPISCOPO VERDVNENSI. Epiſt. XXVI. Lib. III.

Argum. *Epiſcopi Verdunenſis virtutem commendans, Paſtoraliſq́ muneris ſui pondus oſtendens, eius piis ſe precibus*

apud Deum cupit ſubleuari, eiusq; iudicium in confirmatione collationis certæ Præbendæ comprobat. 191

FABIO Epiſcopo Calatino. Epiſt. XXXVII. Lib. III.
Argum. *Antonium Poſſeuinum Ieſuitam à calumniis vindicat.* 217

FERDINANDO Duci Albæ. Epiſt. XV. Lib. II.
Argum. *Reportatam in Belgio de hæreticis victoriam Duci Albæ gratulatur; ipſumq; ad eos bello profligandos, Catholicamq; Religionem tuendam, hortatur.* 97

Eidem FERDINANDO Duci. Epiſt. XXI. Lib. II.
Argum. *Ducem Albæ in Belgio contra hæreticos bellum feliciter gerentem commendat, eumq; ad rem Chriſtianam ſtrenuè protegendam cohortatur.* 110

Eidem FERDINANDO Duci. Epiſt. XXXVI. Lib. IV.
Argum. *Anglis Catholicis contra hæreticos auxiliares copias mitti procurat.* 363

FERNANDEZ DE VASCONCELLOS Braſiliæ Gubernatori. Epiſt. XXV. Lib. III.
Argum. *Chriſtianæ Religionis propagationem & cultum Gubernatori Braſiliæ commendat.* 188

FRANCISCO TOLETO Proregi Prouinciæ Peru. Epiſt. XVIII. Lib. II.
Argum. *Fidem Catholicam in Prouinciâ Perüanâ propagandam curat.* 103

GABRIELI A CVEVA, Duci de Albuquerque, Status Mediolanenſis Gubernatori. Epiſt. XVI. Lib. I.
Argum. *Eccleſiæ Mediolanenſis iura defendit.* 37

Eidem GABRIELI A CVEVA. Epiſt. XVII. Lib. I.
Argum. *Io. Paulum ab Eccleſiâ, Senatorem Mediolanenſem, quem ipſe deinde elegit Cardinalem, quòd Ducis nomine certum negotium Romæ diligenter procuraſſet, commendat; hortaturq; Ducem ipſum, vt Eccleſiæ Mediolanenſis dignitatem & iura tueatur.* 39

Eidem GABRIELI A CVEVA. Epiſt. XXXVIII. Lib. III.

Argum. *Eccleſiæ Mediolanenſis iuriſdictionem, & Carolum Cardinalem Borromeum, eius Eccleſiæ Archiepiſcopum, defendit.* 219

Eidem GABRIELI A CVEVA. Epiſt. XXXIX. Lib. III.

Argum. *Eumdem Carolum Borromeum Cardinalem, Mediolanenſem Archiepiſcopum, in cauſſâ Eccleſiaſticæ iuriſdictionis defendit; Ducémque, vt Eccleſiam illæſam eſſe velit, hortatur.* 222

ad eumdem GABRIELEM A CVEVA Ducem Albuquercium, PHILIPPI II. Regis Catholici Epiſtola XVII. Lib. IV.

Argum. *Quid de præbendo Venetis auxilio, ac de fœdere ſanciendo ſtatuerit, oſtendit; iubetq́ue, vt fœdus ipſum aliaq́ue Regia negotia curet diligenter.* 318

GASPARI Archiepiſcopo Goano. Epiſtola XVIII. Lib. I.

Argum. *De ſacri Concilij Tridentini Decretis abs ſe in Indiam tranſmiſſis: de iniuncto ſibi Summi Pontificis officio; vicem ſuam dolendam potiùs quàm gratulandam oſtendit: Eccleſiam Dei in Indiâ creſcere & propagari lætatur: Cardinalis Portugalliæ pietatis ſtudium commendat: Antiſtitem, paſtorali curâ ſe eximi poſtulantem, confirmat in officio, & exemplo ſuo conſolatur: diſpenſandi ritè in cauſſis coniugalibus, & certis diebus ſacras Indulgentias elargiendi, tribuit facultatem.* 41

Eidem GASPARI Archiepiſcopo. Epiſt. LII. Lib. III.

Argum. *Prouincialis Concilij Goani Decreta examinanda, & quatenus opus fuerit approbanda, librumq́ue ad ſe miſſum libenter accepiſſe nuntiat: Archiepiſcopum, vt Paſtorali officio ſuo ſtrenuè fungi pergat, hortatur: Fratres Dominicanos, Franciſcanóſque, & Ieſuitas in infidelium conuerſione laborantes confirmat.* 256

GASPARI QVIROGÆ Conſiliario Regio. Epiſt. VI. Lib. I.
Argum. *Eccleſiarum in Regno Neapolitano viſitationem impediri non debere.* 16

GEORGIO Cardinali DE ARMENIACO. Epiſt. III. Lib. III.
Argum. *Ex proſcriptis hæreticorum bonis templa & alia publica ædificia, ab illis incenſa vel diruta, rurſus ædificari; ex ijsq́ bonis, nihil omnino ipſis hæreticis, vel eorum propinquis, quamuis bonis & Catholicis, donari iubet.* 133

GEORGIO Epiſcopo Zagabriæ. Epiſt. XXXI. Lib. III.
Argum. *Catholicæ Religionis ſtudium Epiſcopo Zagabriæ gratulatur; atque vt Paſtoralis curæ munera diligenter obeat, hortatur.* 202

GVBERNATORIBVS ciuitatis BISVNTINÆ. Epiſt. VII. Lib. III.
Argum. *Gubernatores ciuitatis Biſuntinæ de pietatis ſtudio commendat, & ad tuendam Catholicam Religionem, firmamq́ inter ſe & Eccleſiaſticos viros retinendam concordiam, & ab hæreticis cauendum, hortatur.* 144

HENRICO Cardinali Portugalliæ Infanti. Epiſt. X. Lib. II.
Argum. *Ne laici, quauis dignitate ſint, in Eccleſiarum Sacellis maioribus, vel in Choris, aut Presbyteriis, dum diuina celebrantur Officia, ſedere ſeu ſtare permittantur. Neque mulieres, cuiuſuis gradus ſint, virorum aut feminarum Monaſteria ingredi audeant.* 85

Eidem HENRICO Cardinali. Epiſt. XII. Lib. II.
Argum. *Adoleſcentem Regem optimis magni patrui Cardinalis, & Reginæ Catharinæ eius auiæ, conſiliis in Regni adminiſtratione adiutum iri confidens, id ſedulò fieri commendat.* 90

Eidem HENRICO Cardinali. Epiſt. L. Lib. III.
Argum. *Vt Regem ad Aethiopicam expeditionem pro gloriâ Dei, Chriſtianæq́ Reipublicæ ſalute, ſuſcipiendam adiu-*

uet, Henricum Cardinalem Portugalliæ hortatur. 251

Eidem HENRICO Cardinali. Epiſt. XXXI. Lib. IV.
Argum. *Vt Chriſtianæ claſſi contra Turcas à Rege opem imploret.* 353

Eidem HENRICO Cardinali. Epiſt. XXXII. Lib. IV.
Argum. *Quòd auxilium Chriſtianæ Reipublicæ contra Turcas mittendum apud Regem benè curauerit, gratias agit: ipſiusq; Regis coniugium vt procuret, hortatur.* 354

Eidem HENRICO Cardinali. Epiſt. XXXIII. Lib. IV.
Argum. *Has* PIVS *litteras manu ſuâ ſcripſit, quibus Cardinalem, vt matrimonium inter Sebaſtianum Regem & Margaritam Valeſiam iungendum curet, hortatur.* 356

HENRICO Duci Andegauenſi Regis Chriſtianiſſimi fratri. Epiſt. XIII. Lib. III.
Argum. *Hæreticorum exercitu ad Iarnacium cæſo, eorumq; Duce Condenſi Principe interfecto, victoriam Duci Andegauenſi gratulatur; eúmque, vt Regem Chriſtianiſſimum, fratrem ſuum, ad rebelles ſuos ſeueriſſimè puniendos incitet, hortatur.* 159

Eidem HENRICO Duci. Epiſt. XVII. Lib. III.
Argum. *Signa militaria de hæreticis acie victis capta, ex Galliâ ad ſe miſſa accipit; atque vt reliquos Dei Eccleſiæ hoſtes bello conterat, Ducem Andegauenſem hortatur.* 167

Eidem HENRICO Duci. Epiſt. III. Lib. IV.
Argum. *Pacem cum hæreticis & rebellibus componere diſſuadet, eosq; armis compeſcendos eſſe oſtendit.* 272

HENRICO Iuniori Duci Brunſvvicenſi. Epiſt. XV. Lib. I.
Argum. *Puerum in Epiſcopum electum approbare ſe non poſſe oſtendit.* 35

HIERONYMO Abbati Claræ-vallis, electo S.R.E. Cardinali. Epiſt. VII. Lib. II.
Argum. *Abbati Claræ-vallis, Cardinalatum ſuſcipere pro ſuâ modeſtiâ recuſanti, vt electioni acquieſcat, iterùm præci-*

præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ. 78
HIERONYMO PRIVLO Duci Venetiarum. Epiſt. XXIV. Lib. I.
Argum. *Galliarum Regno contra hæreticos auxilium poſtulat.* 53
IACOBO Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato nato, Regni Poloniæ Primati, & reliquis eiuſdem Regni Epiſcopis Lublini in Comitiis congregatis. Epiſt. XXXVI. Lib. III.
Argum. *Super pluribus Eccleſiaſticis Beneficiis obtinendis & reſidentiâ diſpenſare recuſat; & vt terrena deſpicientes, ad cæleſtia & æterna bona reſpiciant & aſpirent, Poloniæ Epiſcopos hortatur.* 214
IACOBO Epiſcopo Vaſonenſi, Patriarchæ Alexandrino. Epiſt. XXI. Lib. III.
Argum. *Ad mores piè conformandos, Eccleſiaſticamq; diſciplinam ritè ordinandam, Epiſcopum Vaſonenſem adhortatur.* 179
IOANNI ANDREÆ DE AVRIA Militi Genuenſi. Epiſtola XVIII. Lib. IV.
Argum. *Vt Regiam claſſem cum Venetâ contra Turcas quamprimùm iungi procuret, Ioannem Andream de Auria hortatur.* 320
Eidem IOANNI ANDREÆ DE AVRIA. Epiſt. XIX. Lib. IV.
Argum. *Ne quid impediat, quo minùs Ieroſolymitani Ordinis triremes quatuor cum Pontificiâ claſſe contra Turcas coniungantur, Ioannem Andream Auriam hortatur.* 322
Eidem IOANNI ANDREÆ DE AVRIA. Epiſt. XX. Lib. IV.
Argum. *Vt Regiam claſſem Neapolitani Proregis ſubſidiis inſtructam contra Turcas quamprimùm expediat, eumdem Andream Auriam hortatur.* 324
IOANNI Archiepiſcopo Treuirenſi, Sacri Romani Imperij Principi Electori. Epiſt. XXXIX. Lib. IV.
Argum. *Vt Catholicam Religionem, Romanæq; Eccleſiæ dignita-*

gnitatem in Cæſareo Conuentu contra hæreticos tuęatur, Archiepiſcopum Treuirenſem hortatur. 371

IOANNI BAPTISTÆ Archiepiſcopo Roſſanenſi. Epiſt. II. Lib. II.

Argum. *Vltimum ſupplicium ſubituris, pridie quàm illo afficiantur, poſt confeſsionem Sacerdoti ritè factam, Dominici Corporis viaticum adminiſtrari iubet.* 68

IOANNI Epiſcopo Adiacienſi in Corſicâ. Epiſtola XX. Lib. III.

Argum. *Ad Epiſcopalis curæ munera diligenter obeunda, Epiſcopum Adiacienſem cohortatur.* 176

IO. IACOBO Archiepiſcopo Salisburgenſi. Epiſt. IV. Lib. I.

Argum. *Concubinatus labem ex Clero omnino tolli, & Eccleſiaſticorum mores corrigi iubet.* 12

IOANNI Patriarchæ Antiocheno. Epiſt. XL. Lib. III.

Argum. *Patriarcham Antiochenum Epiſcopalis curæ onus deponere cogitantem à conſilio reuocat, ad illudq́; ſtrenuè ſuſtinendum hortatur.* 227

IOANNI DE VALETTA, Magiſtro Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani. Epiſt. III. Lib. I.

Argum. *Magiſtrum Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, quòd nouam vrbem in inſulâ Melitâ contra Turcas præſidio futuram ſeriùs inchoaſſet, clementer excuſat, eumq́; à conſilio inde diſcedendi reuocat.* 8

LVDOVICO Cardinali MADRVTIO, Epiſcopo Tridentino. Epiſt. XXIV. Lib. II.

Argum. *Eccleſiæ fructus in ſtipendij militaris ſolutionem impendi non debere.* 120

LVDOVICO GONZAGÆ Duci Niuernenſi. Epiſt. XXIII. Lib. I.

Argum. *Carolum Galliæ Regem ex hæreticorum manibus euaſiſſe gratulatur, eiq́; ſe pecuniarum vel militum auxilia præbiturum pollicetur.* 51

MARCHIONI DE FALCES Nouæ Hiſpaniæ Proregi. Epiſtola XX. Lib. I.

Argum. *Felicem Marchionis in Nouam Hiſpaniam aduentum gratulans, inibi Catholicæ fidei propagationem à Deo benè precatus, ſedulam rei Chriſtianæ procurationem commendat, ſpiritualiaq; munera tranſmittit.* 46

MARCHIONI DE VILLARS Regni Franciæ Admiranti. Epiſt. XLIV. Lib. III.

Argum. *Marchioni de Villars delatum honorem gratulatur; atque, vt ſuſceptis pro Catholicâ Religione laboribus ac periculis, ad cæleſtia præmia ſemper aſpiret, hortatur.* 238

MARIÆ Scotiæ Reginæ. Epiſt. VIII. Lib. I.

Argum. *Scotiæ Reginæ virtutem ac pietatem commendat, eiq; de filio nato gratulatur, atque illum Catholico ritu baptizari mandat.* 21

Eidem MARIÆ Reginæ. Epiſt. LIV. Lib. III.

Argum. *Reginam Scotiæ in cuſtodiâ ab Eliſabethâ in Angliâ detentam & afflictam conſolatur.* 263

Eidem MARIÆ Reginæ. Epiſt. XXXVII. Lib. IV.

Argum. *Scotiæ Reginam Catholicâ pro fide in carcere fortiter ſe gerentem commendat & conſolatur.* 365

MAXIMILIANO Archiepiſcopo Cameracenſi. Epiſt. IX. Lib. I.

Argum. *Concilij Tridentini Decreta exequi, deprauatosq; mores corrigi, vt pro ſuo munere procuret, Archiepiſcopum Cameracenſem hortatur.* 23

MAXIMILIANO II. Romanorum Imperatori. Epiſt. VIII. Lib. II.

Argum. *Cæſarem, vt Eccleſiæ Tridentinæ iura defendat, hortatur.* 81

Eidem MAXIMILIANO Imperatori. Epiſt. XIX. Lib. II.

Argum. *Cæſarem collaudat, quòd Auguſtanam Confeſſionem non conceſſerit: ac terrena Regna Regumq; ſtudia ad cale-*

cœleſtis Regni adeptionem omnino conferenda eſſe demonſtrat. 104

Eidem MAXIMILIANO Imperatori. Epiſt. XXV. Lib. II.

Argum. *Eccleſiæ Tridentinæ cauſſam Maximiliano Imperatori commendat.* 122

Eidem MAXIMILIANO Imperatori. Epiſt. III. Lib. V.

Argum. *Icto iam fœdere, vt ad id iunctis opibus ac viribus conſpiret, Maximilianum Imperatorem grauiter cohortatur.* 396

MELCHIORI electo Epiſcopo. Epiſt. XX. Lib. II.

Argum. *Vt quamprimùm ritè conſecrari ſe procuret, boniq; Paſtoris munera ſtrenuè præſtans, mores Eccleſiaſticamq; diſciplinam reſtituat, electum Epiſcopum hortatur.* 107

MENNÆ Æthiopum Regi. Epiſt. IX. Lib. V.

Argum. *Aethiopum Regem, cognomento Pretioſum Ioannem, corrupto vocabulo Preteiannem appellatum, admonet de nauali victoriâ, eumq;, vt contra Turcas bellum ſuſcipiat, cohortatur.* 423

MOSCOVITARVM Duci. Epiſt. XXXV. Lib. IV.

Argum. *Ad ſocialis belli fœdus contra Turcas ſecum & cum aliis Chriſtianis Principibus ineundum, Moſcouitarum Ducem hortatur.* 359

PAVLO Nitriæ Epiſcopo. Epiſt. XXXII. Lib. III.

Argum. *Nitriæ Epiſcopi in Paſtorali munere ſtrenuè obeundo diligentiam collaudat; ipsúmque, vt in eo quod cœpit, ſedulò perſeueret, grauiter hortatur.* 204

PERAFANIO DE RIBERA, Duci de Alcalâ, in Regno Neapolitano Proregi. Epiſt. XXI. Lib. IV.

Argum. *Regiam claſſem neceſſariis ſubſidiis inſtrui, & contra Turcas quamprimùm dirigi procurat.* 326

PETRO Epiſcopo ſancti Saluatoris in prouinciâ Braſiliâ. Epiſt. XXIV. Lib. III.

Argum. *Ad rem Chriſtianam in Braſiliâ benè curandam,*

Petrum

Petrum Epiſcopum adhortatur. 186

PETRO LAVREDANO Duci Venetiarum. Epiſt. XXX. Lib. I.
Argum. *Melitenſibus à Duce Venetorum contra Turcas ſubſidia poſtulat.* 63

PETRO DE MONTE Magiſtro Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani. Epiſt. XXII. Lib. III.
Argum. *Nobilem Scotum Religionis cauſsâ ab hæreticis patriâ pulſum omni charitatis officio ſuſcipiendum commendat.* 182

Eidem PETRO DE MONTE. Epiſt. XXII. Lib. IV.
Argum. *Ieroſolymitani Ordinis triremes inſtrui, & cum Pontificiâ Venetâque claſſe contra Turcas iungi procurat.* 328

Eidem PETRO DE MONTE. Epiſt. XXIII. Lib. IV.
Argum. *Vt Melitenſes triremes contra Turcas ad ſinum Corcyrenſem quamprimùm adnauigare, & cum Pontificiâ Venetâque claſſe coniungi curet, Petrum de Monte hortatur.* 329

Eidem PETRO DE MONTE. Epiſt. XLIV. Lib. IV.
Argum. *Tribus Melitenſium triremibus captis, ac centum ferè militibus partim cæſis, partim in ſeruitutem abreptis à Turcis, dolentem Petrum, communicato dolore, conſolatur.* 382

PHILIPPO Epiſcopo Cracouienſi. Epiſt. I. Lib. III.
Argum. *Ad Catholicæ fidei defenſionem, Eccleſiaſticæq. diſciplinæ ac morum correctionem, & ad ſacri Concilij Tridentini Decretorum executionem hortatur.* 125

PHILIPPO II. Hiſpaniarum Regi Catholico. Epiſt. V. Lib. I.
Argum. *Vt ad ſedandos tumultus in Flandriam traijciat, Hiſpaniarum Regem hortatur.* 14

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XI. Lib. I.
Argum. *Anglos Catholicos Religionis cauſsâ patriâ pulſos,*

ſos, & in Belgium receptos, vt omnibus charitatis officiis benignè fouendos curet, Regi commendat. 26

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XXII. Lib. I.

Argum. *Vt Galliæ Regi contra hæreticos & rebelles opem ferat, Regem Hiſpaniarum hortatur.* 50

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XXVIII. Lib. I.

Argum. *Melitæ inſulæ contra Turcam auxilium implorat.* 59

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XVI. Lib. II.

Argum. *Vt rem Chriſtianam in Indiâ propagare recteq; habere curet, Regem Hiſpaniarum hortatur.* 99

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XIII. Lib. IV.

Argum. *Afflictæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum deplorat, vt Regem Hiſpaniarum ad opem Eccleſiæ ferendam, ac fœderis ſocietatem contra Turcas ineundam permoneat; idq; ab eo etiam atque etiam petit.* 302

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XV. Lib. IV.

Argum. *Studia Regis Catholici & officia de ineundo fœdere commendat.* 315

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XVI. Lib. IV.

Argum. *Vt Regiam claſſem contra Turcas Venetis auxilio mittat, Hiſpaniarum Regem hortatur.* 316

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XXIV. LIB. IV.

Argum. *Quòd Ioanni Andreæ Auriæ, vt Regiam cum Pontificiâ Venetâque claſſe coniungeret, mandauerit, gratias agit, Regemq; ad fœderis negotium conficiendum hortatur.* 331

Eidem PHILIPPO Regi. Epiſt. XXXIV. Lib. IV.

Argum. *Vt Catharinam Luſitaniæ Reginam amitam ſuam ex illo Regno in Caſtellam venire cogitantem de ſententiâ deducat, & matrimonium cum nepote Rege & Margaritâ Valeſiâ iungi procuret, Hiſpaniarum Regem hortatur.* 357

ad

ad PIVM V. Pont. Max. ANNÆ SIGISMVNDI Poloniæ Regis ſororis Epiſt. II. Lib. v.

Argum. *Anna Sigiſmundi Poloniæ Regis ſoror de ſacro Romanarum Stationum munere aliisq; Pontificiis in ſe officiis gratias agit: Vincentium Porticum Internuntium Apoſtolicum commendat, ſuam in Pontificem pietatem ac fidem profitetur.* 393

ad eumdem PIVM V. Pont. Max. DVCIS & Reipublicæ GENVENSIS Epiſt. XII. Lib. v.

Argum. *Pontificis diligentiam ac piam in curando Chriſtianorum fœdere ſolicitudinem commendant: ad id quò minùs pro deſiderio ſuo conſpirare poſsint, varia ac multiplicia excuſant incommoda; vires tamen & opes ſuas contra Turcas pollicentur.* 436

ad eumdem PIVM V. Pont. Max. MARIÆ Scotorum Reginæ Epiſt. XXXVIII. Lib. IV.

Argum. *Pontificis erga ſe benignitatem commendat: ſociali bello contra Turcas opem ferre cupit: ſuas ac Regni ſui calamitates deplorat: vel duris conditionibus cum Anglis pacem facere ſe debere ſcribit: denique filij ſui pietatem in Deum, & in Apoſtolicam Sedem obedientiam perpetuam fore pollicetur.* 367

ad eumdem PIVM V. Pont. Max. PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis Catholici Epiſt. XIV. Lib. IV.

Argum. *Pontificis conſilium approbat de fœdere contra Turcas; & ad hoc ipſe conſpirans, per quos Romæ id tractari ac confici mandauerit, oſtendit.* 312

ad eumdem PIVM V. Pont. Max. SEBASTIANI Portugalliæ Regis Epiſt. XXVII. Lib. IV.

Argum. *Pontificis conſilium de fœdere contra Turcas probat: ſed ad eam expeditionem quod petebatur auxilium mittere in præſens non poſſe excuſans, id in poſterum daturum ſe pollicetur.* 339

ad eumdem PIVM V. Pont. Max. eiuſdem SEBASTIANI Regis Epiſt. XXIX. Lib. IV.

Argum. *Multa & varia excuſat impedimenta, quibus fit, vt bello contra Turcas auxilio nunc eſſe non poſſit; idq; ægrè ferens, ſuam in Pontificem obedientiam & pietatem teſtatur: de affinitate ſibi cum Valeſiâ domo iungendâ reſpondet.* 347

ad eumdem PIVM V. Pont. Max. eiuſdem SEBASTIANI Regis Epiſt. V. Lib. V.

Argum. *Cardinalis Alexandrini legationis litteris reſpondet, naualem victoriam commendat, & gratulatur: opes ſuas & auxilium contra Turcas pollicetur. Quid de Gallicis nuptiis decreuerit atque mandarit, oſtendit. Poſtremò quaſi bellicum canens, ſuum in Eccleſiam Dei protegendam ac vindicandam ſtudium profitetur.* 403

PRÆPOSITO, DECANO, & reliquo CAPITVLO Eccleſiæ HALBERSTADENSIS. Epiſt. XIV. Lib. I.

Argum. *Puerum Epiſcopum non eligendum; in eâq; re non temporalia, ſed ſpiritualia bona ſpectari oportere, atque Halberſtadenſi Eccleſiæ virum tanto muneri idoneum Epiſcopum dandum eſſe demonſtrat.* 32

PRINCIPI VIRO. Epiſt. XIV. Lib. V.

Argum. *Principem Virum hortatur, ne apud ſe, aut in ditione ſuâ, hæreticos toleret.* 444

SENATORIBVS Palatinis, & Caſtellanis omnibus in Diætâ LVBLINENSI congregatis. Epiſt. XXIII. Lib. II.

Argum. *Ad Catholicam Religionem, & ad Apoſtolicæ Sedis auctoritatem protegendam, Senatores Palatinos & Caſtellanos in Diætâ Lublinenſi congregatos hortatur.* 116

SEBASTIANO Portugalliæ & Algarbiorum Regi. Epiſt. XI. Lib. II.

Argum. *Regem Portugalliæ poſt annum ætatis ſuæ XIV. Regni gubernacula ſuſcepiſſe gratulatur, atque vt in adminiſtratione optimis ſuorum conſiliis acquieſcens probè ſe gerat,*

 in

in primiſq; pietatem in Deum, & augendæ propagandæq; Chriſtianæ Religionis ſtudium propoſitum habeat, hortatur. 88

Eidem SEBASTIANO Regi. Epiſt. XLIX. Lib. III.

Argum. *Aethiopes ad ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiam redire cupientes, Regiſq; Luſitanorum auxilia contra Turcas poſtulantes, Regiis copiis iuuari poſtulat.* 248

Eidem SEBASTIANO Regi. Epiſt. LI. Lib. III.

Argum. *Coniugium inter Regem Portugalliæ & Margaritam Valeſiam quamprimùm iungi procurat; ac Regis conſilium de ſubigendâ Africâ, Regniq; militaribus Ordinibus reſtituendis, commendat.* 253

Eidem SEBASTIANO Regi. Epiſt. LIII. Lib. III.

Argum. *Regem Portugalliæ hortatur, vt quæ pro Religione iuſtitiâq; tuendâ præſtare inſtituerat, proſequatur; ciuitatemq; Oliſiponem à peſtilentiâ liberatam eſſe gratulans, inde maximas Deo gratias agit.* 258

Eidem SEBASTIANO Regi. Epiſt. XXVI. Lib. IV.

Argum. *Vt Chriſtianis contra Turcas bellum gerentibus auxilio eſſe velit, Regem Portugalliæ hortatur.* 337

Eidem SEBASTIANO Regi. Epiſt. XXVIII. Lib. IV.

Argum. *Propenſa Regis ad opem Chriſtianæ Reipublicæ contra Turcas ferendam ſtudia commendat: quid auxilij ab eo ſperandum ſit edici, ineundiq; coniugij negotium confici poſtulat.* 342

Eidem SEBASTIANO Regi. Epiſt. VI. Lib. V.

Argum. *Naualis victoriæ pondus oſtendit: epiſtolarum de Turcico bello ad exteros Reges datarum exempla mittit; eaſq; epiſtolas per certos nuntios, qui rem benè iuuent, ad illos perferendas curat.* 414

SERIPHO MVTAHAR Regi Arabiæ Felicis. Epiſt. VIII. Lib. V.

Argum. *Regem Arabiæ de nauali Chriſtianorum victoriâ certiorem facit, eiq;, vt contra Turcas arma capiat, ſuadet.* 420

SIECCO Perſarum Regi. Epiſt. VII. Lib. V.
Argum. *Naualem Chriſtianorum victoriam ad Echinadas partam ſignificat; ac Regem, vt ad eam expeditionem contra Turcas conſpiret, hortatur.* 415
SIGISMVNDO Regi Poloniæ. Epiſt. VII. Lib. I.
Argum. *Præſtitum per Oratorem obedientiæ officium ſe grato animo accepiſſe ſcribit; Regem Poloniæ, vt, hæreticis amotis, probis adminiſtris Catholicis vti velit, hortatur.* 18
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. IV. Lib. II.
Argum. *Vt Epiſcopum hæreticum, qui indignè occupabat Eccleſiam, dimitti curet, Regem Poloniæ hortatur.* 72
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. V. Lib. II.
Argum. *Læſam in Poloniâ Eccleſiaſticam libertatem defendi curat.* 74
Eidem SIGISMVNDO Regi, & SENATORIBVS Palatinis, & Caſtellanis omnibus in Diætâ LVBLINENSI congregatis. Epiſt. XXII. Lib. II.
Argum. *Ad Catholicam Religionem retinendam & tuendam, Regem Poloniæ hortatur.* 113
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. VIII. Lib. III.
Argum. *Vacaturi Beneficij Eccleſiaſtici expectationem facere recuſat.* 147
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. XXXV. Lib. III.
Argum. *Beneficiorum vacaturorum reſeruationes, & plura Beneficia cum animarum curâ obtinendi ac non reſidendi facultatem dari non licere.* 211
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. XLII. Lib. IV.
Argum. *Regem Poloniæ hortatur, vt Tranſiluaniæ Principi perſuadeat, vt in locis ditioni ſuæ ſubiectis Catholicæ Religionis cultum recipi, & hæreticos inde pelli procuret.* 377
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. XLIII. Lib. IV.
Argum. *Regis Poloniæ pietatem commendat, quòd extortum decretum de permiſſione Auguſtanæ Confeſſionis renocarit,*

ris; eumq́, vt in Regno ſuo Catholicam Religionem protegat, hortatur. 379
Eidem SIGISMVNDO Regi. Epiſt. I. Lib. v.
Argum. *Poloniæ Regem, legitimam vxorem ſuam ſterilitatis cauſſâ repudiare deliberantem, à conſilio reuocat.* 389
SIMONI THADÆO ECHIO, ALBERTI Bauariæ Ducis Cancellario. Epiſt. x. Lib. I.
Argum. *Cancellarij in tuendâ Catholicâ Religione ſtudium commendat, vt Clericorum Seminarium in Eccleſiâ Friſingenſi inſtitui, aliaq́, pietatis officia præſtari curet, hortatur.* 24
THOMÆ Comiti Northumbriæ, & CAROLO Comiti VVeſtemerlandiæ in Angliâ. Epiſt. x. Lib. IV.
Argum. *Comites Catholicam Religionem contra Eliſabetham in Angliâ vindicare conantes benignè conſolatur, eorumq́, pios conatus & ſtudia valdè commendat.* 290
VICE-REGI, & CONSILIARIIS Portugalliæ & Algarbiorum Regis in partibus Indiæ Orientalis. Epiſt. XXI. Lib. I.
Argum. *Eccleſiæ ſanctæ filios ex infidelium conuerſione in Indiâ creſcere lætatur: inde Luſitaniæ Regum pietatem commendans, eorum adminiſtros, vt ad Gentilium conuerſionem, & conuerſos benignè curandos incumbant, adhortatur.* 47
VRBANO Epiſcopo Patauienſi. Epiſt. IX. Lib. II.
Argum. *De ſacroſanctâ Communione ſub vtrâque ſpecie laicis nullo modo concedendâ.* 83

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

ABBATEM *Claræ-vallis Cardinalatum ſuſcipere* PIVS *mandat in virtute ſanctæ obedientiæ.* Pag. 79

Adrianus Ballionus. 53

Æmilij Maluetij cauſſâ aduerſus Fucaros, à Poloniæ Rege PIO *commendatur.* 213

Æthiopes ad ſanctæ Sedis obedientiam redire cupientes, Luſitanorum Regi PIVS *commendat.* 249. 252

Alberto Laſchio Palatino Siradiæ ob conuerſionem ad Catholicam fidem PIVS *gratulatur.* 208

Aloiſius Mocenigus Venetiarum Dux. 361. 433

Amicitiæ patrum cum infidelibus cauſſâ Deus à filiis quandoque, etiam delicti expertibus, pœnas repoſcit. 300

Anglos Catholicos Religionis cauſſâ patriâ pulſos, & in Belgium receptos Regi PIVS *commendat.* 27

iis contra hæreticos auxiliares copias ſubmitti procurat. 363

Annibal Auricellarius, Legatus Regis Chriſtianiſſimi. 51. 55

Antiſtitem Paſtorali curâ ſe eximi poſtulantem PIVS *exemplo ſuo conſolatur.* 43. 227

Antonius de Groſupto, Ordinis Prædicatorum Profeſſor. 7

Antonius Maria Saluiatus, Legatus à PIO *in Galliam miſſus.* 401. 435

Antonium Poſſeuinum Societatis Ieſu PIVS *à calumniis vindicat.* 217

Apoſtolicæ ſeruitutis officium, non ſine timore ac tremore, in ſpiritus humilitate ſuſcipiendum. 6

Aquenſium Epiſcopus à Rege Francorum ad Selymum Turcarum Tyrannum miſſus. 440

Auguſtana Confeſſio à Cæſare non conceſſa. 105. 380

hac eò ceteris pernicioſior, quòd leuiùs à Catholicæ Fidei profeſſione declinans, ſpeciem quamdam Religionis retinere videatur. 381

Aurangiæ Princeps. 139

Auſtriacorum Imperatorum religio. 106. 107

Belgicæ

B.

BElgicæ flebilem ſtatum PIVS prædicit. 16
Bello hominum corrupti mores emendantur. 275
Bello adminiſtrando celeritas neceſſaria eſt; at cunctatio maximè obeſt. 136. 139. 140. 321. 325. 327
Beneficij Eccleſiaſtici vacaturi expectationem PIVS facere recuſat. 147
Beneficiorum vacaturorum reſeruationes, ac plura Beneficia cum animarum curâ obtinendi licentiam dare PIVS recuſat. 211. 215
Boni, ſine malis, perfectè boni eſſe non poſſunt. 205
Brunſvvicenſis Ducis pietatem PIVS commendat. 33. 35

C.

CArdinales quare purpurâ veſtiantur. 284. 286
Cardinalis Alexandrini pietas. 404
Cardinalis Borromeus. 38. 219
Cardinalis Iuſtinianus. 439
Cardinalis Lomelinus. ibid.
Cardinalis Madrutius Epiſcopus Tridentinus. 81. 123
Cardinalis Remboldus. 441
Carolus Cardinalis Borbonius ciuitatis Auenionenſis de Latere Legatus. 179. 218
Carolum Galliæ Regem ex hæreticorum manibus euaſiſſe gratulatur PIVS. 51
eius pietatem laudat. 156. 165. 167. 231. 238. 247. 301. 446
diſſuadet ei affinitatem cum Henrico Nauarræ Principe. 441
Catharinam matrem Chriſtianiſſimi Gallorum Regis PIVS hortatur, vt Scotiæ Reginæ opem ferat. 427
Chriſtiana Reſp. Regis Catholici auxilio maximè nititur. 333
Clericorum Seminarium PIVS iubet inſtitui. 4. 7. 25. 31. 94. 95. 193. 200
Communio laicis ſub vtrâque ſpecie non concedenda. 84
Concilij Tridentini obſeruatio vnicum remedium, ad iram Dei auertendam. 3. 6. 23. 31. 128. 132. 177. 181. 185
Condenſis Princeps hæreticorum Dux, ad Iarnacium occiſus. 151. 154
ad Conuerſionem animarum PIVS hortatur. 187. 189. 225
Conuerſi ad Chriſti fidem, ſicut teneræ in vineâ Domini plantæ, amore fouendi. 100
Coniugium inter Portugalliæ Regem, & Margaritam Valeſiam, PIVS procurat. 252. 344. 352. 355. 357. 359.
Corſicam poſt rebellionem in Genuenſium poteſtatem rediiſſe PIVS lætatur. 174
Coſmum Medicem, Magnum

Etruriæ Ducem abs ſe creatum PIVS commendat. 386

D.

Didacus Spinoſa Regij Conciliij Præſes. 18
eum PIVS laudat. 335
Diſciplinam Chriſtianam PIVS reſtitui curat. 169.175.177.178.180.
Dux Sfortia, Comes ſanctæ Floræ, cum auxiliaribus copiis in Galliam mittitur. 149
Ducem Albæ PIVS ad Catholicam Religionem tuendam hortatur. 98.111.112
Duci Albuquercio Rex Hiſpaniæ iniungit, vt fœdus aliaque Regia negotia curet. 318
Dux Andegauenſis. 151

E.

Eccleſia Dei, dum ab hæreticis oppugnatur, ardentiùs in Dei charitate inflammatur. 118.241
Eccleſiarum viſitatio impediri non debet. 17
Eccleſiaſtica bona, Epiſcopis non ad dominium, ſed ad diſpenſationem ſunt conceſſa. 194
Eliſabetha Anglicanæ Eccleſiæ ſe caput dicit. 305
Epiſcopum qualem oporteat eſſe. 34.58.206.215
Epiſcopum hæreticum dimitti mandat PIVS. 72
Erneſtus Alberti Bauariæ Ducis filius. 25

F.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ. 81.122
Fidei orthodoxæ deſcriptio & commendatio. 114.115.116
Franciſcus Dietaleuius mittitur à PIO ad Epiſcopos Pannonios. 203.205.208.
Franciſco Toleto Proregi Perüano, fidei propagationem PIVS commendat. 103

G.

Galliarum Regno auxilium PIVS poſtulat. 50.52.54.55
cui & à PIO auxilia miſſa. 52.56.60.149.293.308.384.431
Galliæ Regi victoriam ad Moncontorium PIVS gratulatur. 240.247
eius cum hæreticis pacem PIVS luget. 282.285
eum verò ad ſociale bellum contra Turcas ineundum hortatur. 295.301
etiam poſt victoriam de iis relatam. 401.439
Gallorum Regum cum Turcis amicitia improbatur. 296.299.300.440
Galliæ Reges hæreſes diſſimulando, Regnum illud in extremum periculum adduxerunt. 73.
Gaſpar Colignius, hæreticorum dux,

dux, à Rege Chriſtianiſſimo omnibus honoribus ſpoliatur. 231.237
Genuenſem Rempublicam ad ſociale bellum. PIVS *hortatur.* 432
Ducis & Reipublicæ Genuenſis ad PII *V. litteras reſponſum.* 436
Georgius Cardinalis Armeniacus, collega Legati Aueniomenſis. 179

H.

HÆreſi naſcenti occurrendum. 289.445
Hæreſim profligari curat PIVS. 136.140.152. 155. 160.166. 168.195.267.270.446
Hæreſes, & iræ diuinæ flagella, vnde maximè prouocentur. 233
Hæreticorum operâ in Magiſtratibus vti, pernicioſum. 19
Hæretici, diuinâ permittente prouidentiâ, numquam in vnum corpus poſſunt coaleſcere. 114
ex Hæreticorum proſcriptis bonis, templa ab illis diruta ædificari PIVS *iubet.* 134
Hæreticorum nefanda ſcelera in Belgio perpetrata, PIVS *recenſet.* 304
Henricus Iulius puer Epiſcopus non eligendus. 33.36.70
Henricus Portugalliæ Cardinalis. 42.88
Hiſpaniarum Regum potentia. 333.417
Philippi Hiſpaniarum Regis pietatem laudat PIVS. 27.53. 101.307.308.315.332
eum ad fœdus contra Turcas ſuſcipiendum hortatur. 306
item, vt ad ſedandos tumultus in Belgium traijciat. 14
ipſe conſilium Pontificis de fœdere contra Turcas approbat. 312
eum PIVS *hortatur, vt ſuam claſſem contra Turcas auxilio mittat.* 317
item, vt Catharinam Luſitaniæ Reginam, amitam ſuam, in Caſtellam venire cogitantem, à ſententiâ deducat. 358

I.

IAcobum Scotum nobilem Religionis cauſsâ patriâ pulſum PIVS *commendat.* 182
Imperator præcipuus Eccleſiæ Aduocatus. 107.124
India propagationis fidei cauſsâ Hiſpaniarum Regi conceſſa. 100.250
Ioannem Andream de Auriâ, vt Regiam claſſem cum Venetâ iungi procuret, PIVS *hortatur.* 320
& ne quid impediat, quo minùs Ieroſolymitani Ordinis triremes quatuor cum Pontificiâ claſſe iungantur, hortatur. 322

eidem mandat, vt Regiam claſſem Neapolitani Proregis ſubſidiis inſtructam quamprimùm expediat. 324

Joannem Paulum ab Eccleſiâ Senatorem Mediolanenſem PIVS commendat. 39

Joannes Phiſterus, Canonicus Friſingenſis. 26.32

Joannes Stunica, Senator & in Vrbe Orator. 98.319

Joannes Tellus, Luſitaniæ Regis in Vrbe Legatus. 350

Iure Eccleſiarum Præſulibus reſeruato, ius temporale Principum ſtabilitur. 38.40.49.100.102.260

L.

LAici, in Sacellis maioribus vel in Choris dum diuina celebrantur Officia, ſtare vel ſedere prohibentur. 86

Laurentius Guaſconius, Ieroſolymitani Ordinis Eques. 382

Laurentius Madius ex Societate Ieſu, in Poloniam à PIO miſſus. 393

Libertas Eccleſiaſtica defenditur. 76.77.82.126.127.130

Ludouicus de Torres Cameræ Apoſtolicæ Clericus, à PIO in Hiſpaniam pro fœdere contra Turcas ineundo miſſus. 311.312.313.317.

Luſitaniæ Regum pietatem PIVS commendat. 48.343

M.

MAgiſtratui ſæculari facultatem PIVS tribuit ſupplicium ſumendi de Eccleſiaſtico. 68

Mala facienda non ſunt, vt inde eueniant bona. 299

Marchio Rangonius Regij Ordinis Eques. 159

Marchioni de Villars de ſuſcepto Admirantis officio PIVS congratulatur. 239

Marcus Antonius Columna Pontificiæ claſſis Generalis. 329.330

Maria Scotorum Regina flebilem ſtatum ſuum deplorat. 368

Matthæus de Piſino, Presbyter hæreticus. 373

Maximilianum Imperatorem, ictoiam fœdere, ad ſociale bellum contra Turcam PIVS cohortatur. 396

Mediolanenſis Eccleſia iura defendit PIVS. 38.40.71.220.223

Melchior Bilius, Notarius Apoſtolicus, & apud Cæſaream Maieſtatem Nuntius. 372

Melitâ inſulâ amiſsâ tota Chriſtiana Reſpublica in maximum periculum adducetur. 20.60.62.64

Melitæ inſulæ Magiſtrum à conſilio inde diſcedendi reuocat. 10

Melitæ inſulæ contra Turcas auxilia

auxilia Pivs poſtulat. 60.62.64

Mennam Æthiopum Regem, cognomento Pretioſum Ioannem, ad ſociale bellum contra Turcas Pivs *hortatur.* 424

Metellus Venturellus Canonicus Viſſecenſis. 147

Miniſtrorum ipſorum inter ſe diſcordia rebus rectè adminiſtrandis maximè aduerſatur. 196. 198

Miſericordia Dei quanta ſit. 309

Morum correctio ab Vrbe primùm, ac locis ad Eccleſiaſticam ditionem pertinentibus eſt incipienda. 170.185

Moſconitarum Ducem ad ſocialis belli fœdus ſecum & cum aliis Chriſtianis Principibus ineundum Pivs *hortatur.* 360

Mulieribus ingreſſus in Monaſteria tam virorum quàm mulierum prohibetur. 87

N.

NAualem de Turcis ad Echinadas victoriam Pivs *prædicit.* 310

victoria huius deſcriptio. 416 422.425

O.

OBedientia fundamentum Eccleſiæ. 130

Ordinibus ſacris idonei tantùm initiandi. 95.201

P.

PAcem cum hæreticis componi Pivs *diſſuadet.* 267.269. 272.274.277.280

Paſtorum negligentiâ hæreſes excitantur. 2.13.24.29.34.58. 109.128.132.180

Peraſanium de Riberâ Ducem de Alcalâ, Neapolitani Regni Proregem, vt Regiam claſſem quamprimùm inſtrui & contra Turcas dirigi procuret, Pivs *hortatur.* 326

Petrus Barzæus Orator Regis Poloniæ. 18

Petrus de Gion, Ordinis S. Ioannis Ieroſolymitani Mareſchallus. 62

Petrus Iuſtinianus, Prior Prioratus Meſſanæ, Miles Ordinis S. Ioannis Ieroſolymitani. 65

Petrus de Mendoza, Miles & Præceptor Ordinis S. Ioannis Ieroſolymitani. 60

Petrus Miſconius Poloniæ Vicecancellarius. 19

Petrus de Monte Hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymitani Magiſter. 323

eum, vt eius Ordinis triremes inſtrui, & cum Pontificiâ Venetâque claſſe iungi procuret, Pivs *hortatur.* 328

& vt Melitenſes triremes ad ſinum Corcyrenſem adnauigare, & cum Pontificiâ Venetâque claſſe iungi curet. 330

eum de tribus Melitenſium triremibus captis conſolatur. 382

Philippus Hiſpaniarum Rex, vide *Hiſpaniarum Rex.*

PIVS.V. *de iniuncto ſibi Summi Pontificis officio, vicem ſuam deplorandam potius quam ſibi gratulandum oſtendit.* 41

eius Zelus pro defenſione fidei. 127.130.131.136.139

eius cura de incolumitate Regni Galliæ. 195 198

Paſtoralis officij munus exercet. 29.234

eius lætitia de propagatione fidei. 48.105.106 134.151. 154 156.209 241.249 257

eius Zelus contra Turcas. 308

eius conſtantia in rebus aduerſis. 383.399.433

eius lacrymæ ac ieiunia pro incolumitate Reipublicæ Chriſtianæ. 405

Cardinalibus Granuellano & Paceco, atque Ioanni Stunicæ mandat, vt apud Philippum fœdus contra Turcas conficiendum procurent. 314.317 319

Poloniæ Regem PIVS *hortatur, Tranſiluaniæ Principi perſuadeat, vt in locis ditioni ſuæ ſubiectis Catholicæ Religionis cultum recipi procuret.* 377

eumdem legitimam vxorem ſuam ſterilitatis cauſſà repudiare deliberantem à conſilio PIVS *reuocat.* 389

Poloniæ Regum pietatem PIVS *laudat.* 380.393

Populi, belli calamitatibus afflicti, beneuolentiâ potiùs ſunt, quàm vi aut armis in officio retinendi. 176

Præſules ſubditis ſuis ad rectè viuendum exemplar eſſe debent. 3 34 180.203.215 236

Principibus reſiſtens, Dei ordinationi reſiſtit. 175

R.

REformatio trium Militarium Ordinum, Luſitaniæ Regi conceditur.* 225

Reges ad cæleſtis Regni adeptionem aſpirare debent. 106

Reges contemptâ diuinarum iniuriarum vltione, ipſius Dei iram prouocant. 153.155.157. 161.163.166.168.242

nec non impiorum amicitiam admittendo. 296.300

Regia poteſtas ita Regibus à ſummo Rege Regum data, vt operum ſuorum rationem reddituri ſint. 20.118.119

Regis gratiam omnes malunt cum ſecuritate, quàm iram & offenſionem eius cum periculo. 76

Religio Catholica impugnari poteſt, ſed non expugnari. 115. 291

Religione Imperia & Principatus conſeruantur. 106.114.157.378

PIVS *admonet ſe in cauſſâ Religionis de iure ſuo decedere* non

non poſſe. 443

Reipublicæ Chriſtianæ afflictæ ſtatum PIVS *deplorat.* 294.298. 303

Robertus Rodulfus à PIO *in Angliam miſſus.* 293.428

S.

SCandala tolerando, Regni tranquillitati non conſulitur. 73.374

Scotiæ Reginæ de filio nato PIVS *congratulatur.* 21

eam ab Eliſabethâ in cuſtodiâ detentam PIVS *conſolatur.* 263 365. vide *Maria.*

Sebaſtiani Portugalliæ Regis pietas. 89.91.259.343.406

& zelus. 407

ei de Regni gubernaculo XIV. *ætatis anno ſuſcepto* PIVS *gratulatur.* 88

conſilium eius de ſubigendâ Africâ approbat. 255

eum, vt Chriſtianis contra Turcas auxilio eſſe velit, hortatur. 337.343.353

Sebaſtianus Portugalliæ Rex, PII *conſilium de fœdere contra Turcas probat; & quamuis non in præſens, in poſterum tamen auxilium ſuum pollicetur.* 339.347

ei reſpondet de affinitate ſibi cum domo Valeſiâ iungenda. 349.410

ei ob nauale̅m victoriam gratulatur. 405

Seriphum Mutahar Regem Arabiæ Felicis, ad ſociale bellum contra Turcas PIVS *hortatur.* 420

Sieccum Tahamaſum, Perſarum Regem, ad ſociale bellum contra Turcas PIVS *hortatur.* 415

Simonem Echium, Bauariæ Ducis Cancellarium, ob ſingularem pietatem vetere Germaniâ dignum, PIVS *laudat.* 25

Simoniaca prauitas prima hæreſis fuit. 92

Spiritualis ac temporalis iuris deſcriptio. 259

Staniſlaus, Canonicus Cracouienſis, à Secretis Regis Poloniæ. 213

T.

TEmporalibus conſulere nihil prodeſt, ſi ſpiritualia negligantur. 34

Terrarum motu (quamuis naturalibus ex cauſsis oriatur) Deus iram ſuam in populos ſolet ſignificare. 385

Thomam Comitem Northumbriæ & Carolum Comitem VVeſtemerlandiæ, Religionem Catholicam vindicare conantes, benignè PIVS *ſolatur.* 290

Timore Domini homines educuntur, vt ſublimioribus poteſtatibus ſubiecti ſint. 175

Turca, amicitiâ Europæ atque Aſiæ Reges deleuit. 300 307.420.

Turcarum Tyrannus Imperator

tor appellari non poteſt. 299
Turcarum cupiditas. 307. 362. 402. 417. 420
Turo Bertanus, Internuntius Ferrariæ Ducis. 385

V.

Viaticum Dominici Corporis vltimum ſupplicium ſubituris non denegandum. 69
Victoria naualis de Turcis relata quanti ſit momenti. 402. 405. 408. 414
Vincentius Porticus apud Sereniſſimum Poloniæ Regem nuntius. 208
ad Moſcouitarum Ducem miſſus. 363
Virorum proborum, quibus Eccleſiaſtica munera mandari poſſint, indicem ad ſe mitti Pivs iubet. 5

Z.

Zacharias Cardinalis Delfinus. 7

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, ne quis *Apoſtolicarum* PII V. *Pont. Max. Epiſtolarum libros quinque, nunc primùm in lucem editos operâ & curâ Franciſci Goubau*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ III. Martij, M. DC. XXXIX.

Signat.

P. le Mire.


LABORE ET CONSTANTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google